



















D. IASONIS PRATENSIS ZYRICEI MEDICI CLArißimi de Cerebri morbis:

hoc est, omnibus fermè (quoniam à cerebro male affecto omnes ferè qui corpus humanum infestant, morbi oriuntur) curandis Liber, non tam Medicis quàm Studiosis omnibus (quibus magna in primis cerebri habenda ratio est) apprimè utilis: secundùm ueterum Græcorum, Latinorum, & Arabum, necnon recentium præcepta, magno iudicio & arte conscriptus, & nunc primùm in lucem æditus. Cuius capita post præliminarem Epistolam recensentur.

Cui adiectus quoque est rerum atque sententiarum Elenchus satis copiosus.

BASILEÆ, PER HENRICHVM PETRI.

Μάρκος ὁ ὄππηρος, Ἐνρίχῳ τῷ
Ῥιχινέρῳ τῷ ἀγαπητῷ
εὖ θεραπεύειν.

Δέχεο, τῷ Ἐνριχε ἐμῷ ὦ φίλτατε θυμῷ
ἀγλαὰ δῶρα, ἃ πέμπω θεραπευτικὰ σοί.
πρακτικοῖς μεγάλῃ σπουδῇ τὰ ἔδωκεν ἵστωρ,
ἄξιος ἠδὲ μέγας καὶ πολύκλειτος ἀνήρ.
ὃς πάνυ δῖαν ἀπόλλωνος γ' εἰδὼς μάλα τέχνην
εὐκτιμένῃ κνεικῇ θεραπεῦε νόσους.
ἐκδιδοὺς φίλην ὑγιείαν ἑοῖσι βροτοῖσιν,
λυγρὸν ὄλεθρον ἀναιρῶν, κακὸν ἠδὲ ἄμαρ.
οὗτος ἄρ' ἐκ πολλῶν ἄλλων ὅσα λέξατ' ἰητρῶν,
παντοδαπῶν τε φαεινῶν τ' ἐνὶ βραχίονι
συγγράψας τά γε τῆς κεφαλῆς νούσων περὶ
αἰτίαν ἠδ' εἴδη καὶ θεραπείαν ἔθη. (πάντων,
τῷ δ' ἄρα χρυσάμενος (τοῦτ' ἂν πολυωφελὲς εἴη)
οὔτε βάρος χαλεπαίνει βιβλίοιο γε σοί,
ἀλλὰ μὲν ἄλλοισιν ἅμα συμβουλεύεαι πολλοῖς
ῥωμαίοις τε καὶ ἕλλησι καὶ ἀράβισι.

ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO. D. D. Ioanni, Marchioni Bergensi, & Domino de walhain, Iason Pratensis Medicus, S. P. D.



AVD temerè mihi facere uidentur ij, Generosissime princeps, neq; inepto sanè consilio niti, qui claru aliquem, atq; illustrem, & inter mortales immortalis nominis uirum discernunt: cui (ipsi quum sint obscuri minusq; cognobiles) suas lucubrationes religiose cosecrant: & quod longis multisq; laboribus assecuti tandem peperere, apud eum ingenti fiducia sequuti deponunt: qui id sua uirtute & autoritate à nequissimis calumniantiu sannis inconcussum tueri queat: utq; is in omne æuum perenni gloria uicturus est,

ſic ſecum quoq; trahat, fortiterq́;
uendicet à triſti obliterationis iniu-
ria, quæ ſunt ipſius integritati in tu-
telam, ac protectionem concredi-
ta. Quinetiam nuncupantes ij, ra-
ram ac ſingularem animi propen-
ſionem erga eum palàm liquidoq́;
declarant, quem ceu propitium nu
men hoc ambitus cultusq́; genere
celebrant. Propoſitum hoc quum
uehementer probarem, & imitatio-
ne dignum cenſerem, mox oculos
meos circumquaq; obuertere ſedu-
lus occœpi, & perquàm diligenti
ſpeculatione arbitrari, cuinam po-
tiſsimùm hoc meum Opus (non
paucis profectò uigilijs exãtlatum)
dedicarem: in cuiuſnam ſinum, &
exporrectas ulnas curioſus depro-
merẽ, nimirũ formidoloſus metue
bam (heu quia nam tanti cinxerũt,
æthera nimbi: quaq; patet cœlum,
turbinis horror habet) ne ſi in lu-
cem manusq́; hominum ſine pa-
trono

trono, ſine defenſore, ſine antiſtite incogitãter prodiret, ſtatim ab inſolẽtibus ſicarijs à primo cõſpectu interciperetur, qui adactis inclementer cultris uiolẽti iugulũ peterẽt, & ad fœdã internecionẽ cæderẽt. Perculſus itaq; , nec iniuſta conturbatione cõfuſus, aſpectabilem te præ alijs unũ, clariſsime Princeps, propter illuſtrẽ nataliũ ſplendorẽ, propter eximiã fortunarũ amplitudinẽ, propter incredibilẽ morum elegantiã, propter mirã literaturæ politioris cupiditatem ſuſpexi, protinusq; delegi, ad cuius aras ſupplex confugerẽ, atq; precarer: qui inclytũ tuũ nomen noſtris, non dicã nugis (etenim pluris mihi conſtant) ſed laboribus ſerijs præſcribi patiaris: quo ab eorum flagellatione abſterreantur ij, qui eruditis omnibus (ad calũnias & uexationes magis, quàm ad imitationẽ inſtructi) petulanter oblatrãt: & ego hos cynicos rictus,

ſpumãtiaq; ora tanti faciam, quanti Gorgoneos uultus ſub Palladis ægide tectus, Doctorum quidem uirorum cenſuras, atq; ipſam artem ſanè colentium iudicia nequaquã refugio: ſed iactuoſas iſtas, & amarulentas de excuſsis compertisq; rebus contentiones abominor, cane peius & angue: quæ ut nullum prorſus fructum gignunt, ſic commoda alioqui ingenia ab utilioribus excogitandis nequiter auertunt. Plato, cui quid addam uenerationis gratia, non uenit in mentem: dicam tamen, quando eminentius nihil dici poteſt, diuinus Plato in ſuis legibus cauit, ne cui nouum in populo carmen ædere liceret, quod non à ſapientioribus in ciuitate antea probatum fuiſſet. Lycurgus quoq; exiſtimatiſsimus Teſmotheta, non ante multitudini ſuas leges exhibuit, quàm cum præſtantiſsimis uiris delphos adijſſet, ac deum rogaſſet: an

futurum eſſet conducibilius, ac melius Spartæ, ubi legibus, quas ipſe condidiſſet, obtemperaret. Quum autem reſpondiſſet Deus, id prorſus ſalutarius ac commodius fore, tum demum leges ſuas exhibuit. Itaque, hos noſtros labores non ſtatim à ſcriptoria pluma adhuc madentes, & interſperſis lituris maculoſos in publicum proturbo: ſed ſemel, atque iterum purius deſcriptos, ac temporis ſpacio confirmatos, extra nidulum (ne parenti credulo imponeret fauor, qui ſuas etiam Simiolas, quamuis deformes, adamare cogit Simias) extruſi, & ſum paſſus menſes pluſculos nedum dieculas aliquot peregre uagari, & apud ignotos rigidosq; Ariſtarchos hoſpitari, multis precibus ambiens uti male cohærentia, atq; contorta expũgere dignarẽtur, putidosq; lapſus obeliſcis ferire. Cæteros taceo. Vidit eos, ac legit: le-

ctosq; commendatione dignos Louanium censuit, non minus quidem celebre, quàm est ullum in orbe gymnasium, uiros habet in quouis disciplinarum genere præstantissimos. Hîc, ingenuè dicam, quando pulcherrimum est Athletam placere Herculi, & Mimum Roscio, non nihil animum dulcis gloriola pupugit: nullus erat metus in ijs, cornicum oculos ne configerem: ne cõtra ueteres receptasq; Catholicæ Ecclesiæ constitutiones quicquã impudentior eblaterassem. Sed fieri potuit, qui dum morbis mederi studeo, alijsq; laboro opportuna præsidia præscribere, quibus aduersus ferocientium morborum æstus, tutò certaq; fiducia depugnent, assecutus non fuerim, quod tantopere uenabar: & procul à scopo uel ob ignorantiam & ingenij tenuitatem, uel ob oscitantiam supinamq; expensionem aberrauerim: qui error
alios


alios quoque cæcutientes, minusq́ perſpicaces, aliqua ſpecie fallere potuiſſet, quum ea in operis exercitium miſsitantes turpiter fruſtrarentur: & qui à morbo decumbentem aſſerere debebant, pro expectata ſalute funeſtam mortem aduehérent. Profectò ut hęc medicinę pars, quę dextrum medicamentorum uſum docet, & amœniſsima eſt & utiliſsima, ita nec ingenti difficultate, nec magno periculo caret: quocirca eam religioſe & ſancte tractare decet, atq́ omnem mouere lapidem, nulliſq́ uel Ariſtophanis, uel Cleãtis, Demoſthenis úe lucernulis parcere, ne quod peccatum incidat: quando tam exiguum eſſe non queat, quin in multorum perniciem ceſſurum ſit. Vt grauius eſt puniendus & immaniori cruciandus ſupplicio, qui letiferum uenenũ, nõ in unum poculum, ſed in ipſum fontem conĳcit, & alueum inquinat, ad quem


omnes bibituri confluunt: sic maxime peccant, quoniam innumeris exitio sunt, qui perperã curationis præcepta tradunt. In nauigationibus, si de uia recta imprudens classis præfectus proram in scopulos obuertat, & è puppi per noctem sublime lumen ostendat, quod cæteri sequantur, se non solùm marinis fluctibus absorbendum propinat: sed (ô funestum, ac lachrymabile fatum) omnem reliquam subeuntium cateruam in præsens uitæ discrimen pertrahit. Id cunctis perspectius patuit, quàm quisquam tergiuersari audeat, in morbo illo, quem Britannicum, & sudorificum dixerunt, quantam quæso stragem ex unica infelice chartula, quam nescio quis auibus nimium inauspicatis inuulgauerat, perpessi sumus: Galeno quoq; non aliud magis in Methodicos & Empiricos bilem commouit & exasperauit, quàm
quod

quòd unam omnium hominum curationem esse existimarent. Quum non homo communis, & generalis curetur, sed nostrum quisq; alius uidelicet aliud temperamentum naturamq; obtinens. Artem porrò ipsam nemo penitus pernouit: nec Æsculapius, qui in multis recantauit, nec grandæuus Hippocrates ad summum ipsius culmen conscendit. Mortales enim nos multa latẽt ac prætereunt: quare eos haud imprudenter facere constat, qui sua elucubrata atq; inuenta eruditioribus obtrudunt, & ante prælum excutienda subijciunt. Popularis est parœmia, Plus cernunt oculi, quàm oculus. Hoc consilio & impudentis arrogãtiæ notam effugiunt, & si quid postea minus emunctum deprehenditur, huic candidus inuestigator ignoscit, & paratam sanè ueniam meretur. Nunc princeps generosissime, luculentius nostræ er-

ga tuam celsitudinem obseruantiæ symbolum dare non potui, nec sanctiore munere tuum numen uenerari. Thure quidem litat, ac mola salsa supplicat, & caua manu porrigit aquam, qui non habet aurum. Hoc igitur Iasonis tui studium (quod uehementer exoptamus) qui tanto animo in rem literariam flagras, & miro fauore in disciplinas, omnesq; studiosos afficeris, gratum & acceptum amplexari digneris, idq; abunde magnum exantlati laboris hostimentum duxero. Christus Deus Optimus, Maximus, dignitatem tuam quâm diutissimè incolumem ac florentem seruet. Ex Zyricea nonis August. anno quadragesimoquinto supra sesquimillesimum.

CAPITA LIBRI SVNT HÆC





RERVM AC VERBORVM INDEX.

CANDIDO ET AMICO LECTORI SALVTEM.



N tibi candide et amice lector, Indicem damus sanè breuem pro copia rerum ac sententiarum, quas hic liber mirè frugiferas habet. Ipsum tu accuratè si euolueris, non pauciores his obseruatione dignißimas comperies. Vale, & nostris studijs faue.

*

melan-

au-

phy-

unguen

AD LECTOREM.

Non aliud nostræ præcium spectamus opellæ
Quàm quòd candidulas experiatur aues.
Tristia non patiar nigricantis uerbera rostri
Dilaceranda feræ, nec dabo terga cani.
Sunt ungues quibus illatam uim, more leonum,
Frustrabor, plagas incutiamq́; graues.
Nec commentatus castisq́; probisq́; uiris sum,
Quorum iudicijs cuncta subesse uolo.

D. Iasonis Pratensis Zyricei, de Affectibus cerebri, liber.

Caput primum DE DOLORE CAPITIS EX INtemperatura calida.



RÆsidia doloris capitis citra distinctionẽ literis mãdare, plus noxæ (Galenus ait) quàm commodi, ijs adfert, qui in eum modũ docentibus fidem adhibent. Non enim omnes ob unam corporis dispositionem, capitis cruciatu infestantur: uerum uti plures sunt hæ dispositiones, ita propria quoq; singularum curatio existit: Nec in hac sola, sed re quauis indistinctio cõfusionem parit. Nos igitur à dolore, quem calida intemperatura, absq; ulla humoralis exundantiæ participatione excitat, sermonem ordiemur. Cuius manifesta, & perspicua indicia sunt: Ardor frontis. quem in explorationem manus iniecta præsentem comperit: caput ipsum ueluti inane apparet, nec ullo pondere premitur. Oculi lucem refugiunt, scintillant, faciliq; motu cientur: lingua aspe

Indistinctio confusionem parit.

Signa intẽperaturæ calidæ

ra est et fauces aridæ, nec Solis, nec ignis uicini tatẽ ferunt: ab omnibus quæ uel actu, uel potesta te calefactãt, propẽtißime læduntur: immodicis ui giliijs fatigantur, et qui somnus obreptat, impla cidus est et insuauis, nõ quietẽ, sed laborẽ afferẽs fulminũ imaginibus, & flãmarũ & incendiorũ grauis: celeriter quoq; expergiscũtur: in irã pre cipites ruũt. Galenus existimat fieri nõ posse, ut intẽperies quælibet sola diu duret, quoniã ipsa si bi alterã de neceßitate asciscit. Inde factum est ut pleriq; medicorũ quatuor tantum esse intempera turas putarint, easq; cõpositas, simplices ne esse quidẽ: nẽpe calidã, dum humiditates semper absu mit, parere siccitatem: & frigidam dum nihil im minuit, incremento humoris quodã modo fauere: quod liquido ex præfatis signis deprehendere li cet. Quapropter statim, & ab initio diligẽter ob sistendum, ne uitium porrigatur, ac uetustescat, aut in coniurationem secum trahat comitem, eó que nomine difficilius nobis negocium exhibeat.

Nulla intẽperies simplex diu durat sola.

Originem porrò ducit ex inclementia æstuosi ætheris, aut ex iniuria grauis & indefeßi laboris ex aßiduo ignis uicinio, ex thermis, ex calorifi cis edulijs, ex feruidis medicamentis, ex odoribus aromaticis, ambra, moscho, melanthio, ex inedia ex insomnijs, ex ærũnosis cogitationibus, & insi gni mentis perturbatione, alijsq; huius generis.

Causæ intẽperaturæ calidæ.

Sed

Sed quauis é causa oriatur (neq; id magni refert, ab ipso enim affectu curatiõis indicatio sumatur) sola indigemus alteratione: euacuatio succorũ abundãtiæ debetur: nimirũ inutiles, quũ super fluũt excretionẽ postulãt. Alteratio ob solam iniquæ qualitatis intẽtionẽ necessaria usurpatur, ut ea per cõtrariæ qualitatis excessum moderetur, id Auicenna fen quarta primi dicebat: Si mala intẽperatura sine materia fuerit, tũc ipsum temperamẽtũ permutare tantũ debemus: sed si cũ materia fuerit, euacuabimus quidem. Itaq; frigorifica deligemus, quia calidæ dispositioni aduersa, neq; statim quælibet: nõ enim satis est, calido affectui admouisse frigida, sed oportet ut iuxta mali modũ cõtrarietate polleãt. Si quis decẽ numeris recessit ab habitu naturali in dispositionẽ calidiorẽ, causa sanãs talẽ dispositionẽ decẽ numeris recedat in habitũ frigidiorem: æstuosus imprimis aer euitetur, siue is anniuersarius ex cœlestiũ syderũ incubitu immineat, siue afflatu aliquo ignei uaporis aduehatur, nihil refert, undecũq; aspiret, noxius est, quicunq; calefactat. Quòd si regio, aut præsens cœli status cõmodũ negat, arte nostra, atq; industria talẽ parabimus, fusis humi flosculis, rosa, uiola, nymphea. Quin si patitur morbus, pedẽ copiã licebit efferre, nõnunq̃ considendum erit, auræ captandæ gratia, irriguis in

Euacuatio quibus debetur, & quibus alteratio.

Contraria pro mali modo sunt deligenda.

Diæta.

hortulis in uirentibus pratis, in fluminum ripis, ſalices, iuncos, rubos, cannasq; ferentibus. Sed cauendum ſedulo, ne phœbeis iaculis ſeipſum temere aperiat, cubiculum gelida irroretur, parietes madidis ex aqua linteis ueſtiãtur, calathi, arãtijs, citrijs, cydonijs & huiuſmodi fragrantiæ pomulis extructi, pemſiles diſponantur, pro modo ſemper atq; exuperantia noxæ: cibos auerſentur multum calidumq; ſanguinem gignentes, quales ſunt animaliũ boni ſucci, & in ætate media conſiſtentium, præſertim campeſtrium & ferarum, quum aromaticis ſpeciebus ſaturantur: præſtat quidem elixare carnes adiectis herbulis facultate refrigerandi præditis, lactucis, intybo, portulaca, oxylapatho, atriplice, ſpinachio, uuis acerbis, omphacio, prunis damaſcenis, arãtijs, citrijs, citrangulis. Quæcunq; aſſantur, non nihil igneæ qualitatis ab ipſo igne ſortiuntur. Salubres ſunt ex hordeo pulticulæ, ex auena, ex alica & amygdalis decorticatis. Sed illud obſeruabile non licet tacitũ præterire, uti amygdala priuſquàm in mortario tundantur, horulas aliquot in aqua pluuia macerentur. Sunt enim quæ apud nos in pharmacopolijs ueneunt ſemper antiquæ, rancidæ, oleoſæ: qua de cauſa ſanguinem promptiſſime uitiãt, uentriculum euertunt, febres accendunt, & capiti inſigniter officiunt: maceratæ uero veluti repubeſcunt

Amygdalatum quo pacto fiat.

pubeſcunt, & uires ſuas poſtliminio recipiunt, omniaq; uetuſtatis faſtidia expuunt. Quibus non nulli frigida ſemina (quæ medicis maiora dicuntur) cucumeris, melonum, cucurbitæ & citrulorum compinſunt. Piſces conferũt petroſi, & oua ſorbilia. Ex fructibus, ceraſa, fraga, mora, perſica, pruna, modo citra ſaturitatem fiat mandendi finis: ceruiſiam bibant tenuem, aut album, & dilutum uinum: exercitio nullo fatigentur, nec fricationib. nec balneis, nec ſudationibus uexẽtur: ſomnus ſit prolixus, animi cõmotiones uehementer offendunt, ſimul et clamor, uociferatio, tumultus.

Doloris curatio & ſi non exigat (ut dictũ eſt) plenitudinis detractionem, quoniam illum nulla plenitudo efficit, nihil tamẽ obſuerit, imò & cum ratione (niſi quis proteruiat) cõiunctum uidetur ſi leuiculum aliquod decoctum, quod ſoluendo ſit, propinamus aut clyſterem uentris onera prolicientem (præſertim natura morante) ſubmittimus. Auicenna inquit: quandoq; etiam in ea, in qua uapores non eleuantur, neq; humores mouentur, eſt neceßitas euacuationis, quum timetur in ipſa materiei attractio ad locum doloroſum, clyſter, potißimum reliqui corporis cõſtitutio quum à capitis craſi minime uariat ualde idoneus. ℞. hordei. M. 1. maluæ, altheæ, uiolariæ, lactucæ. añ. m. ß. ſeminis maluæ, anethi, fœniculi.

añ.p. j. paſſularum mundatarum ℥. j. prunorum Damaſcenorũ numero x. (Galenus libro ſecundo de alimentorum facultatibus, Prunis, ait, Damaſcenis à Damaſco Syriæ monte, in quo naſcuntur, appellatis, prima laus bonitatis magna hominum opinione defertur, proxima ijs, quæ in Iberia & Hiſpania proueniunt. Verum hæc nullam adſtringendi uim repræſentant, Damaſcena uerò quædam ſanè quàm præclaram. Quare uentri mouendo Iberica maximè conueniunt) coquantur in aqua, & decoctum excoletur ad ℔ j. & colaturæ addantur olei uiolacei ℥.iij. caßiæ recens extractæ ℥. j ſalis.ʒ.j. Aut in hũc modum: ℞ decocti gallinacei, aut agninæ, ſeu uitulinæ carnis cum maluis, ſpinachijs, lactucis, cucurbita ℔ j.ſacchari rubri ʒ.ij. olei anethi, nymphæ, butyri recentis añ. ℥. j. ſalis pauxillulum, ſubmittatur. Quod ſi clyſterem horreat ægrotus (id nobis quotidie uſuuenit) pro hac formula lenitiuum potitet, ℞ hordei, m. j. endiuiæ, cichoreæ, farfaræ añ.m. ß. florum boraginis, bugloßi, uiolarum añ.p.ij. ſeminis maluæ, melonũ, aniſi, fœniculi añ.p.j.paſſularum purgatarum, tamar Indorum añ. ℥.j prunorum numero ix. coquantur in aqua, excoletur ad ℔.j. & adde colaturæ ſucci roſarum rubearum ℥.iij, ſyrupi uiolarum ℥.ij. bibat quotidie ieiunus uncias quatuor

Ventri mouendo Iberica pruna magis conueniunt.

aut

aut quinque. Assumat interdum fumiterræ decoctum ex sero bubulo: aut caßiæ fistularis unciam ex aqua farfaræ. Post hæc, aut si nec hisce opus erit, ad topica confugiendum, & in primis oleum roseum capiti infundemus, quòd præ alijs (autore Galeno) commodißimum præstat, si ex crudo oleo, & ex rosis tantum, ac sine frondibus confectum fuerit: longè etiam melius, si salis omnino sit expers. Præter hoc & oleum uiolaceum, & nymphеæ, & melinum, & salignum, & unguentum populeum haud dubiam opem promittunt. Embrochæ uerò salutares adhibentur ex decocto maluæ, uiolariæ, pampinorum, nenupharis, salicis, chamæmeli, meliloti. Quib. uerò feruentius, atq; æstuantius caput erit (est enim, inquit Galenus, lib. tertio de temperamentis, aliquando summi caloris affectus, quem mediocriter frigidum medicamen adeò non alterat, ut refrigerando, densandoq; summum extrinsecus corpus, calorem intrò concludat, ac difflari uetet, indeq; affectum magis accendat) ipsis oleis succos refrigerantium herbarum immiscere oportet, portulacæ sedi, solani, cucurbitæ, & acrioris aceti particulam in hunc modum: ℞ olei rosati ℥.ij. succi uirgæ pastoris ℥.iij. aceti ℥.ß. huic stupa intingatur, & districta fronti applicetur, ceu splenium utraq; tempora per suturam coro

nalem complectens. Galenus lib. ſecundo de compoſitione pharmacorum ſecundum locos affectos, refrigerare docet, quæcunq; adhibere uoles, in aqua uehementer frigida collocata, quæ ſi non adſit, niuem uaſculo circumpones. Hoc auxilium, ſiue humorum, ſiue uaporum multitudo impetum in caput faciat, præclarè auxiliatur: repellit enim eos, infraq́; in corpus detrudit. Quòd ſi fontium & niuis penuria ſit, neceſſarium eſt refrigerare roſaceum per expoſitionem ſub dium per integram noctem, & per obuerſionem ad auræ alicuius afflatum, ita demum addere ei ſemperuiui ſuccum, aut portulacæ, aut lactucæ, aut pſyllij, aut poligonij, quin & ſolani aliquando paululum, & pampinorum uitis, & uuarum immaturarum. Vitanda quæ cum refrigeratione manifeſtè aſtringunt: propterea ſanè et ſolani ſuccum, aut nunquam penitus, aut omnino modicè admiſcemus. Huiuſmodi cataplaſma conficiatur: ℞ ſucci capreolorum uitium ℥.ij. unguenti populei, ſandalini añ. ℥.j. farinæ hordei quantum pro craſſamento ſatis ſit, Corymbi quoq; ederæ elixi, et roſaceo contriti: ceratũ ex

Ceratum Galeni. decimo de curandis morbis, magnificè iuuat: cæra eliquata, bis, terúe in aqua mundiſſima perluatur, elotæ effundatur oleum roſeum, ſenſim inſpergendo aceti momentum, Sintq́; ipſius olei

partes tres, ceræ ablutæ pars una. Id linteolo inductum capiti applicetur, sed sæpicule renouetur. Nam ubi applicatum diutius inhæserit, igneis uaporibus saturatur. Quocirca etsi refrigerandi facultate præditum sit, ex hoc incõmodo affatim calefacit, & sui mora plus nocumenti, quàm adminiculi adfert. Quare detrahatur tempestiuè, ac demutetur. Quod in omnibus ijs semper, & ubiq; obseruandum moneo, quæ tollendo feruori adhibentur, præsertim quum ex eorum longo incubitu corporis pori obstruuntur. Theophrastus inquit libro quinto de causis plantarũ: quædã aũt ex eorũ numero quæ cõueniunt, iuuareq; poßũt, exitio aliquãdo sunt, si immodica, aut uehemẽtiora, aut intẽpestiua inducantur. Aliud nec aspernabile: ℞ mucilaginis, seminis psyllij et cotoneorũ ex aqua lactucæ añ. ℥. iij. infrigidãtis Galeni ℥. j. unguẽti populei ℥. ß. rosarũ rubearũ, florũ nenupharis añ. ℈. ij. terræ sigillatæ ℥. ß. omniũ sandalorum añ. ℈. j. croci grana vj. camphoræ grana iiij. aceti modicũ. Hic atrã mihi tẽpestatẽ, haud uana fortaßis formidine, ominor,

Emplastra refrigerantia sæpius mutanda.

Heu quanam tanti cinxerunt æthera nymbi.

Sunt quidem multorum, qui nunc medicinam faciũt, tam teneræ ac delicatæ aures, ut nullũ prorsus sermonem præter illas Atticæ, aut Romanæ linguæ lautitias ferant: quibus mea quum oratio

Tempestatem sibi ominatur autor.

facere non poteſt ſatis, metus eſt, ne iniquior aliquis obſtrepitet, ac dicam mihi ſcribat: qui camphoræ, & non caphuræ dixerim. Equidem lector (ne ſis neſcius) tædium hoc deuorare uolui, ut præteritis uocabulis, quæ ſeplaſiarijs recepta ſunt, & quorum in omnem terram exiuit ſonus, noua ac recentiora uſurpem. Mane quæſo, nec frontem capera, neu torto ringere naſo: uetera eſſe & probatiora non ignoro, ſed quibus cum nulla mihi nec familiaritas, nec neceßitudo, propter ſeculi infelicitatem, quo docilis erat ætas. Quare excutiendi erant ij, qui Augiæ ſtabulum expurgantes, generoſè conantur in hac parte turpiter collapſam medicinam reſtituere. Neq; ſemel ij, ſed iterum atq; iterum euoluendi erant, & quoties nominandum occurreret aut ſimplex, aut compoſitum medicamentum. Quin ſtudium hoc, quia moleſtiæ multum, & utilitatis parum uidebam allaturum, huic perquàm libenter me ſubtraxi, eſt enim artis utilitas, auxilia, quibus æger ſanetur, inuenire. Inde adeò uetus cantio dimanauit: nullus hominum quamuis concinna uerborum nuncupatione ſeruatus eſt unquam. Non eſt in eo medicus, qui calamiſtratam, & ſpecioſam orationem ſequatur, ſed ut tuto, ac celeriter ſanet. Non de uoculis aptè coniugandis, nec de inculpatis appellationibus laborat. Eo ſanè no-

Vocabulis conſuetis utitur autor.

Vocabulorum ſtudiũ plus moleſtiæ, quàm utilitatis adfert.

mine

mine diuinum ingenium nec gloriam, nec amicorum copiam sibi parat, sed tum peramabilis suspicitur, tum celebris multum per ora hominum uolitat, quum plurimos sua industria seruat. Hippomachus Aliptes quibusdam laude efferentibus prælongum quempiam, ac prælongis manibus hominem tanquam ad pugilum certamen idoneum, Sanè, inquit, si suspensa in alto corona esset detrahenda. Sic hi quoq; palmam omnem stadiodromis præriperent, si in castigata oratione functio medici consisteret. Quantum porrò flagitium æstimabunt critici, & quàm sæuis licentioris linguæ uerberibus expiandum uociferabuntur, si sic dicam: Aqua Cuscutæ obstructionibus iocinoris medetur: & non, Liquor stillaticius Cassuthæ. Nullus equidem sum, totusq; perij, & de laqueo cogitandum erit, quo me pensilem faciam, ista si exiguntur. Profectò ridiculum mihi habetur, & omnino indignum uiro docto, pariter ac Christiano quenquam hoc nomine inceßere, aut sese uenditare. Sed baubantes audio:

Hippomachi facetũ responsum.

Deprecatur noxam autor.

Ludere qui nescit, cãpestribus abstinet armis.

Non ludus hic, in quo uersamur (quod dictũ iam est) de nitore, & mundicie sermonis initur, sed de re multis numeris præstantiore: nec quàm uenustè, & concinnè quis dicat, sed quàm aptè, & scienter

Medicus nõ agit de nitore sermonis

scienter

ſcienter impleat artem, tyrunculos perpendere oportet. Imò ſi me audiant ſenem, et iam rude donandum iuuenes Apollinei (loquar ingenue, nec quicquam moror naſutulos iſtos logiatros) minimè auerſabuntur Arabes, horumùe conſectaneos, Sauonorolas, Valeſchos, Bartholomeos, nec huius farinæ cæteros. In furnaria dòmo Heraclitus aliquando aßidens foculo, prætereuntes clara uoce inuitabat: Introite, clamitans, nam & hic dij ſunt. Seplaſiarij non rite magis, rectiusúe ſuas illas compoſitiones (receptas uocant) ex libris holoſerico tectis conficiunt, quàm ex puluere & ſitu, aut diutino detrimento ſqualidis. Felicem certè prædico, & plurima laude celebrandum, cui magna beneuolentis Dei benignitate, utrunq; contigit, & proſpere medicari, & ſermonis elegantia præminere, modo eum patienter ferat, nec contumelia inſectetur, quæ ſine dictionis cultu in artis opere, & quotidianis exercitamentis plurimum præſtat. Quædam tamen inter ſcribendum officinis minus uſitata fortaßis nobis excidēt. Et ſi Deus optimus, maximus uitam prorogauerit, de cæteris quoq; hominis partibus ſcribere conſtitui: in quo opere, quod nunc incuria pecco, diligentia penſare licebit. Profecto quiſquis hoc ſeculo bonus fieri medicus contendit, tres linguas probè calleat, oportet, Græcam,

Arabes reijciendi non ſunt.

Medicus quis felix.

cam, Latinam, & Barbaram. Græcos omnis eruditionis fontes esse, uno ore uniuersus literatiorum chorus concinit. Id etiam nos si demus, nihil uetat splendidam quoq; rerum cognitionem barbaros poßidere. Nolo in causa tam uincibili disertior uideri. Vnum hoc edicere palàm haud me pudet, apud hos efficacißima remedia inueniri, (expertus loquor) quæ nusquam alibi conscripta comperies. Beatus Hieronymus ad Paulinũ ait: Apollonius siue ille magus, ut uulgus loquitur, siue philosophus, ut Pythagorici tradunt, intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentißima Indiæ regna penetrauit, & ad extremum latißimo Phison amne transmisso peruenit ad Brachmanas, ut Hiarchã in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos de natura, de motibus syderum, ac cursu dierum audiret docentem. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos reuersus Alexandriam, perrexit Aethiopiam, ut Gymnosophistas, & famosißimam solis mensam uideret in sabulo. Inuenit ille uir ubiq; quod disceret. Iam in patrocinium si ea laudauero, quæ Galenus habet secundo de facultatibus edilium, in gratiã fortaßis autoris tanti aliquis erit ueniæ locus. Non, inquit, hæc Atti

Medicus quas linguas calleat

ci sermonis affectatoribus scribimus: fortaßis enim nec lectione quidem dignabitur ipsorū quispiam: uerum medicis de artificio non admodum solicitis. Hi enim (probè scio) Atticam linguam nibilo pluris, quàm aliorum hominum æstimant. Quum igitur planißimum, maximeq; perspicuum sermonem ijs ex usu magis esse cognoscam, familiaria, usitataq; ipsis nomina sum propositurus, quamuis priscis illis Græcorum minimè in usu fuisse arguantur. Et eodem libro capite de peponibus: medici quidam non simpliciter peponē fructum hunc, de quo nunc agimus, sed sicyopeponem uocandum censuerunt. Nos uerò super eiusmodi nihil uolumus esse soliciti, ut quæ ad medicinam nihil conducant: siquidem longè præstat dilucidè explicare res, quàm huiusmodi anxia disquisitione doctrinæ perspicuitati tenebras offundere. Tum porrò dicas perspicuè, quum uocabulis maximè uulgo usitatis, seruata illorum significatione uteris. Et in capite de persicis: siue mala persica fructum hunc, siue persica simpliciter, uti nunc Græci, siue alio quouis antiquo nomine uocare uelis, per me licebit, magno quidem ocio id facias. Iam uerò, quod uocabulorū disquisitione utilius est, accipio. Et in capite de punicis. Hos igitur cum suis nominum speculationibus, ac contentionibus missos facientes, fru-

Res dilucidè explicāda.

ctus

ctus facultatem narrabimus. Eadem diligenter inculcat capite de sorbis, & capite de palmæ fructu, de amygdalis & locis alijs sexcentis, ut libro secundo, tertio & decimoquarto de medendi methodo, atq; iterum de differentijs symptomatũ, & de causis, & libro secundo de differentijs pulsuum, adeoq; multis commentarijs (tam est eorum, quæ iam semel narrauit, frequẽs recitator) ut planè stultum, ac ridiculum fuerit, eà omnia persequi uelle. Post hæc meminisse oportet, ne algifica, quæ forinsecus inducuntur, in occiput cadant. Siquidem hæc capitis regio maximè opportuna est iniuriæ, quam medicamenta huius generis temere illata conciliare queunt. Refrigeratio sanè per efficacißimã qualitatem inducitur: quare & parui temporis opus, & periculo coniunctum existit. Quum res igitur huiusmodi præsidia poscet, eritq; necessum frigidioribus uti, ea commiscebimus, quæ moderato calore subueniant, & exceßum conuenienter suffringant, flores chamæmeli, meliloti, semẽ anethi, marathri, pulegium, mentam, bethonicam. Dormituri, & à somno mane consurgentes sumant Conseruam rosarũ, uiolarum, nenupharis, florum cichoreæ, boraginis, bugloßi, diarhodum, diatragacanthũ, triasandalum, aut saccharum rosatum. Eclegma conficiatur pro hac forma: ℞ conseruæ rosarum

Galenus semel dicta, sæpius repetit.

Occiput non fert refrigerantia

℥.j.conseruæ uiolarum,nympheæ an̄.℥.ß. corticis citrei conditæ ʒ.vj.seminum frigidorum maiorum mundatorum an̄.℈.j. seminis papaueris albi ℈.ij. seminis maluæ,cotoneorum, psyllij an̄ ℈.ß.camphoræ grana iij.cum syrupo granatorũ misce. Aliud ℞ conseruæ florum cichoreæ ℥.ij. triasandali ℥.j.rob è ribes ℥. ß. concorporẽtur. In hunc usum confert decoctum hordei, & endiuiæ,farfaræ,maluæ,aut cõcinẽtur potiões(quas iuleb uocamus)ex aquis uiolarum, nenupharis, & aliarum refrigerantium herbarum, cum saccharo rosato,uiolato,aut syrupo acetoso: & subinde bibant oxycratum,aquam cũ aceto,aut simplicem. Iuleb. ℞ aquæ lactucæ,cucurbitæ an̄. ℔.ß.sacchari rosati ℥.j.syrupi acetosi ℥.ij. Odoramenta quoq; mirifice conducunt ex rosis, uiolis, nymphea,myrto,santalis,caphura, aut spongia imbuatur rosacea & naribus ad olfactandum crebro admoueatur. Aut pomulum(qui nostræ familiæ uerbis dicam)in hunc modum apparetur. ℞ rosarum rubearum ʒ.ij.florum uiolarum, nenupharis,myrti an̄.ʒ.j.boli Armeniæ, omnium santalorum an̄.℈.ij.seminis papaueris albi, seminis lactucæ an̄.℈.j.seminis citrei, maioranæ an̄.℈. ß.camphoræ grana iij.puluerescant,& cũ mucore tragacanthæ ex aqua rosacea aggregentur in formam pomi. Narium pinnæ intrinsecus linian

tur

tur oleo uiolaceo, ſaligno, papaueris, nenupharis, populeo. Succum præterea trahant lactucæ, ſcariolæ, maluæ, aut ptiſanæ cremorem. Vel conficiatur talis miſtura : ℞ olei papaueris, roſati añ. ℥ j. aquæ uiolarum, nymphεæ ſeu fœminei lactis ℥. iij. Os & fauces gelida ſæpe colluant, ac gargariſſent. Solanum, ſedum, oxylapathum, lactucæ thyrſum, aut fruſtulum uinoſioris pomi, ſeu cucumeris, melonisúe in ore frequenter uerſent, mandantq́;.

CAPVT SECVNDVM DE DOLORE capitis ex intemperatura frigida.

Frigidam intemperaturam capiti negocium faceſcere, & doloris nudam eſſe cauſam, his fermè indicijs colligitur. Nullo quidem inutilis ſaburræ pondere premitur, in ſuarum tamen facultatum functionibus iners, pigrumq́; deprehenditur, uti in eo minus uigeant externi ſenſus, neq; admodum ſtrenuos, alacresq́; habeat eos, qui interni uocantur. Frons ad iniectæ manus explorationem planè friget, facies albet, oculi languent, uenæ ſuffugiunt, exiles arteriarũ percuſſus, algidus ex naribus ſpiritus, aures exangues, labra decolora, torpidum ſermonis plectrum, tardus, rarusq́; pulmonum flatus, dormiendi multa

Signa frigidæ intemperaturæ.

cupiditas, & ab ijs promptißimè offenduntur, quæ potestatem obtinent frigefaciendi.

Causæ. *Causa mali multiplex est, aliquibus obuenit ex ambientis aeris infesto rigore: alijs ex crebris natationib. in gelidis aquis. Sũt quos inuadat ex longis desidijs: multos corripit ex diutino usu ciborum perfrigerantium: non paucis hanc iniuriam intulere medicamenta. In noxijs quoq; censetur larga sanguinis effusio, aut calidorum succorum immoderata uacuatio. Nonnunquam uentriculus, hepar, lien uitiũ id per consensum afflauit.*

Vndecunq; accedat curationis ratio admodũ simplex est, una uidelicet, calefacere quod præter naturalem habitum refrixit, & in pristinum statum reuocare, quod perperàm excidit. Galenus ait primo de Locis affectis: si idipsum, quod molestat, nihil aliud fuerit, quàm intemperatura, calidam refrigerando, & frigidam calefaciẽdo,

Dieta. *ilico iuueris hominem. In aere uersentur calido, & lucido: loca fugiant subterranea, uliginosa, horrida, neq; ament fluuiorum, aut inertiũ aquarum uiciniam: non ualles opacas, non uiridaria, salices, populos, rubos, herbasq; refrigerantes gignentia. Si morbus ferat, & iuuat auram captare in apricis, animumq; oblectare in ambulatione, in hortulos descendant, amaracum, thymum, pulegium, cunilam, libanotidem, saluiam, lauandulam*

lam, laurum, huiusq; fragrantiæ coronamenta ferentes. Meminerint manus, pedesq; semper calentes habere: nempe in consortium promptißimè cerebrũ pertrahunt: ignis in cubiculo, si acerbitas temporis exigit, & potißimum sub diei, noctisq; crepuscula, ex lignis siccis, acapnijsq; accendatur. In quem usum uitanda sunt humida, palustria, uiridia, platanus, salix, populus. Iuuat etiam suffitus materiæ bene olentis, qualis est styracis, ladani, caryophyllorum, cinnamomi, maceris, aliorum quoq; aromatum. Aut pro hoc modo conficiatur puluis: ℞ ladani ʒ.iij. styracis, benzoi añ. ʒ.ij. caryophyllorum, iridis, maceris, cinnamomi añ. ʒ.j. sampsuci, thymi, lauandulæ, nigellæ añ. ℈.j. galliæ moschatæ ℈.ij. cõterantur, cuius particula prunis inijciatur. Cibis utantur calorificis, & copiosum sanguinem gignentibus. Quin hæc sola commodi uictus obseruatio multis salutem attulit. Non omnis (inquit Auicenna, quarta primi) repletio, neq; omnis malitia complexionis suo curatur contrario, ex euacuatione, & oppositione, imò multoties sufficit multa regiminis bonitas. Quibus ergo per alimenta potest restitui sanitas, frustra, aut dolo malo, nec sine magna naturæ iniuria ex officinis medicamẽta petuntur: siquidem ferè omnia uẽtriculum lædunt, prauiq; succi sunt. Quamobrem clarus

Sanitas, si fieri queat per alimenta reuocetur.

Asclepiades damnato eorum usu, & posthabita pharmaceutica ad dieticam potius omnem suam curam transferebat: nimirum quæ alunt, et qualitate prædita sunt morbo contraria, fiunt bona pars eius quod morbidum est, & temeratum deposcit opem: quo subsidio excogitari non potest salubrius ullum. Medicamenta quidem (quum nō officiunt) opportunis suarum qualitatum uiribus adiuuare queunt, sed nunquam se penitius insinuant, nec agglutinantur in substantiam offensi corporis. Galenus inquit libro octauo de medicamentorum compositione secundum locos, dicimus alimenta cum his, quæ nutriuntur, proprietatem quandam secundum totam ipsorum substantiam obtinere. Quod sanè maximum est in huiusmodi affectibus curandis, qui ex intemperie obueniunt: efficacißima enim in ipsis sunt, ut quæ, præter quod intemperiei medentur, etiā nutrire queant. Vnde & uinū accommodatißimum est ijs, qui absq; inflammatione, aut erysipilate, aut abscessu, aut calida intemperie laborant: alit enim, & coquit, roborat, putredinibusq; obsistit, & si qua sit intemperies ex humiditate, & frigiditate tuto et absq; molestia illam persanat: carnes conducunt ueruecina, uitulina, hœdina, iunicum, præsertim si speciebus condiantur, cinnamomo, pipere, zyngibere, macere, galanga, nu

ce myristica, caryophyllis, croco. Et in hūc usum cibalis puluis pro hac formula cōficiatur: ℞ cinnamomi ℥. j. zyngiberis ʒ. ij. caryophyllorum, maceris, nucis moschatæ, cubebarum, galangæ, macropiperis añ. ʒ. ß. mentæ siccæ, saluiæ, thymi, saturegiæ, maioranæ añ. ℈. j. cardamomi, croci añ. ℈. ß. contundantur in puluerem, qui pro gustu satis, aululæ inijciatur, idq́; sub finem coctura, ne æstu nimio, ac feruore ipsius aromatica uis exoluatur. Et hac de causa seplasiarij, quum uocata electuaria fundant, tandem sacchar o deferuescente, & iam, prope ut cogatur, ac densescat, frigescente, species immittunt. Gallinacei præterea, & perdiculi, phasiani, passerculi, turdi, merulæ, gallinagines, galeritæ, & cāpestres aliæ, montanæq́; uolucres salubribus annumerantur. Rasis quarto Separatorum sermonum dixit, pipiones ex proprietate chronicum capitis dolorem gignere, atq; inde fortaßis inoluit, ut eorum capita tanquam nocentißima pars, in occisione tollantur. Pisces omnino auersentur, sanguinem enim frigidum, ac dilutum gignunt, caput offendunt, præsertim grandes, præpingues, glutinosi, & ex inertibus aquis extracti. Quod si uescendi cupiditatem accendat cōsuetudo, aut aliorum esculentorum penuria urgeat, parcè gustentur, quo cupiditati fiat satis, aut neceßitati

Species sub finem cocturæ eijciuntur.

ſuccurratur: quoq; minus officiant in craticulis aſſentur ſubſtratis roriſmarini, ſampſuchi, thymi, aut ramulis id genus alicuius herbæ. Innocentiores ſunt ex alto pelago ducti, & ſaxatiles, & de fluuiis ſumpti, in quibus herbarum & radicum copia ad alituram ſuppetit. Ariſtoteles litorales pelagicis præſtare propterea putauit, quia meliore cibo, ac copioſiore potiuntur: paſſeres, ſolea, boca, menulæ, molitor, capo, trachina, gobio, lucius, ſtrumulus, barbus. Ex fructibus noxij ſunt, quos horarios, fugaceſq; uocamus. Ex oleribus inutilis eſt lactuca, portulaca, malua, farfara, ſcariola, acetoſa, ſpinachium, atriplex. Iuuant hyſſopus, ſaturegia, eruca, tarcum, pyrethrum, ſinapi. Incommodant lac, caſeus, acetum, omphacium, arantiæ, limones, citrãguli, acidaq; omnia. Vinum confert meracum, rubrum, aut ſubrubrum: ceruiſiam bibant propè percoctam, nec illam prætenuem & imbecillam, ſed polypyram & ex incorrupta fruge concinnatam. Plurimi gaudẽt medicato uino (Hippocraticum dicunt) ego ceruiſiam medicari ſoleo puluere, qui & ſaporis gratiam conciliat, ſimulq; ad bonam corporis ualetudinem facit, pro hoc modo: ℞ zyngiberis, cinnamomi añ. ℥. j. radicis iridis, baccarum lauri añ. ʒ. iij. maceris, caryophyllorum, nucis myriſticæ añ. ʒ. ij. piperis longi, cardamomi añ.

Ceruiſia medicata.

ʒ. j.

ʒ.j.pulueriſentur, et puluis in raro linteolo colligatus in uas cōijciatur. Exercitia moderata ſequantur. Venter quotidie excremēta reddat. Somnus ſit mediocris. Affectiones animi, gaudium, lætitia, ſecuritas, & nōnulla ſubinde breuioris iræ cōcitatiuncula. Curatio, quæ medicamentis perficitur, ſolā noxiæ qualitatis alterationē exigit. Auicenna inquit quarta phen primi, dirigit nos ad qualitatē ſimpliciter eligendā cognitio generis morbi: quoniā cognita ægritudinis qualitate, eligendū eſt medicamentū illi ſua qualitate cōtrariū, cum morbus ſuo curetur cōtrario, ſanitas uerò ſuo ſimili ſeruetur. Aluus proluatur enemate pituitoſas, frigidasq́; ſordes detrahente, in hūc modū: ℞. hyſſopi, ſatureiæ, pulegij, betonicæ añ. m. j. florum chamæmeli, meliloti. añ. m. ß. ſeminis anethi, aniſi, fœniculi, pæoniæ añ. p. j. polypodij quercini ℥. j. ſeminis carthami ℥. ß. coquātur in aqua, & excolato addātur olei chamæmelini. anethini añ. ℥. j. ß. diaphœnici ℥. vj. ſalis ℈. iiij. ſubmittatur uētriculo uacuo. Vſurpēt frequēter conſeruā anthos (ea eſt è floribus roriſmarini) ſtichadis, ſaluiæ, mētæ, diamoſchū, diambrā, aromaticū roſatū, caryophyllatū, diatriūpiperum, diacalamynthā, theriacā, mithridatū, zyngiber conditū, nucē myriſticā, inulam, calamū aromaticū. Aut fiat electuariū ꝑ hac forma: ℞. cōſeruæ Curatio.

anthos ℥.ij. conseruæ stichadis ℥.j. zyngiberis uiridis, inulæ conditæ añ. ℥.ß. diacinnamomi, diamoschi añ. ℥.iij misceantur: in ore uersent, dentibusq; molant, ac inde glutiant cinnamomum, macer, caryophyllos, carpesium, zedoariam: gargarissent decoctum saliuæ, rutæ, pegani, sampsuchi, saturegiæ, libanotidis. Auribus indatur oleum nigellæ, castorei, lauandulæ. Sincipiti infundatur oleum laurinum, irinum, costinum. Quod si efficaciore præsidio indiges, eoq; quod magis calefactat, oleis ipsis admisceatur piper euphorbium, sinapi, eruca, pyrethrum, struthium, aut huiusmodi unguentum conficiatur: ℞ unguenti marciaton ℥.j. olei rutæ, laurini añ. ℥.ß. pulueris caryophyllorum ʒ.ß. xiloaloes ℈.ij. moschi grana iij. Aut ceratum pro hac forma: ℞ ladani ʒ.iij. styracis calamitæ ʒ.ij. radicis iridis ʒ.j. florum anthos, stichadis añ. ʒ.ß. seminis nigellæ ℈.j. olei mentæ ℥.j. olei nardini, laurini añ. ℥.ß. terebinthinæ & ceræ quantum satis sit, sincipiti applicetur. Quinetiam utiliter adhibetur spõgia ex aqua uitæ madida. Mane experrectus, & à somno consurgens comam horsum, uorsum ac in omnem partem pectine sæpius reducto sarriat. Calefacta quoq; lintea capiti innixis manibus apprimantur, quo beneficus calor interius peruadat. Et magnificè iuuerit, si hæc perfumentur

tur uaporibus iuniperi, lauri, rorismarini, maioranæ, lauandulæ. Quod si impendia non recusat, pastilli in suffitum pro hac forma adaptentur: ℞ ladani ℥. j. xiloaloes crudi ℥. ß. styracis benzoi, mastiches, thuris añ. ʒ. ij. caryophyllorum, cinnamomi, maceris añ. ʒ. j. seminis nigellæ, cardamomi añ. ʒ. ß. mentæ, rutæ, thymi, lauandulæ añ. ℈. j. galliæ moschatæ ℈. iiij. cum mucilagine tragacanthæ ex uino aromatico conficiantur pastilli prunis inijciendi. Sed ne sis nescius, aromata ex cineribus suffita acrius, diutiusq; olēt, quàm ex igne, ignis eorum uires celerrimè dißipat, & absumit. Nec huiusmodi studium statim intermittendum, aßiduitate enim quamuis contumax malum superatur. Vt omnia secundum rationem factitanti non licet ad aliud transire (& si non succedat secundum rationem) stante eo, quod à principio uisum est: ita nec prudentis fuerit artificis protinus animum despondere, si non ad prima claßica profugiat hostis. Iterum atq; iterum confligendum, donec tua sit Lauinia coniunx. Embrochis præterea locus nequaquam postremus debetur, nonnulla tamen in crebritate noxa timetur. Impasto caput lauetur decocto saluiæ, rutæ, pegani, lauri, rorismarini, & probè exterso sacculus inducatur pro hoc modo. ℞ florum chamæmeli, meliloti, anthos, stichadis añ. p. j. serpilli,

Suffitus.

Aromata ex cineribus acrius olent.

Auxilia sūt continuāda

pulegij, calamynthæ, ſampſuchi añ.p.ß.maceris, caryophyllorũ, cubebarũ, ligni aloes añ.ʒ.ß. corticis citrei ſiccæ ℈.ij.nigellæ ℈.j.contundantur, & conſuatur ſacculus filo reticulatim interiecto. Pedum plantæ (cuius ego periculum feci) inungantur oleo coſtino, nardino, irino. Naribus ad olfaciendum ex calidis odoribus pomulum ſæpicule obtrudatur, dicibile non eſt, quantum & quàm præſens præſidium capiti id adferat. Eorũ enim defluuia, & tenues exuuiæ omnem cauitatem peruadunt, in omnes lacinias perſidunt, cerebro quoq;, ipſiusq; ſpiritibus preſsius illabuntur, pro hac forma: ℞ origani, pulegij, thymi, rutæ añ.p.j.radicis iridis ʒ.ij.caryophyllorum ʒ.j.ſeminis augellæ, maioranæ añ.℈.j.galliæ moſcatæ ℈.ij.puluerifentur, & puluis in ſerico rubro ligetur. Ex conſenſu ſi feruet intẽperatura, membrum ægrum primitus reſtituatur, deinde ad capitis uiolatam conſtitutionem pro modo explicato properandum erit.

Odoramenta mirificè cerebrũ iuuant.

CAPVT TERTIVM DE DOLOre capitis ex intemperatura ſicca.

Siccitas quum offendit, plerunq; ſceleris atq; iniuriæ comitem ſecum trahit ſupra naturæ modum, aut calorem, aut frigiditatem. Permanere

nere (inquit Galenus) ſiccitas per ſe, nequaquam mutata oppoſitione, quæ ex calido & frigido cõſiſtit, nõ poteſt. Quapropter enixiorem operam adhibere cõuenit, priuſquam altius figatur. Hãc porrò indicant dolor perſcribilis, naſus compreßus, & nulla ipſius pituita, oculi caui, duri, et aridi, tempora aſtricta, frons intenta, faciei ſqualor, paucitas ſaliuæ, in uigilias prõptitudo, acres animi affectiones. Signa.

Accidit huiuſmodi intemperies, aut ex immodico ſanguinis effluuio, aut ex immoderata alui deiectione, aut ex ſudoris exuperantia, ex tabe, ex Venerei congreſſus crebritate, ex inedia, ex diuturno labore, ex febri, ex ſolis æſtu, ex thermis, ex uerſandi conſuetudine circa ignem, ex feruidis, & ærumnoſi animi perturbationibus, ex his omnibus, quæ arefaciunt, aßiccant, torrent, & naturæ humidum depopulantur. Cauſæ.

Curatio unum habet modum, oppoſitam uidelicet qualitatem inducere. Sed commodus uictus imprimis præſtituatur: nullum enim eſt tam potens & efficax morborum remedium, quod uires ſuas explicare poteſt in ſalutem, quam pollicetur, ſi ratione uictus aut non adiuuetur, aut conturbetur. Quare huius rei in ſanandis morbis diligens cura habeatur. In aere uerſentur humido, & loca fugiant excelſa, radijſq; ſolis expoſita, Sine commodo uictus remedia nihil poſſunt.

montes

montes, montium iuga, littoraq; arenosa. In ual libus, specubus, hypogeis æstuantiore cœlo sese abdant. In irriguis hortulis, et circa riuulos, fonticulos, & dulcium aquarum decursus, si morbus patitur, animi causa frequentes seßitent. His flatus aquilonius est aduersus, & propitius auster. Cibus confert succulentus, & multum alibilis: inediã fugiant, neq; cum fame luctentur. Pleniorẽ epulationẽ esse conducit: cibus tamen non simpliciter plenior, aptus est humectare, sed quicunq; nullam habet fortem qualitatem, hoc est, neq; acerbam, neq; acrem, neq; salsam, neq; amaram: caro uitulina, hœdina, ueruecina, pulli gallinacei, perdiculi, phasiani, anserculi. Mala est omnis uetus caro, macra, & infumata. Etiã assa frictaúe minus iuuant elixis, quippe quæ aßantur, ac in sartagine friguntur (autore Galeno tertio de alimentorum facultatibus) sicciora sunt, in aqua dulci elixa humidius corpori nutrimentum præbent. Pisces sunt innocentes. Nec officiunt fugaces fructus, cerasa, mora, persica, modo nimia ingluuies non pariat noxam. Salubres sunt ex oriza pulticulæ, ex alica, ex hordeo, ex amygdalis, ex iusculis elixarum carnium, ex deciduis & eliquatis guttulis assantis carnis, ex contusis pulpis caponis, aut gallinacei pulli. Quinetiam recentia oua utiliter adhibentur, sorbilia, mollia,

Cibus humectans.

caseus

caseus nuperus, butyrum, saccharum. Offendunt secundarius panis, & bis coctus, oua frixa, antiquus caseus, quicquid aridum, & exuccum est. Vinum bibant tenue, aqueum, aut aquatum, cum siti nequaquã belligerent, sed mediocri uino madeat cibus. Prolixiore somno utantur: Venerem auersentur: exercitia laboriosa uitent. A thermis & sudationibus temperent: natationes in egelida, dulciq; aqua conducunt. Animo sint bene affecto, gaudeant, & lætentur, Spiritus tristis exiccat ossa.

Medicamentis non admodum uarijs indigemus: sincipiti infundatur oleum amygdalinum, uiolarum, sesaminum, nenupharis, lini, pingue uitulinum, anserinum, gallinaceum, butyrum infulsum, œsypum. Natura solers, & suorum operum sapientißima, in hoc suturas capiti molita uidetur (uisum tamen uiri caput sine ulla sutura Aristoteles testatur libro primo de natura animalium) ut quod medendo cerebro inducitur, promptius penetret, ac in ipsum potentius peruadat. Profecto nihil æstimandum aliter efficeret pharmacum, quod extrinsecus adhibetur, nec ullam opem ferret uisceri tam duro operimento circumuallato. Proinde sincipitis suturæ (coronariam uocant) diligenter infricanda sunt, ex quibus adminiculum expectamus: quippe hæc regio

Curatio.

Capitis suturæ ad quid utiles.

gio non solum qualitates intro transmittit, sed substantiam quoq; medicamenti, ea modo tenuis sit, nec craßior nec glutinosior. Rarißimum hoc in loco cranium esse constat, & cerebri subest plurimum. Auicenna inquit fen prima tertij, tractatu secundo, capite decimo: Quũ uis supra caput ponere aliquid, cuius uirtus penetret ad interiora capitis, non est tibi necessarium nisi anterius cerebrum, sicut sciuisti, & ubi est commißura coronalis, & apud sinciput. Apud utramq; enim confidis de penetratione huius, quod penetrat. In posteriore uerò cerebro, quoniam os, quod ipsum continet, est durius illo, nõ penetrat illud, quod penetrare ad cerebrum necesse est: sis autẽ contentus parte anteriori, & tonsione sincipitis. Embrochæ adhibeantur ex lacte recens mulcto, aut ex decocto hordei, seminis lini, fœnigræci, maluæ, cotoneorum, capitis & pedum uitulorum, agnorum, hœdorum. Aut tale concinnetur fomentum: ℞ florum uiolarum m. j. florum chamæmeli, melitoti añ. m. ß. radicis altheæ ℥ ij. radicis liliorum alborum, radicis buglosi añ. ℥. j. seminis lini, maluæ, fœnigræci añ. ℥. ß. coquantur in iure carnis uitulinæ: & iteretur hæc affusio ter, quater quoq; die, manu ab alto instar irruentis imbris, eam infundente. Qualitas hæc difficulter cedit, ac superatur. Minori sanè negocio quid

quid arefit, quàm humectetur intrinsecus, statim ab irrigatione caput perungatur butyro recenti, & circumueletur lana succida, & illota. Aut cæratum conficiatur pro hac forma: ℞ unguenti di altheæ, olei lini añ. ℥. j. butyri recentis sine sale, medullæ crurum uituli, añ. ʒ. vj. pinguedinis anseris, gallinæ œsypi añ. ℥. ß. cæræ quantum satis sit, naribus tepidũ oleũ indatur, lini, sesamini aut amygdalinum, per eas quoq; trahant fœmineum lac, aut cremorem ptisanæ, aut aquam saccharatam, aut hydromel, gargarissent decoctum hordei, glycyrrhizæ, lactucæ, maluæ, passularum, caricarũ, iuiuben (zizipha uocant) sebesten (mixa dicũt) mellis uiolati. Ab epulatiõe atq; etiam impasti assumant frustulum conseruæ boraginis bugloßi, uiolarum, nympheæ, aut diatragacanthi, diapenidij sine speciebus, electuarij resumptini. Aut tale eclegma præparetur: ℞ amygdalarum dulcium decorticarum numero xv. pinearum recentium numero xx. seminum frigidorum mundatorum añ. ʒ. ij. seminis papaueris albi ʒ. iij. macerentur hæc horulas aliquot in hydromele, postea in mortario marmoreo tundantur, & adde passularum mundatarum ℥. ij. corticis citrei conditæ, carnium dactylorum añ. ℥. j. butyri recentis sine sale, mellis uiolati añ. ℥. ß. uitellum recentis oui unũ, succi glycyrrhizæ ʒ. ij. sacchari candidi

Facilius q̃d arescit, q̃ humectatur

didi quantum satis sit, cum pauxillo aquæ rosatæ secundum artem fiat mistura. Aliud ℞ conseruæ florum boraginis, buglossi añ. ℥. j. conseruæ uiolarum, looch è papauere añ. ℥. ß. diatragacanthi frigidi, diapenidij sine speciebus añ. ʒ. vj. sacchari rosati ℥. ß. specierum electuarij resumptiui ʒ. j. concorporentur cum melle uiolato. In hunc usum mirificè ualent potiunculæ (quas iuleb uocamus) ex aquis nenupharis, boraginis, buglossi, rorissolis, maluæ, lactucæ, caprifolij, cum saccharo, & luteo recentis oui, aut decoctũ hordei cũ passulis, & glycyrrhiza. Aut districtum ex contusis seminibus cucumeris, cucurbitæ, melonum & citrulorum, aut aqua saccharata, aut hydromel, & dilucius oxycratum. Pipulas bechicas assiduè mandant ac glutiant.

CAPVT QVARTVM DE DOlore capitis ex intemperatura humida.

Capitis noxa ex humiditate conciliata nõ apte ex dolore conijcitur, quem hæc qualitas nullum efficit, aut tã exiguum, ut citra grauius incommodum facile feratur. Quin à medico, quia magnopere non offendit, nisi tristioris uitij formido urgeat, contemptibilis posthabetur. Paulus inquit, uehementissimi capitis dolores ex

factiuis

factiuis qualitatibus nascuntur, & potißimum caliditate. Humida qualitas suijpsius respectu, nullum planè dolorem ingerit, nisi caliditati aut frigori, aut humorum copiæ adiuncta sit. Huius tamen nequaquam obscura extant indicia: Principio enim neruorum humectato necessum est uoluntarios motus debilitari, & ueluti in seipso dissolutum hominem uideri. Visus quoq; & auditus non quiescunt, modoq; hoc, modoq; illud sibi uidere, & audire existimant. Nares læues existunt, frons mollis, palatum uuidum, labia demissa, in soporem procliuitas, memoria fluxa, animus solutus. Signa.

Contrahitur hoc uitium ex consuetudine uersandi circa flumina, lacus, uliginosa & humentia loca, ex pluuioso cœlo, ex multa niue, ex flatibus Austrinis, ex corporis immotione, ex umbratili uita, ex inerti somno, ex crebris natationibus, ex humidiore uictu. Causæ.

Curandi ratio simplex est, neq; alijs præsidijs egemus, quàm contraria qualitate præditis. Humiditatis excessus opposita siccitate sanatur: quapropter humilia & subterranea loca fugiãt, in excelsis & perflatis habitent: aer lucidus & serenus his conducit, noxius est uaporibus, & halitibus amnium, fluuiorum, fontium madescens. Victus confert tenuis (famem inquit Hippocra- Diæta.

tes, humidas carnes habentibus adhibere conuenit, ingluuiem igitur ſubſtringant citra ſaturitatem. Carnes aſſæ præſtant elixis, ueruecina, bubula, ceruina, cuniculina, leporina, uolucrina, et animantiũ iugi labore eſcam quæritãtium. Aues cohortes, et in breuioribus ſeptis ſaginatæ, quia humidius nutrimẽtum præbent, inſalubres ſunt. Auerſentur agninam, uitulinam, & eam, quæ eſt lactentium porculorum, adeoq; omnium à paritura madentium, nec iuſtam incrementi magnitudinem adhuc implentium. Quòd ſi ueruecinam, bubulamúe dieculas aliquot modico ſale conſperſeris, facto parata eſt uenia: præter enim ſaporis gratiam, tollendo uitio commodiores erunt. Salis natura & ignea eſt, & aſtringens, et egregiè aſſiccant. Puluis condiendis cibis pro hac formula concinnetur: ℞ ſalis candidi ℥. iij. cinnamomi ℥. j. gingiberis ʒ. ij. coriandri præparati ʒ. j. galangæ, cubebarũ, maceris, nucis moſchatæ, macropiperis, caryophyllorum añ. ℈. j. cardamomi croci añ, ℈ ß. Piſces præſertim recentes ſummopere officere nemo neſcit. Quippe qui carnẽ habent aquoſam, ſanguinem generant præhumidũ. Quum in uſum trahuntur, in craticulis torreantur ſubiectis roriſmarini, aut ſampſychi ramuſculis. Salſamenta minus offendunt. Ex oluſculis iuuant maiorana, thymus, ſerpillum, ſaliua, ſatu-

regia

petroselinum (apium dicunt) lapathum, blitum. Ex fruticum turionibus, rubi, uitis, sentis caninæ, asparagi. Ex fructibus arantias, limones, citrangulos, mala punica, citrea, pruna, oleas, capparim. Ex liquoribus acetum, & omphacium. Pane uescantur secundario, & bis cocto, ptisanam bibant, aut tenuem ceruisiã, aut aquatius uinum. Hippocrates libro tertio de Ratione uictus in morbis acutis: ubi timueris ne uel caput uehementer grauetur, uel mens tenetur, tũ uel aquam uel aquosum uinum, & album, & haudquaquã odorum exhibere oportet, deinde paulum aquæ superbibere: sic enim uini potentia non tam facilè caput, & mentem attinget. Galenus Aphorismorum secundo, commento undecimo, Aquosa, inquit (sic autem nominant alba, & tenuia) sicuti aquæ similem formam habent, ita etiam uim, quare urinam cient, & minimè nutriunt. Crassa & colore rubea plus alimenti habent. Inest autẽ eis citißimè corpora implere. In aere uersentur lucido, sereno, in frigidum ac siccum uergente. Ex flatibus inimicus est auster. Vitent utriusq; syderis radios. Exercitia auersentur, nisi corpus inedia, & congrua uacuatione inanitũ fuerit, tum & balneis, & fricationibus, & ijs, quæcunq; exhalationem conciliant, locus erit. Venter quotidie onera reddat, assuefacientibus nobis ea cele-

riter pessum impellere, quæ assumpsit, priusquã in uenas digerantur. Parcè dormiant, duriter cubent. Animum nonnihil exasperet suspensio, ambiguitas, & in rerum cursu nonnulla offensio.

Curatio.

Curandi ratio uenæ sectionem postulat, hæc (au tore Auicenna) uniuersalis est euacuatio, ac plenitudinẽ tollit. Quapropter si hoc malum fœminam corripiat, cui menstrua profluuies non probè excernitur, & conspirabiles loci offensam exasperant: aut si uirum inuadat, cui præter consuetudinem hæmorrhoides supprimuntur, statim et ab initio iuxta malleolum uena fodiatur, qua parte plurimus dolor infestat. Sanguinem detrahito pro exundantiæ, & roboris modo. Intẽtio quantitatis euacuationis non solum humorem respicit superabundantem, sed & uires hominis, qui debet euacuari: deinde cruribus palustres testudines, aut cucurbitulas affigito. Quòd si hac necessitate non urgemur, & turgeant uniuersi corporis uasa (non ex uastitate, & pinguitudine corporis, sed ex tensione & amplitudine uenarum plenitudo metitur) quæ est in flexura dextri brachij media uulneretur: mox ab hac humeralis. Hæc recta & è regione procedens certam, & præsentem opem pollicetur. Tum scapulis altius scarificatis cucurbitulæ inijciantur. Quod si immota persistit affectio, neque hisce detractionibus

Corporis uastitas nõ significat sanguinis copiam.

regia, ruta, tarcum. Vitent lactucam, portulacã, blitum, ſpinachium, atriplicem, intybum, pulticulas quoq;, & ſorbitiones, & iuſcula, & offulas liquidiores. Ex fructibus utantur oleis è muria, & cappari ex oxymelite. Siti nequaquam le nocinentur, nec omnem ſtatim bibentes expleãt. Vinũ candidum, aut ſubrubrum, uermiculumùe, mediocriter acerbum potent. Impaſtis exercitia auxiliantur. Vigiliæ ſomnum excedant, neq; ſaturi protinus ad culcitram deproperent. Animi affectiones adacuant. Ab epulatione, quo cibus in imum uentris cogatur, medicamentum aſſumant, quod ex ſucco malorum cotoneorum, aut ipſis malis elixis, & per cribrum diſtrictis conficitur (diacydoniten uocant) quin hoc remedio cauetur, ne uapores ſurſum, contracto ſtomacho, in caput ferantur. Tragema in hunc uſum, ℞ panis bis cocti ℥.ij. diarhodi abbatis, aromatici roſati añ. ℥.j. diatriũpiperei ℥.ß. coriandri præparati ʒ.ij. commiſceantur, cuius cochlearium à paſtu capiat. Mane experrecti, & à ſomno conſurgentes manus lauent decocto frondium lauri, iuniperi, roriſmarini. Ipſum caput ebeneo pectine ſeu guaiacino multum diuq; pectant, & calefactis linteis in ruborem uſq; defricẽt, uti calor in eo excitetur, qui paulatim inauctus aſsiccare queat. Poſtea irinum oleum, aut coſtinum aut lauri-

num infundatur. Vnguentum pro hac forma idoneum. ℞ unguenti marciati ℥. j. olei irini, nardini, lauandulæ añ. ℥ ß. xiloaloës ℈. ij. caryophyllorum, maceris cubebarum añ. ℈. j. ceræ quantum satis sit. Quòd si displicet unguentum, neq; libet caput oleo imbuere, sacculus apparetur ex pulegio, calamyntha, betonica, saluia, origano, ruta, thymo, serpillo, sisymbrio, floribus anthos, stichadis, ex milio torrefacto, ex sale tosto, ex macro furfure, ex cinere cauliũ braßicæ, aut sarmentorum uitis, ex guaiaco in scobem lima, serráue comminuto, in hunc modum: ℞ foliorum betonicæ, lauri, saluiæ, maioranæ añ p. j. cinnamomi ℥. ß. nucis myristicæ, cubebarum, lignialoes, caryophyllorum añ. ʒ. j. styracis. ladani, benzoi, sandaracæ añ. ʒ. ß. seminis sinapi, erucæ, cardamomi añ. ℈. j. in serico rubro fiat sacculus. Nec in balneis, nec in embrochis ulla est utilitas, nisi salis aut nitri uires referant. Gargarissent decoctum rutæ, cunilæ, nucis moschatæ, pæoniæ, calami odorati, agallochi, inulæ, iridis. Sumant cõseruam anthos, stichadis, mentæ, melissophylli, zyngiber cõditum, diambram, diamoschum, diacarpesium, diatriumpiperum, theriacam, mithridatum. In ore crebro uersent ac mandant cubebas, caryophyllos, macer, cinnamomum, zedoariam. Odorent nigellam aut ex aceto sandaracã,
aut

aut galliam moſcatam. Suffimenta ex ſecundo capite petantur.

CAPVT QVINTVM DE DOlore capitis ex ſanguinis copia.

QVum ſanguinis copiam capiti dolorẽ conciliare dicimus, non aliud innuere uolumus, quàm adauctam plenitudinẽ aut excreſcentes humores ipſius doloris eſſe cauſam. Hanc loqutionem ex commentario Galeni de plenitudine mutuauimus, in quo ſic habet: Non poteſt fieri, tam exactè ſanguinem in uenis interim contineri, ut nihil bilis, uel pituitæ, uel ſeroſæ ſaniei inſeratur. Vnde nos in ſuperioribus idem accipi uoluimus, ſiue humores, ſiue ſanguinem abundare diceremus: quippe immixtus, & ab alijs humoribus ſyncerus ſanguis nunquam in uenis cõprehenditur. Demonſtratum eſt alibi de mixto nihil referre, humores an ſanguinem appelles, non tamen qualibet, ſed mediocri quadam menſura alijs ei admiſtis, idq́; in animalibus naturali habitu præditis. Vniuerſis enim in ſymmetria adauctis cum ſanguine, quem excellentiæ uocabulo notamus, idem ſignificat humorum nomen, nullumq́; diſcrimen eſt, humores auctos, uel ſanguinem dicere: quum oratio innuat humores, idipſum omnino ſibi uelle quod eſt, pro ueteri portione abundare.

Copia ſanguinis ex humorum abundantia

Signa. Quibus ergo dolor ex affluentia ſanguinis, ſeu humorum inaucta multitudine oritur, his prima ipſius capitis regio, ſincipútue ſupra reliquas partes acrius flagellatur, facies tumidula ſufflatur, & rubore florulento perfunditur: auditus hebeſcit: oculorum quamuis minutæ uenulæ in conſpectum prominent: temporũ uaſa grandes pulſus ædunt: frontem leuis, ſuauìſq; prurigo clementer morſicat: oris ſaliua dulceſcit: ad corporis commotiones pigri deſident: in ſopores prompti: diutius uigilare nequeunt: ſomnia uident amœna & oblectantia, niſi admodum magna incumbat oppreßio, & in qualitate uitium ebulliat: quod tam immoderatum, atq; ingens feruere poſſet, ut non plenitudinis uocabulo, ſed cacochymiæ ipſa exundantia cenſeretur. Quemadmodum in hac ſuccorum confuſione, quum ſanguis ſupra ſuam proportionem, & quam ſeruare debet iuſtitiæ, non ponderis, æqualitatem, abundat plethora dicitur, quam in hoc quoq; capite cõprehenſam uolumus.

Plenitudo cacochymia plethora.

Cæterum exundantiæ, ac plenitudinis cauſæ multiplices ſunt: quas inter primaria laudatur, ipſius corporis interna conſtitutio: nempe ſi uacat, cœtum mortalium ob oculos ponere, plurimos ſic affectos ex primigenia temperatura complexies, ut ex quouis eſeulento, & quamuis negligentiore

gentiore

nibus minuitur, è proximo deriuandus est sanguis, & in angulis narium uenæ concidantur, aut etiam ea quæ in media fronte tenditur. Hæc à reuulsione tempestiua nunquam me fefellit. Galenus ait, quando calidus sanguis, ac uaporum plenus ad caput descendit, huic uitio saluberrimum excogitatum est medicis remedium, ut ipsa percutiatur arteria. Oportet autem deraso capite curiose tangantur, tum quæ retro, tum quæ secundum utranque aurem sunt arteriæ. Præterea quæ in fronte, & quæ in temporibus sunt. Quarum quæ calidiores apparebunt, ac maiorem quàm aliæ exhibentes pulsum, hæ sunt incidendæ. Post hæc curanda est aluus, ut cita sit, & epulationi quotidianæ respondeat. Quòd si astrictior fuerit, neque excrementa sponte reddiderit, statim submisso balano irritetur, aut enemia infundatur, pro hac forma: ℞ mercurialis, betæ, maluæ, altheæ añ. m. j. seminis maluæ, lini añ. p. j. prunorum numero x. passularum mundatarũ ℥. ij. seminis anisi, fœniculis añ. p. ß. folliculorum sene ℥. j. coquantur in aqua, et excolato addantur olei uiolarum, anethi añ. ℥. j. ß. caßiæ recens extractæ ℥. j. salis ℈. iiij. Aliud: ℞ fumiterræ m. j. boraginis, buglosßi, lapathi añ. m. ß. florum chamæmeli. meliloti, seminis, anethi añ. p. j. passularum mundatarum,

m. j.

m.j.caricarum numero vj. polypodij quercini ℥.j seminis carthami ʒ.iij.furfuris m.j. coquantur in iure carnium, & colaturæ immisceantur olei, butyri recentis, mellis despumati añ.ʒ.j.salis ʒ.ij.subijciatur stomacho uacuo. Syrupos capiant aßiccantes, & refrigerantes, quales conficiuntur é succo malorum granatorum, arantiarum, limonum, citrei, acetosus simplex, oxysaccharum. Quinetiam hos distillatis aquis commiscere licebit, et iuleb uocatas potiones parare. In hunc usum utiles sunt endiuiæ, scariolæ, acetosæ, scabiosæ, fumariæ, lupulorũ, cuscutæ, cichoreæ, maluæ, boraginis, buglosßi, absinthij, farfaræ fœniculi, pro hoc modo: ℞ aquæ fumiterræ fœniculi añ.℔.j.syrupi, capillorum Veneris, oxysacchari cõpositi añ.℥.ij. Aut aposema cõcinnetur huiusmodi: ℞ florum boraginis, buglosßi, uiolarum añ.m.j.florum cichoreæ m.ß. rosarum rubearum p.j.seminis melonum ʒ.ij. seminis endiniæ, scariolæ, acetosæ añ.ʒ.j.absinthij Romani, centauri stichadis añ.p.j.coquantur & colaturæ ad ℔.ij. adde syrupi (serapij dicunt) acetosi simplicis ℥.iij.é Bizanzijs.℥.ij.post hæc propinetur purgatiuum: caßia fistularis, manna, tamar Indorum, myrobalani, diaphœnicum, diaprunum, diacatholicum, electuarium lenitiuum. Aut dilutum pro hoc modo: ℞ rhabarbari ℈.iiij.

agarici ʒ.ß. epithymi ℈.j. maceris, ſpicæ an̄. grana vj. macerentur in uncijs tribus aquæ abſinthij, & duabus ſucci fumiterræ, expreſſo adde caßiæ recẽs extractæ ℥.ß. diagridij grana ij. Aut ℞. ſummitatis lupulorum m.j. capnij m.ß. abſinthij Romani p.j. prunorum numero ix. paſſularum purgatarum ℥.j. ſeminis aniſi, marathri, an̄. ʒ.ß. coquantur, ſub finem cocturæ adijce folliculorum ſenæ ℥.ß. huius excolati ℥. iiij. immiſce diaphœnici ℥.ß. ſalis gemmæ grana iij. Aut pilulæ exhibeantur è hiera, aſſayeret, aureæ. Deinde offerantur conſerua roſarum, nenupharis, florum cichoreæ, cortex citrei, arantiarum, myrobalani conditæ, diarhodum, diamargaritum frigidum. Aut huiuſmodi eclegma: ℞ conſeruæ roſarum ℥.ij. conſeruæ capillorum Veneris ℥.j. radicis inulæ conditæ, corticis citrei conditæ an̄. ℥.ß. ſpecierum diarhodi abbatis ʒ.j. concorporentur. Capiti inducatur oxyrhodinum, aut metinum oleum nec ſine aceto. Quòd ſi æſtuantius fuerit cum ſucco cedere, uirgæ paſtoris, plantaginis, mucilagine pſyllij, & cinere cornu cerui. Sed hæc poſt uenæ ſectionem, aut ſpontaneã ſanguinis uacuationem, quæ perſæpe optatam ſalutem attulit. Galenus inquit commento tertio in librum de morbis uulgaribus tertium: ne fouere quidem, & lenire ante corporis uacuationem partes

partes dolentes licet: nam sæpe pars affecta omnino ob ea remedia allicit humorum affluentiam. Inde conferunt oleum anethinum, chamæmelinum, susinum, & ea quæ discutiunt. Sacculus apparetur ex floribus chamæmeli, meliloti, stichadis, maiorana, anetho, betonica, milio, furfure, sale, cinere, cauliũ braßicæ. Aut ℞ florum camomillæ, meliloti, rosarum rubearum añ. p. j. milij, salis torrefactorum añ. m. ß. cineris sarmentorũ uitiũ p. ij. corticis citrei siccæ, agallochi añ. ʒ. j. furfuris macri. p. j. fiat sacculus cancellati intersutus, irrigationibus caput perfundere haud admodum tutum fuerit.

CAPVT SEXTVM DE DOLOre capitis ex succo bilioso.

Qvum capitis dolorem bilis ingenerat, is dolor acrius sensum lancinat, & altero quoq; die (qui est huic humori ad agitationẽ magis proprius) acerbior incrudescit. Vigens est ætas, facies flauet, oculi pallent, lucem refugiunt, eorumq; radices, ac interiores tuniculæ tristius affliguntur, potißimum affectus si insideat membranulis cerebrum contegentibus, si uerò in pellicula, seu carne cranium extrinsecus complectente hæreat, secus habet, nares stringuntur, & feruidum

Signa.

gentiore uictu belle proficiant, paruo in discrimine habẽtes, atró ne an cãdido pane uescantur, nõ carne magis q̃ pisce, nec olere minus quàm lacte pinguescunt: quicquid obieceris, promptißimè in alituram transmittunt, obesi, pandi, uentricosi prouerbio negant locum: in omni copia inesse inopiam: contrà uidere est alios tam iniqua crasi & uitiosa habitudine præditos, quos etsi magno studio, & exquisitißimis epulis quotidie expleueris, nihil tamen effatu dignum præter operæ et impensæ iacturam, lucrifeceris. Semper exangues, tenues, squalẽtes emacrantur: nec ijs (quod est in parœmijs) oculus regis pascit equũ. Facit autem, ne pascatur, constitutionis malignitas. Illis porrò si pro genio dulciter uiuere permittitur, & edulijs huberes succos gignentibus affluenter frui, quis dubitabit de aggestæ plenitudinis æstu? His si accedat solitæ exercitationis intermißio, & sedentaria, umbratilisq; uita, consuetarum uacuationum suppreßio, animi profunda securitas, eximium uidebis Epicuri de grege porcum. Contingit autem hanc humorum turbam in regione capitis ebullire: quoties ipsum caput aut ex aliqua mentis agitatione nimium incaluit, aut ex uicinia ignis, solisue ardore iniuriam accepit, aut ex ualida commotione quassatum est, aut ex acribus calidorum odoramentorum fumulis

Primigenia temperatura habitus torporis est causa.

Epicureus porcus.

inferbuit, aut ex multis meracioris uini, uaporibus incanduit, aut quum ex huius generis quopiam conturbatur.

Ratio uictus in frugalitate & temperãtia cõsistit, ut quos nimia saturitas offendit, tempestiua inedia sanet. Magna in eo est semper, nec officium id ignaua suspendit, quin pro ingestorum modo quantum ualet, coctionem, distributionem, sanguinis generationem operetur. Subtrahendum ergo huic benignæ curatrici, in quo tã pulchre luxuriatur, & nobis sedulitate peccat, detrahere quidem oportet de nutrimenti, uel quantitate, uel qualitate, uel de utraq;. Qui celeriter grandem abundantiam coaceruant, his de utraque demptum esse conducet: qui tardius, ijs alteram castigasse sat erit. Quó nam modo in quantitate id fiat, neminem latet, de qualitate minuitur, quum exigui nutrimẽti cibus apponitur. Pleniorem igitur epulationem fugiant, neq; in multam noctem pergræcentur, geniumq; curent. Carnes nequaquam attingãt uitulinas, hœdinas, ueruecinas, gallinaceos pullos, capos, phasianos, & generis huius succulentiores, quæ corpori multum adijciunt. Auiculas edant campestres, et montanas, quæ iugi labore escam quæritant: assis utantur, magisq; frictis, tostisúe: pisciculos comesse licet, & ex olusculis, maluam, spinachium,

Dieta.

petroselinum

uidum ſpiritum proflant, excrementis uacant, ob amareſcit, lingua ſublutea ſqualet, fauces inareſcunt, corpus tenue eſt, ac macilentum, uita ſolicita, animus præceps, ferox, temerarius, uigilijs multis diſtinentur, & ſi quando dormiunt, occaſione facili expergiſcuntur. Galenus ait, calidi ſucci & mordaces, uigilias inducunt, etſi quis ſomnus obrepit, is uarijs imaginibus turbatur, ſicut ſtatim interpelletur. Iam hanc ſyndromen, & ſignorum congeriem haud eſt neceſſum ſemper, & ubiq; in omni dolore, quem bilis capiti conciliat, concurrere, ſed ex his multa, aut primaria ſi coeant, ſat erit.

Malum ipſum concitat, aut præferuida temporis conſtitutio, aut immoderatus labor, aut thermarum frequentior uſus, aut longa, & quotidiana uicinitas ignis, aut uictus calidior, & alliorum, ceparum, ſinapis, erucæ, aliorũq; adurentium crebrior eſus: cordis quoq;, aut hepatis infamis intemperatura, aut acris fames, aut peruigilium, aut uehemens ac diutina mentis intentio, aut aliud quicquam incendere natum. Cauſæ.

His frigidus & humidus aer ſalubris eſt. Semper enim ſectanda eſt in qualitatibus contrarietas. Galenus ait libro tertio de Curandis morbis: inſpicere etiam conueniet circundantis nos aeris temperiem. Nam ueluti medicamentum Diæta.

quoddam

quoddam is quoq; corporibus nostris incidens, ubi immodicus calore aut frigore est, sanationem moratur. Quocirca si ob æstuosi temporis, seu regionis inclementiam uoto minus respondeat, omni industria, ac cura eum commitigabimus, spargentes per cubiculum salices, iuncos, rosas, uiolas, nympheam, pampinos, aliaq; germina, quæ humectent, & frigefaciant: elixis potius, quàm aßis utantur, nec quicquam aromatum illicio commendatum attingant. Sed cibos suos condiant lactucis, spinachijs, oxalide, portulaca, malua, boragine, buglosso, uuis acerbis, omphacio, aceto, arantijs, citrangulis, prunis. Galenus ait libro secundo de Alimentorum facultatibus, capite ultimo: Acrium omnium aßiduus usus est euitandus, præsertim ei, qui naturæ est plus æquo biliosæ. Quoniam quidem solis pituitosum humorẽ, aut crudum, & crassum, & glutinosum colligentibus huiusmodi edulia sunt accommodata. Ex piscibus fugiant magnos, præpingues, & ex inertibus aquis protractos. Præstant saxatiles, qui candida, & fribiali carne sunt. Ex pulticulis commodißimus est ptisanæ cremor, qui refrigerare, ac humectare, & sine siti seruare hominem potest. Proxima est ex alica, cui paululum aceti iniectũ sit, & inspersa aliquot punicorum granula. Aut aquæ à multa ebullitione sufferuidæ luteum recentis

Acrium usus quibus noxius.

centis oui incutiatur, infriato pane & addito saccharo, & saporis gratia omphacio conciliata sorbeatur. Auersentur lac, lactaria, bellaria, & quæcunq; melle uitiantur. Inedia ijs aduersissima est, nec cum siti decernant. Ceruisiam bibãt tenuem, aut ptisanam, aut aquam modicè sacchatam, uinumúe candidum, inodorum, dilutum. Galenus inquit duodecimo de Medendi methodo: neq; inuenies ex alborum uinorum genere calidum ullum. Id ad omnia utilius est, quàm aqua, utpote quod & concoctionem iuuet, & urinas, et sudores prouocet. Exercitia uitent, ac balnea, & quasuis immoderatas commotiones. Attamen curandum est omni ingenio, ut fluxile & undiq; transpirabile corpus reddatur. Ita illud quoque præcipiendum, ut tum uigilias, tum iram, tum tristitiam, tum curam, tum ustionem, tum frigus, tum laßitudinem diligenter fugiant.

Vinum album non calefacit.

Curatio auspicanda est à uenæ sectione, potißimum si multa bilis sanguini infusa sit. Neq; quicquam iuuerit refrigerationem medicamentis tentasse, nisi uacuatio prægressa fuerit. Festinare (inquit Galenus libro nono de Medendi methodo) ad sanguinem detrahendũ oportet. Vbi nanque emitti abundantia postulat, calor autem refrigerari, pugna, discordiaq; oritur inter ipsa sanandi remedia, scilicet ijs, quæ refrigerant: quam

Curatio.

uis temperiem naturæ concilient, ſaltem abundantiam intra corpus continentibus. Secetur autem externa in brachij flexura, aut in pollice manus, ſi non in pedem quid aliud concisionem uocet, ueluti hæmorrhoides, quum ſupprimuntur, aut muliebris proluuies quum reſtitat. Quòd ſi feruens admodum hepatis conſtitutio plurimam choleram gignat, in eo euentu interna primitus fodiatur. Extrahendus eſt ſanguis pro copia redundantiæ, pro uirtutis uigore, & affectionis magnitudine. Hæc tria præcipua ſunt, quæ aut iubent, aut uetant phlebotomiam: poſtea cruribus affigantur cucurbitulæ, atque etiam ſcapulis, præſertim quando noxius ſuccus caluæ ſuturis proximus inſidet, aut in carne, ſeu membranula caluam ueſtiente obhæret: deinde ſi aluus benigna non ſit, nec ſponte excrementa reddat, clyſma infundatur pro hac forma: ℞ herbarum malaſſantium añ. m. j. furfuris p. ij, coquantur, & excolato adde olei uiolarum ℥. iij. caßiæ fiſtularis ℥. j. ſalis ʒ. j. Aliud: ℞ maluæ, uiolariæ, mercurialis añ m. j. florum nenupharis, uiolarum añ. m. ß. ſeminum frigidorum añ. p. j. florũ camomillæ, meliloti, abſinthij pontici añ. p. ß. paſſularum mundatarum ℥. ij. coquantur, & adde colaturæ olei roſarum, ſalicis añ. ℥. j. butyri recentis, ſacchari rubri añ. ℥. j. ſalis modicum.

Quæ uetẽt, aut iubeant phlebotomiam.

Aut

Aut ℞ hordei m. j. lactucæ, ſpinachij, atriplicis añ. m. ß. ſeminis maluæ ʒ. ij. iuyeben, ſebeſten añ. numero x. prunorum paria vj. coquantur in iuſculo recentis carnis, & excolato adde electuarij lenitiui ʒ. vj. olei cucurbitæ, uiolarum añ. ℥. j. ß. ſalis. ℈. iij. Nec latum unguem quis ab artis normula deflexerit, ſi leniculũ pharmacum, ac molliter aluum eluens ſtatim & à principio propinauerit. Quale eſt diaprunum ſimplex, diacatholicum, manna, caßia, ſuccus fumiterræ, roſarum, decoctum mercurialis, ſerum caprinum, aſininũ, bubulum. Sed ualido medicamento ante humoris cõcoctionem uacuare minimè licet, niſi is turgeat: hoc ex præceptis magni Hippocratis eſt, qui in Aphoriſmis iußit concocta medicari, atque mouere non cruda, modo non turgeant. Humores quidem tum turgent, quum uehementiore motu fugaces, & inſtabiles de parte in partem tranſcurſant. Quo modo turgidum dolorem in patientibus locis Galenus dixit, qui à parte primitus affecta, ueluti à radice incipiens, celeriter in partes adiacentes transfertur. Qua inquietudine, & agitatione hominem angunt, urunt, percellunt, ut non paruus immineat metus, ne corporis robur colliqueſcat, ne febris concitetur, aut ſi qua iam concitata ſit, acrior inualeſcat, etiam ne in membrum aliquod principale decũbant, quũ

Molliens aluum in principio nõ offendit.

Humores quando turgent.

per corpus effrenes uagantur. Quapropter & alio loco idem præceptor ait: Medicari in ualde acutis, si materia turget, eadem die tardare enim in talibus malum est. Humores ergo crudos, hoc est (uti ego crudum intelligo) non concoctos, non naturæ citra tumultum moderabiles, & ad excretionem imparatos: quemadmodum libro secundo de Ratione uictus in morbis acutis, crudã bilem quibusdam ex capite, & pectore attrahi dixit. Nec nos morborum principia, quamuis ij ex ardentißima cholera oriantur, cruda dicere, & immatura ueremur, statim & ab initio non procrastinantes grauioris mali formidine exturbamus. Accidit autem hic transcursus uel ob ingentem copiam, uel ob insignem prauitatem tenuis, calentisq; materiæ, quam natura ueluti œstro maligno percita propellere satagit, & uiam pandere fugæ, si qua parte potentior queat. Galenus libro secundo, capite undecimo de Differentijs febrium, Facultas ait, excretiora tunc primum ad actionem suam excitatur, quando aut superuacaneorũ multitudine aggrauatur, aut qualitate molestatur. Sed quoniam indefinitus & uagus est humor, non obsequitur intempestiuo pulsui, nec per conuenientem regionem foras protrudi potest. Quare medico eget adminiculante, & salutarem manũ porrigente, qui præsentem uim adferat

Humores qui crudi.

Causa turgidi motus.

adferat, & horſum uorſum temere fluctuantem extrahat. Illos uerò qui ſunt in aliqua corporis parte firmati, etſi ſint tenues, atq; calentes, quia tamen non turgent, hoc eſt, non commouentur, non tranſcurſant, non rabiunt, nec triſtius incommodum minantur, nullo cathartico laceſſere expedit: nimirum quia crudi, immaturi, intempeſtiui, eos ante coctionem medicari non oportet. Et hic iterum occurrit ſapientis ſenis conſilium: In acutis paßionibus raro, & in principijs medicinis purgãtibus uti, & hoc cũ præmeditatione faciendum. Porrò medica concoctio, de qua medici in ſuis pſalterijs pertractãt, alterationibus perficitur tum in ſubſtantia, tum in qualitatibus peccantis materiæ: idq; opera facultatis uiam tuentis, & nonnunquam prudentis artificis ope. Galenus inquit capite undecimo lib. tertij Artis paruæ: Vitioſi humores, ubi aucti fuerint, generant morbos: intentio uerò ſanationis horum, duplex exiſtit, alteratio, & euacuatio: alterantur igitur aut ab ipſo corpore concocti, aut à quibuſdã medicamentis. Hoc tam eſt clarum, & maiorum documentis conſentaneum, ut prolixiore illuſtratione non indigeat. Quapropter geminum naturæ calorem corroborantia offerimus, quæq; peregrinum illum & externum celeriter comprimant, quæ petulantem tenuitatem fortiter cohi-

Humores crudi & fixi, nõ ſunt mouendi.

Concoctio medica.

Quæ concoquant.

beant, quæ putredinẽ ipſam, ſi qua gliſcit, poten ter extinguãt, quæ uias quoq; laxas, et permeabi les efficiãt. Humores profecto q̃ maximè fieri po teſt, oportet eſſe fluxui paratos, hoc eſt, tenues, ut nullũ lentorẽ participent, et aperta eſſe forami na, p quæ purgatio fieri debet, et nullã habere ob ſtructionẽ: cuius pro mea exiſtimatione hæc eſt ſentẽtia: Curandũ eſt, ut humores tã ſint tenues et nullius lẽtoris participes, ut pharmacis purgã tibus aptè trahi queant, et naturæ opera cõmodè pelli. Sed ſi tã ſunt tenues, atq; ſubtiles, ut aut pe nitiſsimis adytis, aut ſuccis alijs interfuſi, attracti onẽ, ſimul et pulſionẽ fruſtrari queant, cogendi ſunt & moderandi: aliquouſq; eos craſſeſcere oportet, ut ex latebris eruantur, & ab innoxia ſocietate ſegregentur. Non enim bilioſum ſan- guinem trahit rhabarbarum, ſed bilem nũc man ſuefactam, nunc ſegregatam, & ab illa tenuitate depulſam, qua cæteris ſuccis confuſa, & immi- ſta unum corpus uidebatur, ut facile ſine tumul tu, nulloq; negocio ſola ſequatur, his retẽtis, qui ad nutriendum habiles ſunt. Neq; hoc quidẽ len teſcere eſt, & humorem lentoris participem fie- ri. Sic in morbo laterali expuitiones quæcunque ſubflauæ, ſubpallidæ, & ſpumoſæ, & tenues exi ſtunt, euidentem cruditatẽ ſignificant. Sicuti ſpu tum perfectæ coctionis ſignũ eſt, quãdo albũ fue rit,

Tenues humores cogendi ſunt.

Signa cruditatis in morbo laterali.

rit, & leue, et æquale consistentia, neque nimis humidum, neq; nimis crassum. Hoc inquit Galenus, in omnib. inflãmationibus cõtingit, quæ nõ teguntur operculo densiore, uti in ijs, quæ exteriorẽ occupant cutẽ, quandã saniem resudare, ab initio tenuẽ, postea uerò si coctionem accipiant, & ad melius proficiãt, craßiorẽ. Et libro 12. de Medendi methodo: Colicos dolores ex infusione acris, rodentisq; humoris nõ alia ratione curauit: quippe ait, tenuis cõsistentiæ, & calidarũ uirium plerìq; taliũ humorum sunt: è diuerso quæ ex papaueribus succo, & altero, & eo modo frigidis cõposita medicamenta sunt, simul omnino & refrigerant, & siccant. Quamobrem non solum ut sensui torporẽ inducentia, salutaria sunt, sed etiã ut humorũ tenuitatẽ cogẽtia, atq; crassantia simul et uehementẽ calorẽ refrigerantia. En tibi lector, Galenus palàm, sine inuolucro pronunciat salutaria esse medicamẽta ex altero, & papaueris succo, & eo modo frigidis cõposita, ut humorũ, qui penitius influxerunt, tenuitatẽ cogentia, atq; crassantia: quo nimirũ nomine expultrici potentiæ magis obediunt. Iam quemadmodum solers, et suorũ operũ prudentißima natura (cuius est & sanitatem tueri, & collapsam celeriter reparare) nunquam resides, quiescentes, & impactos humores, ante coctionem discernit:

Galeni colici doloris cura.

Natura post coctionẽ cũ morbo decernit

ſed ſtatim ab ipſa coctione (niſi aliqua, quod uſu uenit, in concoctis utilitas appareat) eos diſcutit, diſpellit, proturbat: tenues autem, modo quieſcant, patienter fert, nec uſquã agit: eorum nempe concoctionem expectat, ut citra grauius incõmodum ſine tumultu, ſine corporis offenſione peſſum mittat. Atq; id eſt, quod parœmia ſuggerit, feſtina lente. Porrò concoctio in ipſa eſt mediocris ſubſtantiæ conſiſtentia: poſt hanc opportunas, proſperasq; conflictationes adit, quas nec obſcuris indicijs lotium ipſum prænunciat, quum tenuitatem relinquens craſſeſcit, ac conſpicuam hypoſtaſim, uiſileq; ſublimamentum contuenti obijcit. Profecto dum urina tenuis eſt, ac ruffa, crudam eſſe ſignificat ægrotationem: & oportet morbo eunte in iudicationem, ſi aquoſa, ac tenuis fuerit deiectio, ut corpulenta reddatur. Et hæc Auicenna dicebat phen quarta primi capite tertio: In acutis morbis, & præſertim quietis, conſentaneum eſt coctionem expectare. Sed ſi mobiles fuerint, tunc conuenientius eſt, euacuationem materiæ accelerare: quoniam læſio, quæ ab eius motu prouenit, longè maior eſt, quàm quæ ab euacuatione ante coctionem, præcipue ubi humores erunt tenues, & maximè ſi in capacitatibus uenarum fuerint, & non ingrediãtur membra. At ſi in aliqua particula fuerit detentus, haudquaquã

Lotium tenue cruditatis ſignũ.

haudquaquam moueatur, donec concoctus fuerit, & mediocrem substantiam adeptus. Et phen prima primi sic habet: Concoctrix est illa, quæ quod attraxit facultas attractiua, & retentrix retinuit, in essentiam aptam operationi uirtutũ in eo permutationem facientium conuertit, & in complexionem, quæ conuersioni nutrientis in effectu est accommoda. Et hæc est eius operatio in iuuatiuo, quæ uocatur coctio. Eius uerò operatio in superfluitatibus est, ut si poßibile fuerit, eas in hanc quoq; mutet dispositionem, aut ut earum egreßionem à membro, in quo sunt retentæ, facilem efficiat cum expulsione, earum attenuando essentiam, si quod prohibet, fuerit großities: aut incidendo, si quod uetat, fuerit uiscositas: aut ingrossando, si quod obstat, fuerit tenuitas. Et hæc operatio uocatur maturatio. Iterũ cap. 7. phen primæ quarti, tractatus secundi: Et tu non auscultes uiro, qui existimauit, quod intentio in digerendo est subtiliare, & humor calidus est subtilis, quare non est necesse ut subtilietur: res non est, sicut dixit. Imò intentio in digerendo est, æquare substantiam materiei, ita ut sit præparata ad expulsionem facilem: & subtile imbibitum, et grossum fixum, & uiscosum adhærens, totum illud est non præparatum ad expulsionem facilem. Imò est necessarium, ut inspissetur subtile, & sub

tilietur ſpiſſum, & incidatur uiſcoſum. Huic ſententiæ magnus quoq; Auerrhous in ſuis collectaneis omnino accedit. Actuarius etiam libro primo de cauſis urinarũ, cap. 19. ſic habet: Caloris ipſius in humoribus proprium eſt, tenues & ueluti indefinitos humores cogere, & definitos reddere concoctione, crudos uerò & craſſos attenuare, et conficere: quandoquidẽ quæ exacte eſſe cõcocta apparẽt, ea mediocrẽ ſecundũ genus ſubſtãtiã capiũt, quæ uerò aberrauerint ab exacta concoctione, illa demõſtrantur aut tenuiora aut craſſiora, et correſpondet cotidianus medicinã factitãtiũ uſus. Sed fuſius hac de re, q̃ hic locus exigebat, ꝓpterea diſſerui, q̧ uideã nonnullos haud pœnitẽdi nominis uiros in cõtraria eſſe hæreſi, Auicẽnã turpiter hallucinatũ clamitãtes. Plura tamẽ iã dictis cõſentanea aſcribere potuiſſẽ, ſed ipſa res efficacius teſtimoniũ nõ deſiderat. Heus cõmodũ in mentem incidit, & orationis ſeries poſcere uidetur, qui id quoq;, uel pauculis attingam: an ſola calens feruensq́; materia, non etiam frigida ſuo quodam modo turgere queat. In confeſſo eſt, nec quiſquam inficiatur, calidam cauſam motum excitare, nec eam facilè intra ſepta cohibitam teneri poſſe. Quod ex animalibus promptum eſt conijcere, quæ per hyemem in cauernis, ac ſpecubus remotioribus latitare ſolent, haud ſecus ſine ſenſu, ſine ullius uitæ indicio, quàm ſi exani-

Frigidus humor an turgeat.

ma,mortuaq́; eſſent. Quin tum ſub id tempus ue nenatas uiperas conſpicari licet, tanto torpore ſegnes, ut nequaquam mordere tentent, etiã ſi in ſinu foueas, manibusq́; cõtrectes. Per æſtatem ue rò, & inualeſcẽte calore, tũ hoc animal, tum ſer pentes reliqui ueluti reuiuiſcũt, et maximè incũ bente canicula exagitãtur, æſtuãt, rabiunt, adeo ut ne exiguo quidẽ momẽto interquieſcere poſ ſint. Et hic eſt turgidus calentis materiæ motus. Frigida profectò huiuſmodi cõcitamentũ nõ ha bet, uti celeriter transfluat de parte in partẽ, niſi fortaßis flatuoſi ſpiritus remigio, aut aliqua ma teriæ calẽtis participatiõe facilè trãsferibilis effi ciatur: uel nimia multitudine prælicenter obtur bet, quã natura uehemẽtiore impulſu perſequa tur. Neq; neceßũ eſt (autore Gal. lib. 4. Aphor. cõmento 10.) ut hic naturæ impetus (qualẽ Hip po. ꝑ turgere cõſueuit ſignificare) in uniuerſo cor pore efferueat: ſat eſt, ſi in principalioribus parti bus ebulliat. Quẽ certe notis aliquot, malisq́; ſen ſu, præcurrẽtibus nõnunquã liquidò deprehendi mus: et tũ ad euacuationes (alcinoi lunã non ex pectães) properamus. Hoc modo licebit in acutis morbis, quos frigidus humor excitat, quales ſunt colicus dolor, apoplexis, tetanus, opiſthotonus, emproſthotonus, cũ fiũt, eũ turgẽtẽ dicere: ꝗppe ꝗ ꝗetẽ nõ habet, necdũ fixus in una parte cõſiſtit

Frigida materia quo pacto turgeat.

ſed temere tranſmouetur , & in alias regiones (quod minimè oportuit) undatim excurrit, quemadmodum amnes ac fluuios turgere dicimus, quũ extra ſuos alueos, ſuasq́; foſſas tumefacti, & æſtuoſi feruntur, uti Nilus in Aegypto. In hac ſententia (niſi fallor) Galenus deprehenditur: is ait libro primo Aphoriſmorum, commento uigeſimo quarto: Quicunq; multa cruditate laborant, uel qui tenaces, ac craſſes cibos aſſumpſerunt, quibus item ilia extenta atq; inflata ſunt, aut ſupra modum calida, atq; ignea exiſtunt, omnes ij haudquaquam ſunt apti ad purgationes. Hæc itaque abeſſe oportet, humores autem quàm maximè fieri poteſt, eſſe fluxui paratos, hoc eſt, tenues. Verum in acutis morbis, circa principia ſtatim, circa primum uidelicet diem, uel non ultra ſecundum, ſi ſumus uſuri purgantibus medicamentis, quando turgent, non datur facultas iſta præparandi, niſi quis forte arripiat occaſionem propinandi melicratum, in quo decoctum ſit aliquid hyſſopi, uel origani, uel tragorigani, uel thymi, uel pulegij, ſiue quid huiuſmodi uim habens humores extenuandi. Non me fugit, hæc aliorſum à nonnullis trahi, ſed uerbulum non addidero, ſatis ſuperq́; ſatis datum parergis. Itaq; in hunc uſum ſyrupos, & alia etiam medicamenta pro modo bilioſæ materiæ offeremus, ſcientes (at

teſtante

testante Galeno de Febrium differentijs libro primo, capite secundo) quòd tenuis facilius alteratur, quàm crassa: conducunt syrupus uiolaceus, rosaceus, è bizanzijs, endiuiæ, cichoreæ, nymphææ, fumiterræ, acetosus simplex, oxymel per se, & simpliciter, aut mixtim, & cum aquis fœniculi, petroselini, absinthij, boraginis, buglossi, lupulorum, oxalidis, farfaræ, maluæ, graminis, pro hac formula: ℞ aquæ scabiosæ, cuscutæ añ. ℔. ß. syrupi endiuiæ, acetosi simplicis añ. ℥.ij. Aut sumant syrupum acetosum cum aqua pluuia. Aut tale decoctum paretur: ℞ ordei m. j. scabiosæ, fumariæ, intybi añ. m. ß. seminum frigidorum añ. ʒ. ij. radicis asparagi, fœniculi, graminis añ. ℥. ß. passularum mundatarum ℥. j. coquantur, & excolato adde oxysacchari ℥. iiij. sumant bis quoq; die mane, & sub uesperam. Aliud: ℞ florum boraginis, buglossi, uiolarũ añ. m. j. seminis endiuiæ, scariolæ, lactucæ, & acetosæ añ. ʒ. j. radicis dentis leonis, graminis, petroselini añ. ℥. ß. prunorum numero ix. seminis anisi, & fœniculi añ. p. j. tamarindorũ ℥. j. glycyrrhizæ ʒ. iij. coquantur, & quum ab igne tollitur, excolato adhuc suffferuido adde conseruæ florum cichoreæ, conseruæ rosarum añ. ℥. j. ß. Iam ab his iustam purgationem offeremus pro magnitudine mali, pro ratione uirium, pro copia materiæ, &

pro

Bilis facile uacuatur.

pro temporis constitutione, scientes, quòd facilis est flauæ bilis uacuatio, pituitæ uerò, ac potissimũ eius, quæ crassior, glutinosiorq́; est, itéq́; nigræ bilis difficilior. Et fortassis ipsa natura post coctionem superfluitates sponte expellet, si uerò mediocrius, atq; imbecillius (inquit Galenus libro primo Aphorismorum commento uigesimosecũdo) agat, id quod deficit, oportet supplere, ut ex utroq; noxij humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medicamento uerò attrahente. Sed diligenti studio præcauendum, ne catharticum ex eorum genere sit, quæ uehementius calefactant: tale statim & tumultum in corpore, & graues agitationes commouebit, Quocirca si quam habebit supra modum caliditatem, non sine freno, & moderante copula propinetur. Pythagoras dicebat: Ignem gladio ne fodias.

Ignem gladio ne fodias.

Decoctum commodum, ℞ fumiterræ m. j. maluæ spinachij añ. m. ß florum boraginis, buglossi uiolarum añ. p. j. seminis anesi, fœniculi añ. ʒ. ß. prunorum numero ix. passularum mundatarum ℥. j. coquantur, & uncijs quatuor excolati adde electuarij è succo rosarum ʒ. iij. Aut in hunc modum: ℞ decocti hordei ℥. iiij. electuarij è psyllio. ʒ. iiij. scammoniæ grana ij. Aut dilutum paretur pro hoc modo: ℞ rhabarbari electi ʒ. ij. spicæ grana ix. macerescãt per noctẽ in uncijs quatuor

aquæ

aquæ endiuiæ, et duabus uini albi, postea distrin gatur per linteum et appone syrupi uiolarũ ℥.j. Aut: ℞ caßiæ recẽs euulsæ ℥.j. pulueris rhabar bari ℈.j. aut ʒ.ß. cũ sero bubulo bibatur. aut ℞ cõ seruæ uiolarũ ℥.ß. specierũ electuarij è succo ro sarũ ʒ.ß. diagridij grana ij. Aut: ℞ tamar Indorũ ℥.j. cõseruæ florũ cichoreæ, nenupharis añ. ℥.ß. fiat modica ebullitio in aqua farfaræ, et adde ex presso diapruni solutiui ʒ.vj. Aut: ℞ succi rosarum recentium ℥.j. mannæ ℥.ß. aquæ fumiterræ ℥ iij. Quod in hisce cõpositionibus multus sum, nequaquam fieri putes, quòd hoc nomine glorio lam aucuper: sed qui in hoc sum totus, ut per exempla tyrones erudiam. Iam ut suum cuiq; pala tum est, ac discrepans ab alio uentriculi gustus, quod eleganter Horatius cecinit:

Autor se excusat q̃ multus sit in compositionibus.

Tres mihi conuiuæ propè dissentire uidentur,
Poscentes uario multum diuersa palato.

Ita fortaßis nõnullos offendes, qui has potiões abhorrebũt, et catapotia glutire malint, quibus mos quoq; gerẽdus est, ac promptè succurrendũ. Quinimo quũ ex regione capitis in aluum detra henda materia est, tum genus hoc præsidij præua lere propterea existimamus, quod in stomacho diutius demorãtur, nec tã properè subterfugiãt. Etenim hac mora, & cunctatione pulchrius (ut dicam nostræ familiæ uerbis) actuantur, & qui in ipsis est uigor, felicius à natura eruitur,

quo facultates suas, quasi nexu resoluto, liberius explicare, ac diffundere queant, & in uenas aptius subire, per quas noxius succus & pelli, & trahi debet. Rasis inquit sexto Aphorismorum, quum à capite, & cerebro purgare uolueris, pilulas dabis in quantitate magnas, & à cœna ante somnum. Tales ergo formentur: ℞ pilularum aurearum ℈ iij. diagridij grana iij. fiant pilulæ quinq;. Aut: ℞ pilularum è hiera ℈. iiij. diagridij grana ij. fiant septem, aut: ℞ pilularum communium ℈. ij. rhabarbari ℈. j. diagridij grana iiij. & ab his sorbeat unciam unam syrupi uiolacei. An in pari, aut impari numero sumantur, susq; deq; habeo: consuetudo obtinuit, ut impar sit numerus. Et qui contra consuetudinem peccat: siquidem ridiculum se, & maleuolentis populi calumnijs incessendum propinat, Numero Deus impare gaudet. Postquam satis, & pro exundantiæ modo bilis deiecta erit, moderata exercitia, & fricationes, & balneas sequantur: quibus si quid impurgatum derelictum fuerit, pulchrè discutietur: nec eorum aliquod, quæ dicta sunt medicamentorum, exhiberi admodum copiosè debet. Id fieri sine graui naturæ iniuria minimè posset. Sunt quidem, qui in præsens sedulò triumphant, si copiosius desederint, sed quantam fecerint uirium iacturam, nõ multo post planè intel-

Pilulæ quo numero ꝓpinandæ.

Læduntur cathartica sæpius sumentes.

nè intelligunt: & quanto magis ſunt uacuati, tanto his uenter ſequentibus diebus magis aſtringitur. Quibus ſuccurrere conuenit, aluumq́; ducere, non acribus per ſedem infuſis, ſed tantum oleo aut iuſculo pingui. Collectas (ait Galenus libro tertio Aphoriſmorum, commento decimoquinto) ſingulis diebus ſuperfluitates exercitijs expurgare licet, neq; exigunt hæ purgantis pharmaci operationem. Si uero quiſpiam uoluerit bis menſe, aut ſemel ſaltem ea uti, ueritus ne ſuperfluitatum multitudo aggregetur, præter id, quod nocebit, in malam trahet conſuetudinem. Nunc quoq; pertinet diureticis mouiſſe lotium: Siquidem ea magnam uim choleræ per urinarias ſemitas in ueſicam pellunt, hæc foras exturbat: & ſunt caſſutha, lupulus, ſparagus, gramen, petroſelinum, alkekengi ſpecies ſolani. Pro hoc modo fiat compoſitio: ℞ cicerum rubeorum. m. j. capillorum ueneris, cuſcutæ, lupulorum añ. m. ß. radicis graminis, dentis leonis, añ ℥. j. corticis radicis fœniculi, petroſelini, ruſci, ſparagi. añ. ℥. ß. ſeminum frigidorum maiorum añ. ʒ. ij. ſeminis aniſi, fœniculi, apij. añ. ʒ. ß. granorum alkekengi numero. ix. glycyrrhizæ. ʒ. iij. coquantur in aqua pluuia recenti, cuius ſub crepuſculum mane inani ſtomacho uncias quinque aut ſex bibant: ſubinde etiam aſſumant con-

Diuretica choleram expellunt.

seruam rosarum, uiolarum, nenupharis florum cichoreæ, fumiterræ, boraginis, buglossi, aut particulam mali punici, aut arantiæ, citranguli ue, & ieiuni sæpe myrobalanum citrinam conditam. Aut eclegma concinnetur pro hac forma: ℞ conseruæ uiolarum, nymphœæ añ. ℥. j. diarhodi abbatis, sacchari rosati in tabulis. añ. ℥. ß. rob e ribes. ʒ. ij. misceantur. Aut: ℞ myrobalanorum citrinarum conditarum. ℥. ij. corticis citrei conditæ. ℥. j. conseruæ fumariæ, diapruni simplicis. añ. ℥. ß. aggregentur. Os frequenter colluant decocto hordei, maluæ, lactucæ, uiolariæ adiecto omphacij pauxillulo: deinde ad topica confugientes in caput dabimus, & præcipue in ipsius anteriorem regionem epithema, quod refrigeret, ac retundat petulantis succi ardorem: quale est oxyrhodinum aut oleum salignum, aut melinum, aut œnanthinum cum aceto, & plantaginis succo, seu ederæ, seu uirgæ pastoris: aut mucilaginem psyllij, & seminis maluæ ex aqua farfaræ commiscebimus populeo: aut papauerum capita discoquantur in aqua, & discocta cum oleo roseo, & hordeacea farina in mortario tundantur, & supra linteum in formam splenij explicetur, tempora ac frontem appositum complectatur. Aut: ℞ olei rosarum ℥. j. olei nenupharis, anethi. añ. ℥. ß. farinæ hor-

Topica.

dei, p. j. seminis papaueris albi. ʒ. ij. seminis lactucæ. ʒ. j. croci. ℈. ß. camphoræ grana. iij. aceti modicū. Quinetiā utiliter adhibetur irrigatio, ab alto, torrentis instar, fundente manu decoctum salicis, pampinorum, lactucæ, nymphee, solani, rosarum, uiolarum. Sed quum morbi uis, omnisq; labor circa principem animæ sedem consistat, non paruus incumbit metus, ne sola algifica uehementius offendat: etenim ea (attestante Hippocrate) neruis, ossibus, cerebro, spinali medullæ infesta sunt, quare adijciemus huius qualitatis excessum moderantia, flores chamæmeli, meliloti, semen anethi, fœniculi, folliculos senæ, puleium, amaracum: quæ non solum superfluam qualitatem repriment, sed dolorem ipsum opportuna etiam discußione alleuabunt. Aut sacculus adaptetur pro hac forma: ℞ florum nymphee. m. j. florum uiolarum, rosarū rubearum añ. m. ß. seminis papaueris albi, lactucæ, corticis citrei siccæ. añ. ʒ. j. omnium santalorum, coriandri præparati. añ. ℈. j. florum chamæmeli, meliloti, anthos, stichadis. añ. p. ß. puluerentur, & fiat sacculus reticulatim intersutus. Spongiam aqua rosacea imbutam sæpe olfaciant, aut madidetur in aqua lactucæ, & succo malorum granatorum, adiecto camphore momento. Aut

Algifica cerebro inimica.

mãna gestent arantiam, limonem, citrangulum, aut huius generis odoriferum pomum aceto camphorato irrigatum. Aut ex rosis, uiolis, nenuphare, santalis puluerem conficiant, quem in linteolo colligatum naribus crebro obtrudant. Aut pro hoc modo: ℞ florũ nenupharis, rosarum uiolarum. añ. p. j. capitum papaueris albi. ʒ. ij. corticum arantiarum, citrei añ. ʒ. j. omnium sandalorum. añ. ʒ. ß. coriandri præparati. ℈. j. xiloaloes, ∈. ij. camphoræ grana. iij. conterantur, & contrita ligentur in serico rubro, & subinde conspergatur aqua rosacea, & odorentur. Per nares trahant succum lactucæ, solani, plantaginis, maluæ, cremorem ptisanæ, decoctum hordei, & pinnæ liniantur internæ oleo uiolaceo, saligno, ranino, nympheæ, psyllio.

CAPVT SEPTIMVM DE DOlore capitis ex abundantia phlegmatis.

QVum ex abundantia phlegmatis caput dolet, hisce ferme coniecturis innotescit: Signa ipsum quidem ponderosum est, & grauitatis iniuria premitur, facies albet, frons læuis est, & madore quodã uuida genæ tument, oculi fluunt, & promptißime lachrymantur, aures flaccidæ, nares pituitosæ, os humidum, & multa copia

saliuæ

ſaliuæ refertum, lingua cãdicat, nulla ſitis. Sed obſeruaſſe oportet, ne oris quidem, aut linguæ ſignificationes eæq; efficaces cum ijs, quæ ex oculis & naribus deſumuntur: his namq; arctior eſt cum ipſo cerebro copulatio, & proxime aſsident, ut omnino par ſit cauſa uiciniæ, certius indicare: illis ſæpius ex uentriculo male affecto detrimentum accidit. Catharris præterea, tuſsi, & diſtillationibus uehementer obnoxij ſunt, uti ex leui quamlibet occaſione in has diſpoſitiones deueniant, uitam agunt deſidem, nec corpus motu, aut labore uentilant, circa amnes, lacus, ac flumna frequenter uerſantur, eſculentis frigidis & humidis uictitant, graui ſono tentantur, facileq; obdormiſcunt, imbres, niues, & flatuoſas tempeſtates ſomniant. Tempus quoq; hybernum eſt, ingenio ſunt leni, placido & inſtar mortui maris tranquillo.

Os & lingua nõ certo ſignificant capitis affectũ.

Humorem hunc in corpore gigni plurifariàm accidit: primum quipem, ac præcipuè ex ipſius ratione uictus. Conſtat enim, & maiorum documentis conſonũ eſt, nihil æque certo humoris genere corpus implere, ac quotidianum ipſum uiuendi ritum. Profecto quale id eſt quod epulamur, et in ſtomachum damus, talis eſt ſuccus, & qui ex ipſo defluit chymus, talis quoque ſpiritus, & anima etiam talis. Protritum illud neminem fugit: ex iiſdem ſumus, ex quibus

Cauſæ.

Ex eiſdem ſumus ex quibus nutrimur.

nutrimur. Inde quiſquis optimis, & exquiſitißimis cibis ueſcitur, quiq́; leuiter nullo negotio conficiuntur, ij calidum, ſincerum, & defœcatum ſanguinem habent, ex quo calidus, ſyncerus & defœcatus ſpiritus halat ex hoc elegantes, lepidæ & amabiles animæ operationes ſcatent. Quiſquis uero nec laudatis ſatis, minusq́; probis utitur, atq; etiam ijs, qui difficulter, nec ſine magna moleſtia præ ſubſtantiæ craßitudine concoqui queũt, ij frigidum, impurum, ac turbidum ſanguinem aceruant, ex quo ſpiritus manat frigidus, impurus, ac turbidus, ex hoc quoq; rudes, impolitæ, & aſpernabiles animæ functiones eueniunt. Iam in obſcuro non eſt, & palam inclareſcit, ob quam rem uiri nobiles & generoſi alacritate, comitate, prudentia antecellant: capis nimirum, & pullaſtris, cuniculis lepuſculis, perdicibus, phaſianis, & generis huius animalculis nutricantur. Qui uero ſuina, bubula, ouilla, & inertibus id genus animantibus aluntur, ingenio ſunt agreſti, aſpero, & improuido. Eſſe poteſt, ipſumq́; uſuuenit, quod tam robuſta, ac ualida uentriculi conſtitutio polleat, ut eſculenta non multum idonea, in non peßimum tamen ſuccum eliquet, & qualem ex eo commodißimum trahi poßibile eſt, extringat. Phydias nõ ex ebore tantum ſciebat ſimulachra facere, faciebat enim & ex ære

Generoſi ac nobiles acri ſunt ingenio.

Phydiæ artificium.

ex ære, ſi marmor illi deeſſet. Si uiliorem adhuc materiam obtuliſſes, ex ea concinnaſſet, quale nobiliſsimum fieri potuiſſet. Sed omnino ſtultum ac temerarium fuerit in ſalubrium copia, illaudatis uti. Omnibus (inquit Galenus libro ſecundo de facultatibus alimentorum) praui ſucci edulijs, quantumuis probe à nonnullis conficiantur, abſtinere in totum conſuluerim: clam enim ſenſimq́; longa dierum ſerie prauus in uenis ſuccus ex ipſis ſuggeritur, & accumulatur, qui uel leuicula putredinis arrepta occaſione febres ſæuiſsimas, ac mire contumaces excitabit. Proinde ſi in hunc modum, & ſic ſe res habet, conſentaneum eſt, qui nullum in cibatione delectum uſurpant, & quibuslibet ſine ullo diſcrimine ſeſe expleant, ut ij uarios ac multiformes in uaſis humores colligant: quiq́; refrigerantibus & humectantibus aſſuefacti delectantur, phlegmatis abundantiam coaceruant. Quod ſtatim natura ſapiens, ne tumultum in corpore concitet, in capitis cauitatem detrudit, unde per palati foramen in os dimanet, atq; expuatur, aut in nares incidat, atq; extillet. Id niſi ſuccedat, reſtitans capiti dolorem conciliat. Hippocrates ait libro quarto de morbis: quum quis caſeum, quid ue pituitoſum, uel acre comedit, bibit ue, ſtatim hoc in os, nareſq́; decurrit. Dico autem cibarium,

Caput phlegmatis ſedes.

potumq; pituitosum in uentriculum demissum, partim corpori, partim capiti dedere: quod cauum quum sit, & tanquam cucurbitula superiaceat, pituitam utpote glutinosam haurit: quod si statim per os, nares ue non exeat, caput plurimum afficit. Et paulopost: caput autem, cor, lien que humorum omnium participes sunt, nisi morbo aliquo laborēt, præcipueq; naturalem suum iam dictum quisq; capit: caput pituitam, cor sanguinem, lien aquam. Iam non sola esculentorum qualitas in hanc nassam mortales impellit, sed nimia quoq; quantitas, sub qua uis ac potestas confectricis facultatis ægre succumbit, suffocato, & extincto calore, qui coctionem promouet. Haud secus quàm lucidus ignis sub iniquo uiridium lignorum cumulo oppressus expirat. Segnis præterea, & ociosa uita, conuersatio in locis subterraneis & uliginosis, torporantium medicamentorum usus, aura fontium, fluuiorum, lacuum, longa per imbres ac niues peregrinatio, austrini flatus, hyberna temporis constitutio crudos & incoctos chymos pariunt. Sic est in libro de natura hominis: quod autem hyems corpus pituita impleat, tibi patebit, cum ex sputo, ac mucco, & pituita nasi, quæ hyeme supra modum fluentia emunguntur: tum uero ex cæteris morbis pituitosis, præsertimq; tumoribus, qui præcipue

Ciborum quātitas cō coctionem offendit.

cipue eo tempore maxime albent. Vere autem pituita in corpore ualentißima ineſt, ſed ſanguis creſcit, ſuſcipitq; indies maius incrementum.

Dieta his præſtituatur tenuis ſeu frugalis, habita ratione conſuetudinis, ætatis, roboris, & cœli. Humidas carnes habentibus famem adhibere conducit: in prandio liberalius epulentur, in cœna parcius, à menſa reliquijs deſiderij adhuc in anima prurientibus à menſa conſurgant. Conferunt cibi calidum ſanguinem gignentes, & aßi magis, quàm elixi: ueruecina, capo, perdix, phaſianus, columbæ. Has tamen proprietate quadam capiti dolorem adferre Raſis exiſtimauit: ſed unde, aut è quo periculo hanc opinionem conceperit, nullus ſatis intelligere queo: ſiquidem his quotidie ſine aliqua noxa mortales paſſim ueſcuntur. Neq; unquam (annum nũc agens nonum ſupra quinquageſimum, & in medicina nequaquam oſcitanter uerſatus) ex harum eſu quenquam de capitis uitio queſtum audiui. Conſtat quidem eas uere ſalubriores, quam autumno, & omnino calidiore tempore deterrimas: neq; commendabiles ſunt, quæ in domibus, aut breuioribus ſeptis aluntur, excrementiciam enim carnem habẽt. Aues præterea minutæ conducunt, turdi, merulæ, gallinagines, paſſerculi, galeritæ, ficedulæ, & ſilueſtres magis quàm alti

Dieta.

Columbæ an caput lædant.

les. Incommodant quæcunq; in aquis degunt, & præ corporis mole magis ambulant, quàm uolant: cuniculos comesse licet, & lepusculos: auersentur recens ædita, & adhuc ab exclusione madentia, horum omnium uiscidæ ac muccosæ carnes existunt: si quis elixis magis gaudet, quàm aßis, tostis ue, species adiungat, zingiber, cinnamomum, caryophyllos, nucem myristicam: aut in hunc usum pro hac forma conficiatur puluis: ℞ cinnamomi. ℥. j. zingiberis. ʒ. ij. caryophyllorum, maceris, nucis moschatæ, galangæ añ. ʒ. j. piperis, cardamomi, granorum paradisi. añ. ℈. j. croci. ℈. ß. pisces fugiant, siue ex pelago, siue ex fluuio ducantur, innocentiores sunt, qui in craticulis assantur substratis sampsuci, rorismarini, thymi, pulegij ramulis, et præscripto puluere conditi. Salsamenta non solum non officiunt, sed mirifice iuuant: et uti hæc choleræ fomentum præbent, ita pituitam siccando, detrahendoq; consumunt. Eia ergo luculenter patet, haud inepte nostros Zeelandos factitare, quum salitam aleculam, atq; etiam ex sua muria stillantem in epulationis principio, detracta pellicula mandunt: etenim ijs lenti plerunq;, frigidi, ac tenaces succi in uentriculo aggregantur: quos hoc ueluti antipharmaco, ne quod grauius malum concitēt, sapienter deponunt, quo si-

Mos Zeelandorum laudatur.

mul

mul & deiectum ciborum gustum alleuant, & siti, uinisq; mirè lenocinantur. Ex olusculis conferunt hyssopus, satureia, thymus, saluia, betonica, rosmarinus, sampsuchus, menta, pulegium. Sinapim in maximo hortensium omnium honore Pythagoras propterea habebat, quod præter uires in sanitate ac ualetudine præcipuas, in altum quoq;, ac sublime feratur, & in arcem illam diuinæ rationis, ac mentis stationē potenter conscendat, calefaciens, purgans, discutiens, omniaque illic reddens illustriora. Allium, cepa, nasturcium, raphanus, eruca, tarcum, pyrethrum, & quæcunq; insignem habent acrimoniam ab uniuersi corporis, capitisq; purgatione, magnopere conducunt. Fructus nequaquam attingant, crudum & aqueum succum gignentes: cappare ante alias dapes citra noxā uti possunt ex oxelæo, aut oxymelite. Galenus ait libro secundo de alimētis: Ablutus capparis, & demaceratus, donec omnem salem exuat, ut minimi sane alimenti cibus est, ita opsonium, & medicamentum, cum ad excitandum prostratum appetitum, tum ad deradendam, deijciendamq; pituitam uentri adhærescentem accommodatum erit, ac deniq; ad lienis, iecorisq; amoliendas obstructiones. Vinum bibant candidum, aut subrubrum, & meracum,

Pythagoras sinapim laudauit

ceruisiam

ceruisiam uitent tenuem. Exercitia non subeant ante corporis purgationem. Vigiliæ somnum excedant, animo sint bene affecto, gaudeant, lætentur, exultent. Subinde tamen non nullus sanguinis feruor, & splendidæ bilis concitatio iuuerit.

Curatio. Curandi ratio in primis ab alui solutione sumatur. Huius enim saburra, nisi tempestiue proijciatur, caput mirifice aggrauat. Quapropter indito balano admoueatur officij, ex melle cocto & sale: mel coquitur dum lentescat, et uiscidum digitis adhæreat. Aut ℞ mellis. ℥. ij. succi betæ. ℥ j. coquantur, & adde specierũ hieræ picræ. ʒ. j. trochiscorũ alãdal ʒ. ß. salis gẽmæ. ℈. ß. formentur glãdes (suppositoria dicimus) Si clysteres nõ horret, ℞ betonicæ, pulegij añ m. j. florũ anthos, stichadis, añ. m. ß. seminis anethi, carthami. añ p. j polypodij quercini. ℥. j. furfuris macri. m. j. coquantur in aqua, & colaturæ adde olei rutæ, liliorum añ. ℥. j. ß. mellis rosati. ℥. j. diaphœnici ʒ. vj. satis. ʒ. ij. infundatur. Alius, ℞ hyssopi, saturegiæ, saluiæ añ. m. j. florum chamemeli, meli loti. añ. m. ß. seminis anisi, fœniculi, carei. añ. p. j. pulpæ colocynthidos in linteolo uinctæ. ℈. iiij. filiculæ. ʒ. vj. radicis acori, inulæ añ. ʒ. iij. coquantur, & excolato adde olei anethi, chamæmeli. añ. ℥. j. ß. mellis anthosati, succi betæ añ. ℥ j. deinde potio exhibeatur, non quæ noxium suc-

cum

cum lacescat, sed molliendo, ac lubricando fluctuantes stomachi sordes eluat. Si Galeno credimus libro decimotertio de curandis morbis, quæ per clysterem infusa sunt, ea omnino ad ieiunum usq; ascendere non possunt: imò si admodum, inquit, miraris, fortasse tenue tantum intestinum contingunt. Potio pro hoc modo conficiatur: ℞ mercurialis. m. j. absinthij romani, centaurij. añ. m. ß. seminis carthami. ℥. ß. passularum mundatarum. ℥. ij. caricarum bene pinguium, dactylorum à pelliculis purgatorum añ numero. vj. seminis anisi, marathri, urticæ. añ. ʒ. ß. coquantur in iusculo galli, & huius colaturæ ter aut quater ieiunus bibat uncias quinq;. Post hæc omne studium conuertatur ad extenuationem, & incisionem pituitoso succi, cũ syrupo calaminthæ, hyssopi, stichadis, marrubij, melle rosato, anthosato, oxymelle simplici, diuretico, scyllitico. Aut apparetur iuleb, ℞ aquæ hyssopi, marrubij añ. ℔. ß. mellis rosati. ℥. ij. syrupi è radicibus, oxymellis simplicis. añ. ℥. j. Aliud: ℞ aquæ betonicæ, rutæ. añ. ℔. ß. mellis anthosati. ℥. j. syrupi calamynthæ, hyssopi. añ. ℥. j. ß. Quod si decoctum potius delectat, et credas futurũ efficacius, ℞ hyssopi, cunilæ bubulæ, thymi. añ. p. j. origani, betonicæ, polij. añ. p. ß. seminis anisi, marathri, seseli añ. ℥. j. radicis inulæ, acori, pæoniæ, añ. ʒ. ij. gly-

Clister tenue tantum intestinum contingit.

cyrrhizæ. ʒ. iij. passularum mundatarum. ℥. j. coquantur, & sub finem cocturæ adijce pauculum aceti, colaturam bibant bis quoque die. Ab his purgatiuum pharmacum propinetur, quale est diacartamum, diaturbit, hiera picra, hieralogodium, hiera Ruffi, Archigenis, oxymel Iuliani, diaphœnicum electuarium, Indum, benedicta laxatiua: ex pilulis cocciæ, assayeret, elephangi næ, aggregatiuæ, agarici, sarcocolæ, sagapeni. Pro hoc modo: ℞ electuarij indi. ʒ. iij. agarici recens trocischati. ʒ. ß. salis gemmæ grana. iij. mellis rosati. ℥. ß. aquæ betonicæ. ℥. iiij. fiat haustus. Aut ℞ diaphœnici, diacartami. añ. ʒ. iij. elaterij granum unũ. Quod si dilutum placet ℞ agarici recens trochiscati. ℈. iiij. rhabarbari. ℈. ij. ellebori, grana. iiij. macerentur in hydromelle, & expresso adde mellis rosati. ℥ j. decoctum sic apparetur: ℞ hyssopi, thymi, satureiæ. añ. p. j. polypodij quercini. ʒ. vj. seminis carthami. ʒ. iij. seminis anisi, fœniculi, seseli. añ. ʒ. j. radic is pæoniæ. ʒ. ij. caricarum bene pinguium numero. vj. passularum emundatarum. ℥. j. coquantur, & uncijs quatuor colaturæ adij ce unciam semis hieræ picræ, salis indi grana. iij. Si potionem horreat, & catapotia malit, neq; hic claudicat ars, aut quen quã necessario beneficio destituit, habet enim in promptu, quibus præclare succurrat, in hũc mo
dum

dum: ℞ pilularum e hiera. ℈.ij. agarici trochiſcati. ℈.j. ſalis gemmæ grana.iij. Aut ℞ pilularum aggregatiuarum. ℈.ij. e hiera. ℈. j. elaterij granum unum. Aut ℞ elephanginarum. ℈ iij. cocciarum. ℈. j trochiſcorum alandal grana.iij. formentur ſeptem, quas uoret dormiturus: aut ℞ agarici trochiſcati. ℈. ij. aloes lotæ cum ſucco ſampſychi. ℈. j. maſtices, zingiberis ana grana vj. fiant pilulæ ſeptem. Aut offeratur hic puluiſculus: ℞ turbit albi, & gummoſi. ℈. iij. cinnamomi. ℈. j. zingiberis, ſeminis aniſi, urticæ ana gr. vj. ſacchari. ʒ. ij. Aut bolus ℞ zingiberis uiridis. ʒ. ij. turbit electi. ʒ. j. capiat. Quod ſi ad uomendum procliuis erit, cogendus eſt, ut uomat. Peßimus is ſtatus eſt, quum homo ea compoſitione, naturaq; eſt, ut nec uentrem facile ſolubilem habeat, nec uomere ex facili poßit: neceſſum eſt enim pituitoſos humores, ſi diu in uentre morantur, corrumpi, adeo ut ipſum grauiter afficiant, & ſimul uitioſos interim halitus in caput ſummittant. Iam ſi uberior ac copioſior exiſtat materia aut alterius modi, & diſtantior, quàm ut ſemel omnis intra pares dieculas concoquatur, eiusq; aliquota pars contumacius hæreat, quàm quæ obſequibilis commode trahi queat: iterum ad ea recurrendum erit, quibus poteſtatem eſſe diximus extenuandi, & incidendi. Nam et ipſas

Peßimus hominis ſtatus.

resides reliquias sic maturare, atq; adaptare oportet, ut ad alterius cathartici exhibitionem, haud difficulter prodeant. Eius meminisse conducit, quod sapienter Galenus (ut omnia) inculcat: Si quis extenuet, atq; incidat crassos ac tenaces humores, qui in corpore sunt, & meatus aperiat per quos isti transmittuntur, atq; trahuntur à medicamentis, quæ uim purgatoriam habent, tunc purgatio in omnibus recte procedit: qui uero istud neglexerint, & uomitus atq; subductiones procurauerint, ijs difficiles ueniunt purgationes, non sine torminibus, & quadam uertigine, fastidioq; multo, & malo pulsu, ac dissolutione, & difficultate. Cæterum ab hac iusta uacuatione (uoco autem iustam, quæ congruenter facta est, pro exundantiæ modo, uirium robore, morbi magnitudine, & cœli qualitate) uti poterit ex interuallo leuicula aliqua uentris solutione & abstersione sordium ex quotidiana epulatione collectarum. Id pulchre præstabunt pilulæ elephanginæ, aut Ruffi (quas communes uocant, & pestilentiales) aut ex ter & quater elota aloe in succo braßicæ. Quinetiam utiliter sumitur terebinthina nucis ponticæ magnitudine, aut medicamentum quod ex caricis & cartamo conficitur, (diacnicon uocant) caricæ pingues sunto, ipsisq; auferatur ea, quæ foris circuit pellis, pa-

Purgatio iusta.

Diacnicon

lis, pari modo & cartamo, mox ambo simul pari pondere tundantur: sumere uero licebit duarum, trium ue caricarum magnitudinis modum, prout se ad sumentis naturam habebit. His uarie uti expediet, neq; uno tantum delecto, id perpetuo exhibere: cui namq; (Galenus ait quinto de tuenda sanitate) assuefacta temporis spacio natura sumentis erit, eius uim contemnet. Aut huiusmodi pilulæ parentur: ℞ aloës elotæ ex succo braßicæ. ℥. j. agarici. ʒ. iij. mastiches, cubebarum, zingiberis, cardamomi ana ℈. j. salis indi. ℈. ß. Præstaret tamen exercitijs, aut fricationibus, aut inædia hasce quotidianas superfluitates discutere, ne quis in malam consuetudinem deueniat. Post hæc ad ea remedia concedamus, quibus peculiariter ipsum caput purgatur: & sunt in primis ex hoc genere gargarismi, ex sinapi, eruca, tarco, pyrethro, staphisagri, atq; alijs insignem acrimoniam habentibus, pro hoc modo: ℞ oxymellis scyllitici. ℥. ij. decocti iridis. ℥. vj. Aut ℞ hyssopi, rutæ, pulegij ana p. j. radicis inulæ, capparum, pæoniæ ana. ʒ. ij. piperis, zingiberis, staphisagriæ an̄. ℈. j. coquantur in aqua, & excolato adde mellis anthosati. ℥. ij. gargarissent impasti. Præcipuus quoq; apophlegmatismis (masticatoria dicimus) hic est locus: commansi enim saliuam egregie mouent, & Apophlegmatismi

liquefactam ex cerebro pituitam in os detrahunt. Pro hac forma ℞ masticbes, piperis, sinapi ana. ℈.ij. staphisagriæ, pyrethri, struthij ana ℈.j. agarici. ℈.iij. salis ammoniaci. ℈.ß. pulverentur, & cum passulis enucleatis contundantur, & formentur pastilli in formam lupinorum. Sed cauendum ne nimia sedulitate, & importuno studio grauiter peccemus: siquidem ut salubris est, & à sapientis naturæ consilio profecta, cerebri ac totius capitis per palatum exoneratio, quam, quum res poscit, medicus quoq; adminiculator naturæ moliri debet: tamen si frequens fiat, & aßidua, præsertim quæ acutis, feruidisq; medicamentis irritatur, non rarenter subiectas partes offendit, & exulcerat fauces, guttur, asperam arteriam, pulmones, uentriculum, atq; interanea. Vnde & tusses oriũtur, & difficiles anhelitus, & tabes, & anginæ, & cruditates, & uentris profluuia, & intestinorum difficultates, potißimum si quod distillat, salsum quodammodo fuerit. Iam prætermittenda non sunt, quæ naribus attrahuntur, errhina, succus betæ, ederæ, maioranæ, chelidonij minoris, anagallidis, elaterium in hunc modum: ℞ succi radicis betæ. ℥.iij. pulueris maceris. ℈.j. iridis. ℈.ß. ellebori grana. iij. elaterij granum. j. hydromellis. ℥. iiij. tepidum naribus sorbilletur. Nunc quod omnino

Apophlegmatismi quando noxij.

nino per aluum, aut per nasi fistulas, aut palati foramentum, deducibile non est, & tam exiguum, ut hanc curam non requirat, fricationibus discutiendum erit, & patefactis corporis spiramentis foras proliciendum: atq; ea membra prius aggrediemur, quæ ceruici subiecta sunt, usq; in crura descendentes, tum demum ad caput ueniendum. Istud namq; (attestante Galeno) primum adoriri haud satis tutum est, quoniam superfluitates in eam partem continuo procumbunt, quæ calefacta & commota fuerit prior. Quapropter præstiterit caput reliquisse partium postremum. Exercitationes præterea, & inambulationes, & thermæ, et pedum, tibiarúmque lationes (hæc si fieri queant) uota plurimum prosperabunt. Pedes lauentur decocto saluiæ, origani, mentæ, chamæmeli, meliloti, foliorum lauri. Caput perfundatur, ac perluatur lixiuia ex crematis fabarum culmis, aut uitium sarmentis, aut decocto melissæ, betonicæ, rorismarini, rutæ, pulegij, sampsuchi, & sacculus inducatur pro hac forma: ℞ salis arefacti. m. j. milij tosti, cineris caulium braßicæ ana. m. ß. fimi columbini p. j. florum chamæmeli, meliloti, anthos, stichadis ana. p. ß. mastiches, uernicis, nucis moschathæ, benzoi, xiloaloes ana. ʒ. j. puluerisentur, et formetur sacculus. Aut ceratum applicetur in

Superfluitates in partē prius calefactam decumbunt.

hunc modum: ℞ ladani. ʒ. iij. ſtyracis. ʒ. ij. caryo phyllorum. ʒ. j. cubebarum, ſeminis maioranæ, nigellæ ana. ℈. j. galliæ moſchatæ. ℈. ij. olei laurini, & ceræ quantum ſatis ſit, nigella in aceto acri macerata, hanc ſi crebro odorentur, dolorem diſcutiet. Similiter & ruta, & peganum, & calamynthe, & pæonia. Aut pomum concinnetur pro hac formula: ℞ ladani. ʒ. iij. benzoi, ſtyracis, olibani an̄. ʒ. j. iridis, caryophyllorum, maceris, nucis myriſticæ ana. ℈. ij. cardamomi, ſeminis maioranæ, nigellæ ana. ℈. j. moſchi grana iij. cum tragacantha in aqua lauandulæ macerata conficiatur pomum, quod crebro olfaciāt. In aures detur oleum caſtoreū, nardinum, irinum. Vrina, lotium ue citetur aqua raphani, geniſtæ, petroſelini, liguſtici, rubeæ tinctorum, indito oxymelle uel diuretico, uel ſcyllitico. Aut apparetur tale apoſema: ℞ pulegij, thymi, hyſſopi ana. p. j. radicis rubeæ tinctorum, aſari, radicis apij ana. ʒ. iij. ſeminis dauci, ſeſonis, ammeos. ana. ʒ. j. mellis. ℥. ij. coquantur. Sumant ſubinde conſeruam anthos, ſtichadis, maioranæ, mentæ, calamum cōfectum, inulam, nucem myriſticam, zingiber uiride, pyrethrum conditum, diambram, diamoſchum, aromaticum roſatum, diacalamynthen, diagalangam, diatriumpipereum, dioſpoliticum, mithridatum, theriacam. Aut in hunc

hunc modum: ℞ conseruæ anthos. ℥.ij. chebulorum conditarum, corticis citrei conditæ ana. ℥. j. Aut ℞ conseruæ mentæ. ℥ j. conseruæ acori. ℥. ß. cinnamomi. ʒ. j. maceris, cubebarum, seminis pæoniæ, caryophyllorum ana. ℈. j. cardamomi. ℈. ß: cum syrupo è stichade incorporentur. Electuarium in tabulis: ℞ cinnamomi. ʒ. ij. ligni aloes, zedoariæ, nucis myristicæ ana. ℈. j. maioranæ, mẽtæ, pulegij, thimi añ. ℈. ß. galliæ moschatæ. ℈. j. sacchari infusi in aqua saluiæ, aut in decocto rorismarini. His uarie, nunc uno atq; iterum altero, facta permutatione uti conueniet. Auerrhois inquit capite secundo tomi tertij Collectaneorum, quod auxilia esse mutanda censent medici, nec unico tantũ utendum, probe quidem dictum est, ne scilicet natura aßiduo usu corpori aßimilaret medicamentum, atq; id, quod præstare debuit, impediat. *Auxilia mutanda.*

CAPVT OCTAVVM DE DOLORE CAPITIS, EX ATRA BILE.

ATram bilem capiti dolorem conciliare non obscuris notis colligimus: quandoquidem dolor hic nec uehemens est, nec admodum percellens. In læuam partem magis uergit, frons riget, cui manũ in explorationem si iniece *Signa.*

ris,exiguum inesse calorem comperies,aures frigent, nares excrementis uacant,oculos rauos, aut furuos habent,& ij continuo nictant,facies squalet, labia turgent,multa est,& acris saliua oris,à potu abstinent,at omnes cibum non refugiunt,sed quidam ex ipsis liberaliter satis edunt: habitus corporis inamabilis, multum uigilant, tristia, & inamœna somnia somniant,submißi animo,& morosi,& consternabiles. Iam si malum sub autumnum incidat, eo magis tempore humor hic abundat. Ex causis copiam atræ

Causæ.

bilis gignentibus præcipua est primigenia corporis constitutio. Perspicuum est,nec ulla quamuis tenui nubecula obumbratur. Quin ex nostræ coagulationis rudimentis,uitæ sortem accipimus,ut alij sanguinei,alij phlegmatici,alij à bile flaua biliosi, atq; alij ab atra bile melancholici sint. Quippe quum sic accidit,ut calida,et humida temperatura euadat, ij multo sanguine abundant: si uero frigida & humida,phlegmatis affluentiam colligunt: si caliditati accedat siccitas,cholera multiplicatur: si siccitati frigiditas copuletur,iam furua bilis insurgit, non enim in commodiorem succum quicquid offertur,transmutare queunt. Hi depiles sunt,graciles & macilenti,membrorum compagines laxas habēt,articulos parum expressos,uenas angustas,arterias

Signa ex genitura melancholicorum.

præduras

prӕduras, pulſus paruos, raros & tardos, taciti & meticuloſi. Prӕterea uſuuenit, ut habitus corporis tranſmutetur, neq; enim perpetuo tenorem aſſeruet, quem ex genitalibus principijs ſortitus eſt. Nempe qui calido ſanguine abundantes ſunt, & ab amarӕ bilis exuperantia picrocholi nuncupantur, facile oborto in uniuerſis uaſis incendio in hanc diſpoſitionem adaſſatis ſuccis transmigrant. Incendium porrò concitant ӕtatis robur, continentes labores, longӕ inediӕ, calidorum ciborum uſus, aßidua uicinitas ignis, ӕſtates feruidӕ, ardentes febres, immodicӕ uigiliӕ, graues curarum ӕſtus. Hi & macilenti ſunt, & nigri, & hirſuti, & latis conſpicuisq; uenis. Nunc alia quoq; tranſgreßio in hoc temperamentum ex uitioſo nutricatu accidit, & ex conſuetudine ueſcendi ea, quӕ melancholicum ſuccum gignunt. Aptißime quidem ueteres dixerunt longam conſuetudinem in naturam uerti. Conſtat enim alimentum tacito gradu, ac ſenſim in ſe alitum pertrahere, & cuiuſmodi qualitates ipſum habet, tales tandem corpori conciliare. Qui negant (inquit Galenus libro de Cauſis ſymptomatum) alitum ab alimento mutari poſſe, quod uicti, & non uincentis alimentum nomen ſit, ij neq; de animantium, neq; plantarum transformatione quicquam ſanum dicere

Corporis habitus trãſmutabilis.

Conſuetudo in naturam uertitur.

Dieta. possunt. Dieta his praescribatur mediocris, epulentur citra saturitatem, nec cum fame bellum gerant. Aduersissima est ipsis inaedia, liberalius edunt, quibus atra bilis acri qualitate exuperat. Cibi sint euchymi, bene alibiles, qui sanguinem clarum ac lucidum praebeant, & qui facile à stomacho superantur, non uehementer calorifici, nec insigniter refrigerantes. Hic illud Galeni non excutio tertio de Temperamentis: Percocta ac mutata & in sanguinem bonum uersa, naturalis in animali caloris substantiam augebunt, non qualitatem intendent. In totum enim siue frigidus, siue calidus potestate cibus sit, cibus posteaquàm in sanguinem conuersus est, naturalem calorem similiter augebit. Quod autem ad sanguinis formam tendit, necdum plane sanguis est redditus, refrigerat, excalefacit ue animal medicamenti ritu. Conferunt ueruecina, uitulina, hoedina: ex auibus phasianus, perdix, pullastri, capi, gallinae: pisces saxatiles, squammosi, friabiles: oua recentia, mollia, sorbilia: pluticulae iuscula, offulae. Offendunt bubula, caprina, ceruina, leporina, salsa, infumata, exucca, uetusta: & ex auibus grandes, quae magis sidunt, quàm uolant, & in aquis escam quaeritantes. Ex partibus animalium, cor, lien, hepar, renes. Praeterea antiquus caseus, oua frixa, legumina, braßica, omphacium

omphacium, acetum, acidaq; omnia, & acria, & acerba: lac quoq; dare caput dolentibus malum est, uinum bibant candidū, aut uermiculum, seu subrubrum, plane defœcatum, non crassum, nec nigrum, nec resinatum. In aere uersentur mediocriter calente, lucido ac sereno: frigidus, nebulosus ac densus plurimum officit. Exercitationes finiant citra fatigationem & sudorem, uoluptatem quoq; afferant, & mentem reddant alacriorem: balnea dulcis, & tepentis aquæ non in postremis iuuant: immodicas uigilias uitent, somnus prolixior conducit: animo sint bene affecto, gaudeant, ac meliora sperent.

Curationis ratio, si uniuersi corporis uasa melancholico succo referta sunt, auspicanda est à uenæ sectione. Auicenna inquit, phen prima tertij: Cum materiam euacuare uolumus, contemplemur, si significatio ostendit, sanguinem cum ipsa abundantem, nec in sanguine est diminutio, quæcunq; sit materia, à phlebothomia incipiemus. Ea ergo fodiatur, quæ in dextro cubito media tēditur, nisi externa plenior apparet. Si morbus sub autumnum incidit, & dolor quadantenus in læuā partem inclinat, sinistri brachij media, aut humeralis uulneratur. Sanguis pro ætatis, uirtutisq; robore, pro tēporis, cœliq; constitutione, pro exundantiæ, uitijq; modo extraha- Curatio.

Aluus largius ducēda si phlebotomia negatur.

tur. Quod si medico propter timiditatem, aut aliud quispiam se permittere non uolet, aluus largius ducenda erit: hæmorrhoides si suppressæ nihil reddunt, idq; præter consuetudinem, talaris scindatur, aut palustres testudines, hirudinés ue circa sedem admoueantur, & ab his iterum geminæ secundum aures: mensibus quoque restrictis eadem hæc, iuxta malleolum aut in pollices pedis pertundatur. Galenus ait. xj. de Facultatibus simplicium medicamentorum: Mensibus retentis, ubi per uenam, quæ in talo est modice euacuassem, oblato castoreo, unà cum pulegio, aut calamyntha, semper medicamentum hoc expertus sum purgationem ciere, absq; lesione, locosq; morantes eijcit, & hec omnia ex melicrato. Iam aluus si induruit neq; retrimēta tem

Clyster.

pestiue reddit, clyster infundatur pro hoc modo: ℞ boraginis, buglossi, fumiterræ, brancæ ursinæ añ m. j. betæ altheæ, añ. m. ß. florum chamæmeli, meliloti anthos, stichadis ana. p. j. folliculorum senæ. ℥. j. polypodij quercini. ʒ. vj. radicis pæoniæ ʒ. iij. seminis anethi. ʒ. ij. passularum mundatarum. ℥. ij, coquantur, & excolato adde olei liliorum. ℥. ij. mellis rosati, butyri recentis ana. ℥ j. diacatholici. ʒ. vj. salis modicum, subijciatur, & subinde iteretur. Alius: ℞ scabiosæ, cuscutæ, lupulorum ana. m. j. camedreos, camepitheos

theos uolubilis, foliorum ellebori nigri an̄ m. ß. seminis anisi, fœniculi, lini an̄. p. j. radicis altheæ, & buglossæ an̄. ℥. j. passularum paruarum ℥. ij. folliculorum senæ. ʒ. vj. seminis cartami. ℥. ß. coquantur, & adde colaturæ olei anethi, camomillæ an̄. ℥. j. ß. confectionis hamech. ʒ. iij. Aut subijciatur decoctum galli ueteris cum sena, polypodio, cnico, centaurio, hyssopo, scolopendrio epithymo, sacchara rubro, sale, & oleo. Tempus istorum est ante cibum, inani uentriculo, & dum acceßiones remittuntur: in morbis continuis diluculum. Deinde ad concoctionem accelerandum est, & meminisse oportet, quod quæ tenuium partium materia est, facile alteratur, ac leui momento ex quouis in eam agente castigatur. Cōtrà, cui crassæ, ac densæ partes existunt, ea non sine negotio subigitur, & à qualitate sua praua difficulter recedit. Inde est, quod minori opera, celeriusq; flauam bilem concoquimus, quàm atram: quod cum ita sit, & extra omnem controuersiam positum, diligenter annitendum erit, & præsidijs iterum, atq; iterum repetitis incumbendum, donec superiores uincamus. Coctionis autem spes in natura potißimum sita est, & in facultate corpus tuente: deinde in studio ac industria periti artificis, qui & commodo uictu, & idoneis medicamentis naturam adiuuat.

Tempus opportunum clysteribus

Materia tenuis facilius alteratur quàm crassa.

Exhibeantur ergo in hunc usum syrupi, potiones (quas iuleb uocamus) & decocta, pro hoc modo: ℞ syrupi fumiterræ, epithymi ana. ℥. ij. capiant bis quoq; die cochlearia duo. Aut ℞ syrupi è cichorea cum rhabarbaro. ℥. iij. syrupi absinthij. ℥. ij. condiantur puluisculo caryophyllorum. Aut paretur iuleb: ℞ aquæ melißæ, betonicæ ana. ℔. ß. syrupi è circio (buglossam dicunt) è bizanzijs ana. ℥. ij. Aposema in hanc formam: ℞ absinthij. p. ij. camedros, camepitheos, thymi ana. p. j. seminis anisi, marathri, agni casti ana. p. ß. corticis tamaricis, radicis capparis, pæoniæ ana. ʒ. iij. glycyrrhizæ. ʒ. ij. passularum purgatarum. ℥. j. coquantur in aqua cassuthæ, & uino albo, & excolato ad ℔. unam adde mellis rosati. ℥. iij. Neminem fugiat, absinthij plures quum sint species, non aliud intelligimus, quàm quod Romanum plerisq; dicitur, id Galenus (nisi fallor) ponticum appellat, & post Dioscoridem, libro undecimo de medendi methodo, singulari eulogio dignatur: Absinthium, inquit, ponticum, tum folio, tum flore est, quàm cætera absinthia, minore: odor quoq; huic non modo non insuauis, uerum etiam quid aromaticum præferẽs, reliquis quidem omnibus plane fœdus: hæc fugere conueniet, uti autem semper pontico. Aliud ℞ succi fumariæ, buglosßi ana. ℔. ß. uini Renensis. ℔.

Absinthiũ ponticum.

ſis. ℔ j. abſinthij, centaurij, ſtichadis ana. p. j. amygdalarum amararum numero vj. ſeminis melonum. ℥. ß. ſacchari. ℥. iiij. fiat decoctio & decoctum per fiſcum ſupra puluerem cinnamomi percoletur, & ſumant quotidie bis, mane, & ueſperi uncias quatuor, aut quinq;. Non ſum in ea cum multis ſententia, qui existimem, quæcunque offeruntur commitigando capitis dolori, ſiue is ex nuda intemperatura, ſiue ex humoribus noxijs prodeat, à cœna exhibenda: quaſi tum uiciniora ſint affectæ ſedi, eoq; magis ad ſuas uires explicandas efficacia: ob iter uidelicet, quod laxum ſternitur (gulam dicimus, ſeu œſophagū) ab ore ad uentriculum. Profecto abſurdum non eſt, quo breuius interuallum agentem à paſſo diſpeſcit, tanto celerius et exactius optatum finem aſſequitur. Sed quiſquis, quem modo tramitem diximus, arbitratur idoneum, & conſtratum ad ipſas medicamentorum facultates recta in caput perferendas is uehemēter hallucinatur: quippe hanc uiam architectrix natura alendo corpori deſtinauit. Cibum enim & potum in uentriculum concoctionis locum tranſmittit, nec eſt aliud diuerticulum per quod pateat illapſus. Nūc fieri quidem poteſt: nec omnino aliter accidit: quum ea ingerimus, quorum ſubſtantia eſt halituoſa, & ſpiritu plena, uti hac ſtatim ſuas quali

Capiti conferentia a na cœna ſit danda.

tates sursum expirent, aut acres fumos, ipsius substantiæ tenuißimas exuuias in caput reuoluant. Qualia experimur allia, cepas, erucam, raphanum, sinapim, uinum, & aromata ferme omnia: quæ si à cœna postulante casu assumuntur, medicamenta opportune sumpta uideri debent. Sed quorum substantia & habitudo lubrica est, mollis, fluxibilis, neq; satis potens suum uigorem in sublime (languescentibus scilicet uaporibus) eiaculari. Hæc profecto præstiterit ante cœnam, et inani stomacho sumpsisse, quo indelibata meatus hepatis, necdum epulis obstructos commodius subeant: indeq; liberius peruadant in uenulas eorum delatrices, quibus ad alituram caput indiget, illicq; operentur pro suarum facultatum energia. Catapotia cum utrisq; quodammodo ambigere uidentur. Quapropter capite male affecto, mox à cœna, quæ prolixa non fuit, apte exhibentur, aut à primo somno, si quis liberalius cœnauit, dum aliquousq; cibus conficitur, & prope est, ut digeratur. Quum actuosus naturæ calor ea mollire, macerare, atq; subigere aggreditur, protinus obscœnos uapores sursum uersus, & in capitis regionem summittunt, qui continuo humoribus sese familiares insinuant, quos ibi proprios, ac ueluti cœlesti afflatu notos, agnitosq; offendunt: & eos statim separare, commo

Pilularum operatio qualis.

uere

uere, trahere pro suis uiriculis tentant. Sed quoniam imbecilliores sunt, nihil effatu dignum effi cere queunt, donec fugientibus ex uentriculo in hepar concoctis, simul irrumpat catapotia iam propter exactam moram egregie malassata: & tum in eas potißimum uenas (quasi accepto man dato) sese effundunt, quæ in caput usq; pertendunt: & per has ipsas, non per cibarium tramitem, in aluum deducunt succos ab ipsis uaporibus antè uexatos, & si quos alios uacuandos comperiunt. Auicenna inquit fen quarta primi capite quarto: scire adhuc debes, quod maior at tractio humorum, quæ fit per medicamentorum solutiuorum tractum, est in uenis, nisi ualde uici num fuerit: tunc enim ex eo & in uenas, & non uenas humor trahitur, ut in humoribus, qui in pulmone sunt, fieri solet: hi enim per uiciniorem uiam trahuntur ad uentriculum & intestina, quamuis nõ perueniant ad uenas. Ad pensum re curro. Post syrupos & decocta, hoc est, ab ipsa concoctione propinetur catharticum in hunc modum: ℞ electuarij lenitiui. ℥. ß. confectionis hamech. ʒ. iij. epithymi ℈. j. cum aqua buglossæ fiat haustus. Nemo mihi in fraudem uortat, quod cum aqua buglossæ, & non buglosi dixerim. Semel hanc calumniam deprecatus sum, cuius nec amplius uerbum meminero, utrũq; tamen apud

Calumniã deprecatur

idoneos auctores dictum comperio, ut nō magni referat, quo genere ponam. Superuacuam hanc curam damnasse uidetur Galenus libro secundo de Facultatibus alimentorum, capite de amygdalis: Est porro, inquit, inutile quoddam genus hominum, tota uita uerborū aucupio, uec ulli præterea arti, quæ humanæ uitæ ex usu sit, deditū, qui se Atticorum sectatores iactitant: ex his alij fructum hunc amygdalas genere fœminino appellandas censent: alij neutro generi amygdala, idipsum, cuius tantopere studiosi sunt, nondum scientes, nempe utroq; modo apud Atticos hæc nomina scripta inueniri. Profecto ut plurima laude celebrentur, dignum, ac iustum est, qui casto ac puro medicinam docent: ita ignoscendum illis existimo, nec amarulenta insectatione flagellandas puto, qui uulgaribus, receptisq; hodie uocabulis utuntur, modo diuersa nuncupatio nullum errorem pariat. Hoc sæculum non ad literas solum perdiscendas, sed ad quaslibet disciplinas iam prioribus aliquot, omnino felicius apparet. Quare aspernandi non sunt, nec contumelijs traducendi, qui quantum pro suorum temporum ratione licuit, studio, ac diligentia consequuti sunt. Aliud solutiuum: ℞ diacatholici. ℥. vj. diasenæ. ℥. iij. Aut concinnetur tale decoctum: ℞ fumiterræ. m. j. capillorum ueneris. m. ß. florum boraginis

Barbaros excusat.

boraginis, circij, uiolarum ana. p. j. pulegij, absinthij, thymi ana. p. ß. folliculorum senæ. ℨ. vj. polypodij quercini. ℨ. iiij. glycyrrhizæ. ℨ. ij. passularum mundatarum. ℥. j. coquantur in aqua scabiosæ, colaturæ per noctem infundantur corticum myrobalanorum flauorum & indorum, añ. ℨ. ij. epithymi ℈. ij. expresso adde caßiæ recens euulsæ. ℥. j. Mesue non peßimus auctor, nec in medicina uersantibus omnino contemnendus: Hamech, inquit, filij Zezar modus infusionis conferens sodæ, cuius materia est humor adustus, aut melancholia, & est sublime ad illud, & ad maniam, & melancholiam, & epilepsiam, & uertiginē, & lepram, & cancrum, & scabiem, & impetiginem, cuius hæc est permixtio: ℞ myrobalanorum chebulorum, & nigrorum ana. ℨ. viij. epithymi, rhabarbari ana ℥. j. radicis buglossæ domesticæ, & syluestris, earumq́; florum ana ℨ. iiij. absinthij ℨ. iij. fumiterræ ℨ. v. polypodij, agarici, stichadis, camedreos, camepitheos, ana ℨ. iiij. liquericiæ rasæ ℨ. v senæ ℨ. vij. passularum enucleatarum ℥. j. bulliant omnia præter epithymum in quinq; libris aquæ, usq; ad libram unam, ultimo uero ponatur epithymum, deinde coletur, & ponatur in sole in uase uitreo diebus sex, proijciendo in eam confectionis hamech ℥. ij. & da ab uncia una, ad unciam unam & me-

Mesue non peßimus auctor.

diam, & est mirabile. Hic obseruatione non indi gnum arbitror, quod in hoc tam celebri, & tam claris præconijs ornato medicamento, cum cæteris rhabarbarum coquatur, idq; in quinq; libris aquæ usq; ad libram unam, quum tamen in suo de simplicibus Mesue decoctionem aperte dicat, uirtutem ipsius rhabarbari qualemcunq; resoluere. Ex pilulis pollicetur opem, atq; præstant, è lapide armeno, epithymo, capnio, aggregatiuæ, indæ. Quæ è cyaneo lapide conficiuntur, apud plerosq; male audiunt, & atro carbone notantur. Hunc lapidem nō minus uenenosum Leonicenus censuit, quàm minium. Equidem in ea sententia fui semper, & hærere constitui, nusquam experiri infamia, quum meliorum copia suppetat. Quandoquidem temerarium est, & insignis stulticiæ argumentum, in ancipiti medicamine periculum facere, quum id nulla cogat necessitas. Pilulæ formentur pro hoc modo: ℞ aggregatiuarum, è fumoterræ anā ℈.ij fiant septem. Aut ℞ pilularum è lapide armeno ℈.ij. indarum ℈ j. ellebori grana. iij. fiant quinq;. Aut apparetur hic puluis: ℞ senæ ʒ.ij. polypodij, cartami ana ʒ.j. thymi, epithymi ana ʒ.ß. tartari ℈ j. diagridij ℈.ß. seminis anisi, marathri, dauci, spicæ, caryophyllorum, maceris ana grana. vj. sacchari ad pondus omnium detur ʒ.j. plus, minus, pro ratione

Rhabarbarum coctū.

Lapis lazuli uenenosus.

Argumentum stulticiæ infamia experiri.

ratione ſumentis. Poſt hæc exercitationis adeãt, corpus clementer commouendo, & oblectationes modis omnibus quærant. Nunc geſtationibus, nunc fricationibus, nunc natationibus in ſolijs aquæ tepentis humores molliant, ac perſpirationem procurent. Capiti infundatur decoctum florum chamæmeli, meliloti, uiolarum, nymphea, ſeminis lini, anethi, maluæ, radicis althea, bugloſſæ, & foliorum ſenæ. Vngatur butyro ſine ſale, œſypo, axungia uituli, anſeris, oleo uiolaceo, anethino, ſuſino, unguento reſumptiuo, dialthea. Sumant ſæpicule conſeruam boraginis, bugloßi, uiolarum, nenupharis, roſarum, meliſſæ, anthos, ſtichadis, corticem citrei conditam: aut fruſtulum diambræ, diamoſchi, diamargariti, electuarij è gemmis, lætitiæ Galeni, aut exhilarantis Raſis, aut Auicennæ ex libro de Viribus cordis.

CAPVT NONVM DE curanda Hemicrania.

Accidit ſæpenumero, ut altera tantum pars capitis dolore afficiatur, & altera incolumis nihil detrimenti ſentiat, aut tam exiguum, ut uehementior offuſcet alterum, hemicraniam dicimus, quæ plærunq; per circuitum Signa.

recrudeſcit. Et ipſorum quidam circa temporum muſculos acrius dolitant: quidam uero dolorem longè ulterius progredientem habēt: non nulli ob doloris acerbitatem manuum contactum ægerrime ferunt. In quibus palam eſt, pelliculam caluam ambientem eſſe affectam. Cerebrum hominì bipartitum, quemadmodum cæteris animalibus nemo neſcit. Id enim membrana quædam tenuis per medium diſtenta diuidit. Quo fit, ne ſemper utraq; infeſtetur, ſed interdum dextera, interdum læua, prout materia nocens ſeſe inſinuauerit. Cauſæ huius affectus aliæ non ſunt, quàm quas uniuerſo capiti tormenta conciliare diximus. Et ſunt nudæ, ſimplicesq; intemperaturæ, hoc eſt, meræ qualitates, materia non peccante, calida, frigida, humida, & ſicca. Aut ſi in maleficium coēant, quod fieri quidem poteſt, ut caliditas ſiccitati, & frigiditas humiditati copuletur. Quod ſi cum exuperanti materia iungantur, non ſunt quidem tam ſimplices, ac nudæ, quin ſubiectam habeant materiam: nempe qualitates abſq; materia non conſiſtunt, ſed humores non nunquam exundant, & multitudine peccant, tum & inaucta quantitas doloris eſt cauſa, quos ſtatim uel putredo propter obſtructiones, aut uitiū aliud quia non digeruntur, corripit. Humores hi ſunt: ſanguis, phlegma

Cerebrū bipartitum.

Cauſæ.

Humores aut æqualiter aut inæqualiter abundant.

phlegma, & utraq; bilis, flaua uidelicet et atra. Qui quum æqualiter abundant, & suas inter se proportiones conseruantes pariter exuberant. Huiusmodi dispositio dicitur plenitudo. Alia quidem ab ea, quæ ad uires refertur. Quod si sanguis solus superfluat, & reliqui sese intra iustum societatis modum contineant, plethora nuncupatur. Quod si humoribus his æqualiter exũdantibus uitiosa quoq; qualitas accedat, cacochymia appellatur. Hemicraniam præterea gignunt, halitus, uapores, flatulenti spiritus, siue hi in affecta sede pullulascant, siue aliunde & ex consensu inserantur, modo alteram duntaxat regionem obsideant. Calidi quoq; odores, ut styracis, croci, moschi, atq; omnia ferme odorata capitis dolorem pariunt. Hippocrates inquit: Suffitus aromatum muliebria ducit, sæpius uero & ad alia utilis esset, nisi capitis faceret grauitatem. Iam & ob sensus exuperantiam quosdam dolor arripit. Sunt enim non nulli in quibus cerebrum tam exacte sentit, ut neq; acre acetum, neque sinapi, neq; aliud huiusmodi citra offensionem ferat. Signa unamquanq; causam iudicantia, & quid qualiter officiat, demonstrantia, in prægreßis luculenter patefecimus. Quocirca operæprecium facturus non sum, si hic rursus, quæ sunt exposita, loquacius denarrem: omnia

Signa causarum.

in locis omnibus dicere, nugacitatis potius, quã doctrinæ propriũ est. Paulus Ægineta ex libro primo Artis curatiuæ ad Glauconẽ, quæ sequuntur, mutuauit: Dolores cũ grauitate molesti, plenitudinem testantur, cum erosione infestantes, uel humorum, uel uaporum acrimoniam: qui cum pulsibus obueniunt, inflammationem: qui cum tensione, siquidem grauitas, & pulsus non adsit, spiritus tenuis, & flatulenti redundantiam innuit: si cum pulsu, membranosæ partis inflammationem: cum grauitate, humorum copiam, qui intra membranas se receperunt. Curationis ratio, uaria profecto est, ac multiplex. Sed si in memoriam reuocemus, quæ in superioribus enarrata sunt, clepsydras non adeo multas opus fuerit huic rei dedisse. Quod si nuda intemperies noxam gignit, hanc Galenus septimo de Curandis morbis, in hunc modum sanare docet: Calida intemperies refrigeranda est, frigida uero calefacienda: similiter humida, siccanda, & sicca humectanda. Quod si per copulationem aliquam duarum qualitatum intemperies consistat, miscenda amborum consilia sunt, ac quæ humida calidaq; est, siccanda & refrigeranda, quæ uero humida, & frigida, siccanda ac calfacienda. Ad eundem modum sicca & frigida humectanda, ac calefacienda. Sicca uero & calida, humectanda

Curatio.

mectanda, & refrigeranda. Scire uero licet, omnium harum peßimam esse inter simplices, siccam: in compositis, siccam & frigidam. Medicamenta quibus hæc doctrina compleatur, ex quatuor primis capitulis petenda sunt. Cæterum si ex sanguinis copia seu plethora malum ipsum sobolescat, quum morbus omnis suo contrario curetur, plane constat in sanguinis detractione spem sanationis collocatam. Neq; remedium hoc in hunc, aut alterũ diẽ differri debet, sed statim et à principio, (huiusmodi enim dispositio nullã coctionem flagitat) uena uulneretur, & tantum sanguinis educatur, quantum poscit exuperantia, & uires ægri ferunt. Si dextera capitis regio afficitur, externa dextri cubiti secanda erit: si læua, quæ in sinistro cubito externa est. Nec protinus à minutione somno se componat, sed aliquantisper in unam, atq; alteram horam, imò & in plusculas (si patitur animus) uigilet: non solum hanc uigiliam (si quid recte iudico) medici præcipiunt, ut diligentem habeant deligationis curam, et ne soporatis uincula diffibulentur: qua incuria retectum uulnusculum, & adhuc à recenti sectione hians inscienti supra modum sanguinis uim effundat: quod quàm sit uitæ discrimini coniunctum, neminem latet: immodica euacuatio non minus immoderata repletione pe

Sicca intẽperatura peßima.

Phlebotomatus non statim dormiat.

riculosa est. Sed alia ratio huic facto subesse uidetur, nempe pertusa uena (hoc sensui manifestum est) statim qui in ipsa uulnusculo proximus est sanguis, effluit, mox per cōtinuationem alius, non per electionem naturæ (quod in decretorio cæstu contingit) hic effluxus fit, ut qui sectioni proximus est, intra corpus retrotrahatur, & qui inflammationem committit, aut obsidet doloris regionem protrudatur, & omnino primus excurrat, quemadmodum in parentis paritura luctabantur Esau, & Iacob: sed tandem attractus per inanitionem, & indigentiam noxius, simulque pulsus per excretoriam dolentis partis, prodit: nec omnis quidem sed qui uicinior est & fluxui maxime paratus, quum iam satis pro uirium facultate uacuatum erit, clauso foramine natura sui semper satagens (patente loco, qui non solum transmissum recipere queat, sed & sugente quo impleatur) resides succos in uenæ capacitatem depromit, eoq; modo patientes particulas, quantum ualet, infesta saburra liberat. Quā ob rem Galenus quarto de Tuenda sanitate, mißionem sanguinis iterari iußit, qui sic habet. Quam autem ob rem in his qui hoc premuntur, iterari sanguinis detractionē iubeam, nec hos multum, ac simul reficere, satis profecto fuerit uel empiricorum causam reddere: nempe quod & magis

iuuantur

iuuantur, quibus sic est emissus, & bona ualetudine diutius fruuntur, qui sicut compræhensum est, sunt tractati: cæterum & quæ ex natura rei ratio dicitur, apposuisse non sit alienum. Quoniam igitur in hac, quæ ueluti phlegmone fatigat laßitudine, uis calidi sanguinis congesta in corporis mole est. Venæ autem sectio succos è uasis emittit, utile est post priorem detractionem, tantisper intermittere, dum aliquid eorum, qui in corpore sunt humores, remigret ad uenas: quod tamen, quoniam cōmittendum nō est, ut in ijs maneat, utpote ex dimidio corruptum, sed potius plurimum eius expellatur: idcirco detractionem sanguinis etiam secundo die iteramus. Itaq; quia res se sic habet, si confestim à phlebotomia hominem obdormiscere sinimus, cōsentaneum est, naturæ opus interturbari: nempe solicita, est, & iam accincta ad causam morbi ex internis sedibus in externas, & longinquas profligandam: sed in dormitante contrarius motus obuenit, siquidem intro recurrit, & in interna secedit cum omni sanguine naturalis calor. Quapropter Hippocrates uigilātem hominem extrinsecus uult calidiorem esse, dormientem uerò opposito modo se habere. Hi porro per cōtrarios terminos motus contrarij simul consistere nequeunt, quare si somnus uincat, &

Vigilans homo dormiente calidior.

huius occasione cum succis naturæ calor intro-fugit, par est, & omnino consequens ut alter motus obtorpeat, neq; ex affecta sede uitiosus sanguis depellatur. Ergo luce clarius patescit quatenus ad profundum, & uiscera is fluxus decumbit, semper ij somni nocent, & salutem turpiter impediunt, quæ ex uigilijs imminebat, distributionem uidelicet noxij sanguinis in partes externas. Hoc Auicenna dicebat phen quarta primi: Inter uenæ apertionem, & iterationem dormire, excrementa cum sanguine expelli prohibet, quum humores per somnum ad imam corporis partem retrahantur. Imò si qua inflammatio circa uiscera ferueat, nec abundantia sufficienter per uenæ sectionem imminuta fuerit, rationabile est, ob factam etiam turbationem, quæ finem nõ attigit, si subitus somnus superueniat, inflammationem adaugeri, & febres, si quæ sunt, intendi. Sic sæpenumero in exitialibus morbis ex huiusmodi somnis fieri uidemus, pauores, timores, labores, conuulsiones, & delyria. Quamobrem experientißimus Galenus nono de Medendi methodo in curando adulescente, qui continenti citra putredinem febri laborabat, de industria sanguinẽ, quoad animo liqueretur, abstulit. Nec statim ab hac magna uacuatione hominem dormire iußit, sed somnum distulit in duas ab ipsa mißione

Galeni factũ, est præceptum.

ſione horas, & tum paulo nutrimenti dato quieſcere præceperit. Profecto congruit, nec licet inficiari, quin in exacte uacuatis ab aliquantula mora plus utilitatis, ratione coctionis ex ſomno expectatur, quàm ſit damnum, quod ex motu ad interiora conſequitur. Ad inſtitutum recurro: non nunquam natura nobis hanc operam intercipit, & ipſa ſuarum functionum prudentiſſima, aut per nares, aut hæmorrhoides, aut muliebres locos tantum ſanguinis effundit, quantum tollendi morbi modus exigit. Et quum perfectè ipſa commouet, adminiculante medico non indiget. Quod ſi imbecillior præſidium hoc non tentauerit, aut in conatu ſuccubuerit, artificis fuerit ex re ægrotantis idipſum irritare, aut in iuſtam excretionem, quod inchoatum eſt, perducere. Galenus ait: ſi tempore mittendi ſanguinis menſes moueri contigerit, ſiue etiam ora uenarum ſanguinem fundere ſolita, ſint recluſa, ſi inſpecto fluentis impetu, ipſe ſatis forte uidebitur, qui ſolus, quod requiris, uacuet, naturæ rem omnem permittes. Sin minus tantum ipſe detrahas, quo ex coniunctis ambobus perficiatur, quod poſtulas. Quod ſi frigidus humor uitium gignat, prima in concoctione ſpes eſt, & in detractione reliqua. Coquunt autem oxymel ſimplex, diureticum, ſcyllinum, ſyrupus è marrubio, cala.

Exacte phlebotomatis plus cõfert ſomnus.

Medicus naturæ adiutor.

myntha, hyssopo, acoro, stichade. Aut: ℞ hyssopi. m. j. satureiæ, thymi ana. m. ß. passularũ mundatarum ℥. j. seminis anisi, fœniculi ana. p. j. seminis urticæ, pæoniæ ana. p. ß. corticis radicis fœniculi, petroselini, sparagi añ ℥. ß. coquantur in aqua pluuia, huius decocti uncias tres cum uncia una oxymellis bibat octo, aut nouẽ dies, bis quoq; die, postea catharticum sumat, quale est diaphœnicum, electuariũ indum, hiera Archigenis, Ruffi: aut pilulas coccias uoret, aggregatiuas, agarici: aut huiusmodi compositio concinnetur: ℞ aloës lotæ in succo braßicæ ℥. ij. bdellij ʒ. iij. colcynthidis ʒ. ij. sagapeni, opoponacis ana ʒ. j. maceris, cubebarum, cinnamomi, xiloaloes, radicis inulæ, iridis pæoniæ ana ʒ. ß. salis indi ℈. j. elaterij grana. vj. mastiches ℈. ß. cum rhodomelle aggregentur, & dentur scrupula duo, aut tria pro ratione sumentis. Tenaces, uiscidos, crassosq; succos egregie uacuant, corpore probe inanito pro morbi uirtutisq; modo, quod unico plerunq; pharmaco fieri nequit, sed repetitis iterum, atq; iterum & concoquentibus, & purgantibus medicamentis, tum ad topica confugiemus: & ab initio dum crura, & partes ceruici subiectas perfricamus, dum musculorum capita funiculis constringimus, dum scapulis & infernis particulis cucurbitulas affigimus, ijs utemur,

Topica.

mur, quæ repellendi uim habent, ac pòst discutientibus & corroborantibus. Repellit autem oleum, quod immaturum nominatur, & item oxyrhodinũ, aut quod in duplici uase conficitur ex teneris oliuæ, rubi'ue germinibus, et ederæ corymbis, mentaq; uiridi, & sisymbrio. Euacuat uero atq; dissoluit oleum calidum, magisq; si antiquum fuerit, uel sicyonium, aut anethinum. Humores si non admodum sunt craßi, atq; tenaces, sufficienter per huiusmodi euacuantur. Quod si etiam serpillum intus decoxeris, aut pulegij comam, uel calamẽti, uel sampsychi, uel nepitæ, uel rutæ: ita etiam quod craßius resederit, euacuabis, & uirium aliquid cerebro adieceris. Nec te fugiat Galenum solere unguenta calefacere in duplici uase, utiq; coniecta prius in uas maius aqua feruente: quando, inquit, aliter calefactis uitiatur eorum facultas. Irrigationes præterea conducunt ex decocto maioranæ, lauri, betonicæ, lauandulæ, chamæmeli, meliloti, rorismarini, saluiæ, stichadis. Aut cum lixiuia ex quernis cineribus, aut caulium braßicæ, aut sarmentaceis, aut eius lotio, qui braßicam comedit. Nec in postremis collocandum puto, si guaiaci ramenta (nõ pauci ebenum arbitrantur) noctem & diem in aqua pluuia macerentur, deinde lento igne, & sine flamma percoquantur, quumq;

Vnguenta in duplici uase calefacienda.

Guaiaci decoctum.

ad dimidiam ferme partem coctura peruenerit, surculi aliquot libanotidis, & origani in eam conijciantur, & mox ab aliquantula ebullitione aula ab igne tollatur, eoq́; suffcruido, & in teporem uergente caput lauetur, et lauatum calente linteo diligenter resiccetur. Possum equidem neq; mendax, neq; uanum testimonium præbere, nimirum expertus, & de periculo sciẽs, quod hoc ipsum decoctum diuturnos capitis dolores (qui gallico morbo affectis eueniunt) quum bibitur, pulchre persanat. Quinimo non semel eo usus sum, post multa sine fructu tentata, ac prosperrime successit. His propinari consueui, qui morbum fateri nollent, quos tamen suspicio, & clancularius rumor debilitarent. Alexander nobilissimum prædicat unguentum, quod constat ex euphorbij uncia semis, atramenti scriptorij denarijs quatuor, myrrhæ trogloditicæ denarijs tribus, aceti quantum opus est, emolliantur hæc omnia probe, donec mellis induant spissitudinem: deinde, ait, laborantis caput à medio supercilio auspicans ad ipsa usq; tempora illinito, præcipue, ubi locus uacat capillis, uel ijs ipsis etiam inibi derasis, atq; dum quieuerit eundem locum iterum, atq; iterum perungito. Sed summopere cauendum, ne quicquam unguenti profluat in oculum. Galenus sic habet libro secundo de compo-

Alexandri unguentum

Vnguentũ Galeni ex euphorbio.

de Compositione pharmacorum secundum locos: Sæpe extempore ac improuiso pharmaca præparare coactus, simpliciter euphorbij illitione usus sum, modica cæra compagis acquirendæ gratia adiecta. Sufficit autem in libram olei, siue sabini, siue alterius ei propinqui cæræ quadrantem immittere, & euphorbij unciam unam, atq; ex hoc dimidiam frontis partem illinere, unà cum temporis uidelicet musculo. Et est ijs, qui ob frigidas causas infestantur, commodißimum, ut sæpe, semel ante balneum illitum, quàm citissime affectionem persanet. Iuuat etiam hos, si oleum tepidum in aurem instilletur, modico euphorbio ad oleum iniecto: nimirum ad libram olei unam, euphorbij uncia dimidia, si ualidum euphorbium existat. Verum in corporibus molli, ac tenero sensu præditis, etiam si minus quàm dimidiam unciam inieceris, melius res procedet. Paulus inquit: Mulier quædam in hemicranicis hoc quod sequitur, epithemate usa mirum in modum inclaruit: Radicem cucumis syluestris uiridem minutim concisam, absinthiumq; hydrelæo incoquebat, dum intabesceret, ac hydrelæo mediocriter calente partem affectam irrorabat, radicem uero & absinthium in puluerem contrita oblinebat, atq; hoc solo medicamine hemicranicos, & cum febre, & sine ipsa curauit. Aliud

Epithema cuiusdam mulieris.

nec contemnendum, ℞ piperis nigri, castorei, euphorbij singulorum denarium, hæc oleo interas, & duas, tres ue guttulas in aurem affectæ partis instilles. Nec desunt, qui in ancipiti, periculosoq; cruciatu magna cum fiducia transcurrant ad ea, quæ carnem perurunt Hippocratis sequuti cõsiliũ (qui talis inter medicos celebratur, qualis inter mortuos Tiresias, hic enim apud inferos solus sapit, cæteræ uero umbræ uolitant) ad summos, ait, morbos summa remedia adhibeantur. Nos quidem (dei munere) in eam inopiam nunquam incidimus, uti hisce tormentis opus haberemus: si tamen ea necessitas obuenerit, candente ferro iuxta caluæ suturam, ne quid tamen huius uioletur, caro ustuletur. Aut quum uulneris altitudinem res non poscit, cuti detunsis pilis medicamentum applicetur, quod uesiculas, papulasq; excitet (quale phœnigmon græci uocant) uel per tapsiam, uel per sinapim. His in extima potenter extrahuntur, quæ intus infesta cubant. Aut in hunc usum talis fiat compositio: ℞ fermenti acris ℥. ß. caricarum numero. iij. medullæ panis crudi ℥. j seminis sinapi ʒ. ij. cantharidum ℈. iiij. aceti scyllitici cochlearia. ij. pinsentur in mortario, cuius aliquanta pars applicetur loco dolenti horulas decem, aut duodecim: post has amoueatur, & acuto forficulo turgentes bullu-

Tiresias qualis talis Hippocratis.

Phœnigmon

tes bullu-

tes bullulæ excindantur, & folio nigræ braßicæ butyro prius illitæ contegantur.

Quod si bilis damnum dedisse deprehenditur, id facile innotescit: etenim ij strepitu magis, ac clamoribus, lucisq; splendore, & uini potu, calidisq; uaporibus offenduntur, quibus phlebotomia magnifice conducit, & ea cephalicæ ex oblæsa parte procedentis: etiam sanguis si non plurimus exuberat, modo totus ferueat, nec omnino corpus exuccum sit, deinde glandibus turbetur aluus, aut infusionibus, si astrictior siccescit. Humor ipse subigatur syrupo uiolaceo, rosaceo, nympheæ, endiuiæ, cichoreæ, fumariæ, papaueris, acetoso simplici. Aut ℞ florum uiolarum, boraginis, bugloßi ana. m. j. macerentur in decocto hordei, & excolato adde oxysacchari ℥. iiij. In penuria recentium florum, hoc est, quum per temporis constitutionem non habentur, eos saccharo conseruatos usurpo: arefactis nulla mihi, aut prælanguida uis inesse uidetur. Pro hoc modo ℞ conseruæ uiolarum, nenupharis ana ℥. j. ß. succi malorum granatorum ℥. iij. aquæ cichoreæ. ℔. j. fiat leuis ebullitio, & postquam deferbuerit, traijciatur per fiscum supra species diarhodi abbatis. Post hæc pharmacum excretorium dabimus, non quod multa agitatione calorem, atq; tumultum concitet, sed seruata utilita

Curatio ex bili.

Flosculis arefactis prælanguida uis inest.

te(quoad fieri queat)quietum,placidum,et amicum: quale est caßia,mãna,diaprunum simplex & solutiuum,diacatholicum,electuarium lenitiuum,pro hac forma: ℞ electuarij è psyllio ℥.ß. è succo rosarum ʒ.ij.capiat cum aqua lactis. Aut ℞ caßiæ recens extractæ cum aqua farfaræ ℥ j. specierum electuarij è succo rosarum ℈.j.diagridij grana.iij. Aut dilutum sic paretur: ℞ rhabarbari ℈.iiij.corticis myrobalanorum citrinarum ℈.iij.spicæ grana.ix.macerentur per noctem in aqua fumariæ,& adde colaturæ diacatholici ʒ.vj. Decoctum in hunc modum: ℞ capnij m.j.boraginis,circij ana.m.ß.prunorum numero.ix.passularum purgatarum,tamar indorum ana ℥.j.seminis maluæ ʒ.j.seminis anisi,fœniculi ana.ʒ.ß.folliculorum senæ ʒ.iij.coquantur,& adde colaturæ caßiæ recens extractæ ℥.ß.pulueris rhabarbari ℈.j.diagridij grana.iij. Si catapotijs magis afficitur,sumunt quæ sunt è rhabarbaro,capnio,aut ex aureis tria scrypula.

Topica. Corpore probè inanito reliquum erit ea aggredi,quæ capiti adhibita succurrere queant: adhibenda potißimum qua parte maxime dolet. Sacculus in primis conficiatur ex uiolis,rosis,nymphea,santalis,myrto,coriãdro,semine lactucæ, scariolæ. Quod si immodicæ uigiliæ malum red-

Vsus narcoticorum. dant infestius,narcoticis,sensumq; hebetantibus opus

opus erit. Sed ad hæc nõ temere properandum: meminisse oportet popularis uerbi, festina lẽte: licebit autem, quum grauioris incommodi formidine urgemur, cunctanter eis, modiceq; uti. Quamobrẽ deraso syncipiti infundemus oleum mandragoræ, alterci, papaueris, non absq; anethino. Aut tale unguentum apparetur: ℞ olei rosarum ℥. j. olei alterci, anethi ana ℥. ß. omnium santalorum ana ℈. j. corticis radicis mandragoræ ℈. j. croci. opij ana grana. vj. succi lactucæ, ℥. ij. aceti modicum, fiat unguentum secundum artem, quo tempora & frons liniantur. Aut pro hac forma: ℞ aquæ rosarum, nenupharis añ ℥. iij. olei anethi ℥. j. aceti, succi halicacabi (alkekengi dicunt) ana ℥. ß. camphoræ grana. vj. croci grana. v. opij grana. iij. calefiat, & stupa intincta applicetur parti dolenti. Salutarem quoq; comperi irrigationem ex decocto foliorum salicis, maluæ, altheæ, cucurbitæ, lactucæ, ederæ, pampinorum, rosarum, uiolarum, nenupharis, chamæmeli, meliloti, anethi, pulegij. Nimirum patefactis porulis uapores noxios foras prolicit, humoris intus cubantis acrimoniam retundit, & somnum naturalium facultatum nutritium, egregie conciliat. Sed ne te fugiat, (quoniam periculo coniunctum est) neq; humectandum, neq; infrigidandum caput, si rheumatismo

Caput quãdo non frigidandum.

obnoxium ſit: aut ob plenitudinem metus immineat, ne ob madefactionem eo corripiatur. Profecto id non proſpectum ſubitam præfocationem natum eſt ciere: nempe cholera, ſeu ipſius uaporoſa pars ex admotis frigorificis facile cogitur, atq; denſatur in aquam, quæ protinus opinione celerius ruina quadam in fauces, pulmonesq́; decumbit, & uitæ tramites obſtruit.

Curatio ex atra bile.

Si atra bilis offenſam gignit, nequaquam inutilis erit modici ſanguinis miſsio, ut hac commotiuncula ſanguis uentiletur, craſsi ſpiritus attenuentur, eorumq́; aliquota pars patefacto itinere foras erumpat. deinde bilis ipſa concoquatur ſyrupo è fumoterræ, epithymo, aſpleno, buglosſo, calamyntha, melle anthoſate. Aut ℞ ſucci boraginis, bugloſsi, lupi, capnij ana. ℔.ſ. aquæ meliſſæ. ℔ j. florum boraginis, circij, uiolarum añ m. j. florum anthos, ſtichadis ana. m. ſ. poſt aliquantam florum macerationem fiat leuis coctio, & excolatum adiecto ſaccharo ſyrupiſetur. Catharticum accipiat confectionem hamech diaſenam, pilulas è lapide armeno, fumaria, elleboro. Poſtea caput clementer fricetur, pectatur, commodisq́; decoctis irrigetur, & ceratum pro hac forma inducatur: ℞ olei uiolarum, lini ana ℥. j. axungiæ, uituli medullæ, crurum cerui ana ℥. ſ. pulueris agallochi ℈. iij. maioranæ, thymi, anthos ana

plasmatis, infusionibus percuretur: si ex sola, ac nuda intemperatura, hæc per contrariam qualitatem optime tollitur. Si membrum aliquod afflat uitium, nulla profecto in corpore particula est, nec breuißimus ipse pedis digitus, quin cerebro per consensum incommodare queat. Prudentis erit artificis primariam ægritudinem iugulare, & tum facile exolescet, quicquid hanc instar umbræ, comitatur.

CAPVT DECIMVM de phrenitide.

PHrenitis est cerebri, aut membranarum ipsum complectentium inflammatio, cum acuta febri, & mentis diminutione. Membranas autem constat esse geminas, Galenus ait octauo de Vsu partium corporis humani: quemadmodum Plato inter terram & ignem, quoniam longe à seinuicem absunt natura, aquam & aerem deum posuisse ait. ita & ego utiq; dicam, in medio cerebri & cranei, quia substantijs longe distant, posuisse naturam uerasq; meninges non contentam uno amicitiæ uinculo illa obligasse. Hæ quia custodes ac protectriculæ cerebrum diligenter circumcingunt, matres ab ipsis medicis appellantur. Altera qui-

Cerebrum geminis mẽbranis tegitur.

dem dura, atq; altera pia: non profecto, quod illa nouercans officium recuset, & hæc præstandi muneris sedulitate matrescens se perdat: sed quoniam quæ superna est, & craneo attigua subducitur, ex arterijs, uenis, neruis, omnibusq; paulo craßioribus fabricatur, quàm ea quæ inferna & cerebro propior incumbit. Tali artificio sagax natura magnæ utilitatis ergò, has cõtexuit: nimirũ superna, si tenuis æquè ac delicata extitisset, facile poterat ab incumbente osse noxam contrahere: iam ipsa quoq; ob hanc causam, duriuscula cerebri teneritudinem, si sola fuisset interiecta, suo contactu temeraret: quare alia substernitur tam solida, quæ durioris incubitum citra iacturam excipiat, iterumq; tam leuis & æquabilis, ut molliori sine ullius offensæ metu, ac tutò iungatur. In has igitur quum uel feruidi sanguinis, uel flauæ aut perustæ bilis confluxus irrumpit, primum arteriæ, quæ sunt maiusculæ, atq; item uenæ, quæ sunt capaciusculæ, ipso gurgite opplentur, ac distenduntur: confestim ab ijs minores ac deinde minusculæ, & res ita succedit, donec ad minimas peruentum sit, adeoq; nihil infarctum relinquitur, quod alicuius susceptile sit. Arteriæ uero propterea primitus, ac maxime inturgescunt, quoniam in ijs & natura calidior est sanguis, & magis etiam spirituosus, post

Phreniti-dis generatio.

hunc

thos ana ℈ j. galliæ moschatæ ℈. j. ß. cum cæra agglutinentur. Conferunt præterea diarhodum abbatis, diamoschum, diambra, diamargaritum, electuarium è gemmis, conserua boraginis, buglossi, anthos, stichadis, mentæ, myrobalani nigræ, cortex citrei condita, nux myristica, et concinnetur huiusmodi tragema: ℞ exhilarantis Rasis ℥. j. diarhodi abbatis, aromatici caryophyllati ana ℥. ß. seminis anisi & fœniculi confectorum ana ʒ. ij. coriandri præparati ʒ. j. foliorũ rosarum saccharo opertorum. p. j. mentæ, sampsychi, thymi, ana ℈. j fiat tragema, cuius à pastu semper capiat cochlearium unum. Si libet, in forma conseruæ, seu opiatæ, fiat compositio pro hoc modo: ℞ myrobalanorum, & nigrarum añ ℥. j. conseruæ anthos, stichadis ana ℥. ß. corticis citrei conditæ ʒ. vj. specierum diamoschi dulcis, diambræ ana ʒ. j. foliorum auri, seu bracteolarum numero. xv. cum modico uini aromatici concorporentur. Si cum tensione dolor existat, celeriterq; demutetur, nec ullus grauitatis sensus premat, quem humoris exundantiam significare diximus, neq; acris pulsus conuerberet, quem inflammationem portendere constat, tum flatulenti spiritus membranulas implent: quos sacculi ex milio, sale, anetho, camomilla, meliloto, pulegio, nepita, pulchre discutiunt, & radix pæo-

Curatio ex flatulento spiritu.

niæ recens eruta quũ à collo suspenditur. Aut in hunc modum: ℞ florum chamæmeli, meliloti, anthos, stichadis ana. p. j. milij torrefacti. m. j. seminis anethi, seseli, cumini ana ʒ. j. pulegij, nepitæ ana. m. ß. fiat sacculus. Si mordax est, ac erodens infestatio, hanc biliosi uapores efficiunt. Auxiliabitur flaua myrobalanus, & syrupus granatorum, arantiarum, limonum, & caput oxyrhodino perfundatur. Iam non pauci ob meracioris uini potationem, (caput habentes aptissimum ut impleatur) cõfestim cephalalgia, aut hemicrania capiuntur, ij dilutius bibant, & ab expleta siti coriandrum in aceto maceratum manducent, aut diacotoneum, & brassica ex aceto madida caput circumdetur. Alij ex calidis odoribus euestigio tentantur, quibus algifici halitus materiæ leniter olentis succurrunt. Alios ob sensus acuitatem celerrimè dolor corripit, præcipuum his remedium, ualentiore qualitate prædita fugere. Quòd si in pericranio morbus niduletur, fieri non potest quin copulationis lege, quæ intra caluam consistunt, etiam dolitent. Sed dolor is ad oculorum usq; fundamenta non pertingit. Qui si ex sanguine prodit, humeralis uena fodiatur: sin ex alio succo, post commodam coctionem is cathartico extrahatur, & mox affecta sedes unguentis, emplastris, cæratis, cataplasmatis

Curatio doloris pericranij.

cernere se putabat: atq; ita noctu, & interdiu, sine ulla intermißione cōtinenter canentes, quos clamitans, aßiduè à cubiculo expelli iußit. Et is ubi conualuisset, omnia acta, & quicquid præsentes aut dixissent, aut egissent, probè narrabat. Subijciam & tertium ex libro secundo de Motu musculorum. Confert enim magnopere ad internoscendas differentias, huiusmodi historiarum notitia: Noui inquit, quendam per tredecim dies delirasse, hoc pacto: putabat se Athenis, non Romæ iacere, crebro autem familiarem puerum reuocans, iubebat sibi, quæ ad gymnasium pertinebant, afferri: & pauca intermißione facta, Heus inquit, Ptolomeum dico, decreui in gymnasio diu lauari: ac non nunquam exiliebat interea, atque indutus ibat rectà ad ostium aulæ. Ac quum retinerent eum, qui intus erant, & exire prohibebant, Cur prohiberetur ab eis, percunctabatur, Hi uero (nihil enim licebat aliud dicere, quā ea, quæ erant uera) febricitasse eum dicebant, & adhuc febricitare, ipse autem ad hec ualde modeste respondebat, Scire enim ipse dicebat, quod adhuc reliquiæ febris sibi restabant, sed eas esse penitus exiguas, nec metuendum ne à balneo læderetur, ortam enim sibi totam præsentem febrem ex itinere. An non recordaris, conuersus ad puerum dicebat, quod laboriosè heri iter fecimus à

Historiarū notitia conducibilis.

Megaris Athenas talia quum diceret, ac faceret, fluxu sanguinis per nares copioso sibi facto, & post ipsum sudore, statim quidem conualuit. Iam quum media dumtaxat pars peruritur (in hac cogitatio, & ratiocinandi uis consistit) tum nullus quantum ad sensitiuam notitiam error interuenit, sed communis sensus suo munere probè fungitur, ne ꝙ uisum iudicat, quod nusquam oculus conspicit: neq; exauditum, quod auribus non insonat, uerũ rationis discursus uacillat, cuius obscuræ flammarũ fuligines amabile lumẽ obtenebrant. Hi æquum, & bonũ constituũt, quod nefarium est, atq; immane: quare obscœnè uociferantur, uiolenter insiliunt, & abominanda facinora patrant: & hæc est phrenitidis altera species.

Phrenitidis secunda species.

Cuius læsionis modũ Galenus sic explicat: quum Romæ quidam domi cum lanifici puero contineretur, surgens à cubili uenit ad fenestram, per quam & ipse uideri, & prætereũtes uidere potuit. Itaq; ex uitreis uasis singula ostendens interrogauit, imperarent ne ut ea proijceret. Illi uero ridentes, plaudentesq́;, ut ea proijceret, rogabant: tum ipse deinceps omnia arripiens proiecit. At illi magnis acclamationibus riserunt. Postea iuberent, ne puerum quoq; eijci, quum eos interrogasset, atque id illi iußissent, ilico ipsum deiecit: quem ab alto cadentem uidentes

Lanifici filius proijcitur.

suppresso

hunc, qui in uenis: quin mox omnia, quæ cum ijs circumposita cubant, indomitis flammis corripiuntur, & hæc est phrenitidis generatio.

Cuius quum plures sint species, duas tātū præcipuas Galenus libro quarto de Affectis locis, enumerat, ex quibus tertia non nunquam micat. Has ex perturbatis animi functionibus distinguit: constat enim cerebrum huius esse domicilium, quod quum belle habet, & recte constitutum ualet, mirū est, quàm in eo uigeat, ac triumphet pandocheus, agatq; omnia supra querimoniam. Et quoniam ipsius nō una est, nec simplex agendi facultas, Architectus ipsum quoq; habitaculum in cellulas, ueluti officinas, in quibus singulas operetur, incredibili artificio discreuit. Inde est, nisi totum, & ex qualibet sui parte innocuum extiterit, animus continuo delirat, & pro qua parte imbecillitatem patitur, ea statim facultas aberrat, cuius temerata pars sedes existit: quocirca sinciput, anteriór ue cerebri regio, quum labefactatur, tum communis sensus, & imaginatrix, quia in hac stabulātur, difformiter mouentur, ac corrupte iudicant: cogitatione quidem nequaquam falluntur ij, nec male cohærentia loquuntur, nec enorme quicquā designant, sed arbitrantur se coràm, & claris oculis cernere, quod nusquam uident, neq; etiam ut uideant,

Phrenitidis species sunt tres.

Cerebrum quare in cellulas diuisum.

à quoquam obijcitur. Auribus quoq; se exaudire contendunt, quod minime sonat, neq; ut sonet à quoquã agitatur. Et hæc est prima phrenitidis species, quã se perpessum Galenus quarto de Affectis locis, in hunc modum scripsit: quum per æstatem ardenti febre laborarem, & festucas atro colore ex cubili eminere, & floccos similiter in uestibus esse putabam, quod auferre tentans, nihilq; sub digitis eductum inueniens, accuratius, uehementiusq; id efficere conatus sum. Audiens itaq; duos ex amicis, qui tũ aderant, dicentes: Vides ne hunc iam & floccos euellere, et festucas colligere: statim intellexi idipsum, quod dicebant, me fecisse. Quum uero sic animo constarem, ut rationalis in me facultas non uacillaret, Recte, inquã, dicitis, proinde ne phrenitis me arripiat, auxilio estote. Illi autem, quum idoneis rigationibus caput fouerent, tota die, sequentiq; nocte, grauibus insomnijs turbatus sum, ut interim & clamare, & exilire uiderer. Verum postero die mitigata sunt omnia. De Theophilo autem medico in libro de Symptomatum differentijs sic meminit: Theophilus quũ alioqui sapienter se haberet, neq; temere quicquam ageret, omnesq; præsentes pulchrè nosceret, tibicines quosdam in angulo cubiculi sui esse arbitrabatur: alios quidem consistentes, alios uero considentes cernere

Prima species.

Thophili phrenitis.

ſuppreſſo ſtatim riſu accurrerunt, & afflictum iam puerum ſuſtulerunt. Quibus porro utraq; regio temeratur, hi & ſenſus, & cogitationis ui tio corripiuntur. Galenus ait tertio de Symptomatum differentijs: in cogitandi functione amentia, quaſi reſolutio quædam eſt. Stultitia, ſiue fatuitas ueluti imperfectus ac deficiens motus eſt: delirium uero uocatur motus aberrans, ac ueluti deprauatus. Accidit quoq; plærunq; ut ambas actiones obturbet delirium, ut neq; bene procedat imaginatio, neq; fiat ratiocinatio.

Phrenitidis tertia ſpecies.

Hanc tempeſtatem imminere quædã ſigna eui denter præmonſtrant. Quum quis immodicis ui gilijs præter conſuetudinem infeſtatur, & ſopor poſt longam expectationem adueniens non quietem, ſed laborem adferat, uarijs imaginibus terrefaciens, ut nunc effrenis clamitet, pugnet, æſtuet, nunc affectu contrario meticuloſus horreat, eiulet, lachrymetur, ut plurifariàm nec uno modo in tam inæquabili, ac proceloſa ſuccorum agitatione defatigetur. Mox qui ſeſe ſublimes ſurrigunt, & turba mirantur in omni, opes, cenſusq; iactitant, ac maiorum ſtemmata crepant: non ſolum ſtultitiæ argumentum eſt hæc uentoſa prædicatio, ſed inſaniam apertè prænunciant. Triſtitia quoq; in ijs, qui alacres eſſe ſolent: & ita præceps in manſuetis, & in ijs, qui leui ani-

Signa præſagientia.

mo graues etiam iniurias pertulerũt. Insuper obliuiscentia, quũ antea dictorum, ac factorũ pulchrè memores ex re cuncta cõponerẽt: quibus si accedat ceruicis ab occipitio, & secundum summas uertebras dolor, haud leuiter coniecturam roborabit: siquidem in ea regione grandes arteriæ, & amplæ uenæ sternuntur, quæ sunt humorum uiæ in caput confluentium, ita in his prima seditionis conspiratio feruet. Nunc si tempora saliant, & frons intendatur, hypochondria pulsent, oculi nictent, fientis morbi ueridicas notas collige. Sed Galenum præstat laudare, qui libro quinto de Patiẽtibus particulis, capite tertio sic habet: Antequam inualescat, præcedunt ipsum accidentia non pauca, eaq; omnia phrenetica indicia uocantur, quæ ab his quoq;, qui me præcesserunt, conscripta sunt: nam interdum uigilias præcedere, siue etiam somnum manifestis imaginibus turbatum, ita ut clament non nulli, & exiliant, uidere est. Interdum uero adeo agrestis accedit obliuio, ut laborantes aliqui, quum matellam petiuissent, meiere tamen neglexerunt: Aut quum lotium emisissent, matellam ipsam prodere haudquaquam meminerint: interdum maiori cum tumultu, aut temeritate respondent, præsertim ubi aliquis antea fuerit mansuetus. Atq; ij omnes exiguo utuntur potu: spiratio ipsis rara

est, & magna: nonnunquam occiput dolor infestat. Auicenna phen prima tertij, Praecedunt, inquit: karabitum obliuio rei propinquae, & tristitia sine causa, & somnia mala, & soda multa, & grauitas, & repletio: & antecedunt ipsam secundum plurimum citrinitas faciei, & uigiliae prolixae, & somnus inquietus. Et accidentia haec fiunt fortiora, dum materiae perseuerant in itinere perueniendi ad caput, & reuoluuntur in uenis suis, & subtiliantur. Et quum appropinquant ei, & bibit cerebrum materiam, inueniũt principium doloris ex posteriore parte capitis, apud locum, in quo est coniunctio colli, & capitis. Est praeterea quum incommodè ualẽtes praeter ulla praeludia, & sine aliqua praesensione, subito irruat. Nequaquam tamen efficientis causae tam est subita, ac repentina generatio, quam est ipsius affectus inopinata & inprospecta irruptio. Pedetentim enim, atq; silenter, in corpore non nunquam causae, duae excitandis huiusmodi malis sunt aptae, succrescunt. Quod & à rabidis canibus morsis usuuenit. Nam (auctore Galeno) consentaneum est non ociari, nec infusum conquiescere canis uenenum, licet multis interim proximis mensibus se non prodat, nec uim suam explicet: uerum illos, quum post multum interuallum aquam fortaßis uiderint, formido ta

Phrenitis subito non nunquã irrumpit.

le nihil metuentes corripit, & postea breui moriuntur. Longo siquidem tempore, ac paulatim causa rabiem efficiens fortescit: & ubi tandem eò peruenerit, celerem & improuisam mortem adfert. Haud aliter uitiosus aliquando in corpore succus coaceruatur, qui à letalis ueneni natura non admodum distat. Hic in uicinis humoribus aliquid perpetim agens, eò tandem euadit, nullam ante sui significationem faciens, ut statim febrem accendat, & improuisam phrenesim pariat. Neq; alius est morbus, qui fit, & iam factus est: crementum enim speciem minime uariat. Quod eleganter libro primo de Affectis locis, Galenus disserit, cuius equidem uerba, & sententias, quia me plurimum afficiunt, nec quenquam aliter affectum credam, hisce commentarijs cupienter infarcio. Hic inquit: an uero de quolibet morbo dum fit, sed nondũ factus est, eodẽ modo dicẽdũ sit, haud ab re quæritur: neq; enim omnium quæ fiunt, eadem ratio est: quippe res similares nullã naturalẽ figurã requirentes, protinus ab initio eadẽ cõstãt essentia: dißimilares uero, & quibus uaria est forma, essentiam generatione posteriorem habent. Neq; enim quum domus construitur, simul fiunt fundamenta, parietes, fastigium, tegulæ, ianuæ, fenestræ, ex quibus omnibus quodam modo cõpositis, atq; in unam

Vnus est morbus siue fiat factus sit.

formam

formam redactis, domus ipsius essentia composita est. Morbus uerò & calidus & frigidus, & humidus, & siccus, protinus ab initio, quum primum corpus temperaturæ, quæ bonæ ualetudini debetur, limites excesserit, eandem sibiipsi naturam habet. Quamuis enim interdũ adeò sit exiguus, ut neq; à nobis cognosci, neq; laborantium sensu percipi poßit: nihilominus tamen propriam habere speciem censetur. Nec aliter quidem inflammatio, quæ in animalis parte constiterit, siue maxima, siue minima fuerit, unus atq; idem erit affectus, non specie, sed magnitudine uarius. Post fientis indicia, iam & factæ & efferuescentis commonstremus. Iis statim ardentißima febris inest, quæ suo æstu externas partes, adeoq; uniuersum corpus prælicenter adurit, & quandoq; in altum se condit, & circa uiscera non minus conficiens debacchatur. Oculos habent cruentos, turgentibus simul, & rubentibus uenis, in quibus tremulæ quædam ueluti promicãtis ignis scintillulæ splendescunt, quos & sæpe perfricant interim aridos, interim lachrimantes. Toruo quoque ac truci obtutu respectant, lingua torrida, salebrosa, & nigra est: membra propter mouentis potentiæ imbecillitatem intremiscunt: Quos Hippocrates libro de Prædictionibus, morituros iudicauit: Insensiles præterea efficiuntur, ob uiolentum incendiũ

Phrenitidis iam factæ signa.

aſsicato cerebro, & neruis ab ipſo propagatis: cibum omnem auerſantur: uirulenta uomunt: multum uigilant, & qui obreptat ſomnus, omnino implacidus eſt, ac perturbatus: nec habitum probè cubantis ſeruant, ſupini retractis cruribus in ſpinam iacent: experrecti palpebras difficulter attollunt, ægerrime appellati reſpondent, eaq́; aliena, & male cohærentia: modo rident, uiciſsim plorant: quum matulam, ſcaphium ue ſubijci poſtulant, priuſquam ſubijciatur, dicto citius non meminere. Galenus de Difficultate ſpirandi: Qui, inquit, inſaniunt, mentem quidem, ut arbitror, in imaginibus ipſis, ueluti ſtudijs quibuſdam, & contemplationibus defigentes, functiones arbitrarias ſpernunt, neq; urinam excernūt, niſi quis admonuerit, neq; egerunt, neq; cibum, neq; potum, neq; quippiam aliud ſimile expoſtulant: quod ſi forte fortuna aliquando petierint, rurſumq́; monitore egent. Multos procul dubio nouimus, qui ubi matellam petijſſent, ea data neq; minxerunt, ſed in manibus ipſam tenuerunt: alij ſurrexerunt quidem, ut uentrem expurgarent, at ubi deſederunt, omnino rei agendæ ſunt obliti, nec quippiam operati ſunt, donec qui adeſſent, in memoriam reducerent. Vt autem hi omnes longa temporis interſtitione ſuas obeunt functiones, ſic & ipſas amplitudine compenſant

pensant: affatim igitur plurimum excernunt, unoq́; potu, plus quàm moderatio expostulat, ingerunt, atq; singula alia modo efficiunt simili. Ex stragulis floccos euellunt, ex pariete stipulas carpunt, festucas legunt, pusillas bestiolas uenantur, & temeraria manuum gesticulatione ea persequuntur, quæ nusquam sunt: spiritus per interualla magnos trahunt, & ex imò pectore grauiter suspirant: offensa enim mens suas actiones neq; cohibere, neq; auspicari satis apte ualet: pulsus languidos edunt, & exiguos, & quadam tenus duros: lotium tenue, quod si aquæ quoq; speciem refert, interitum denunciat, quem admodum & alui candicans deiectio. Nimirum ipsa febris, indicium facit multitudinis uitiosi succi: urina uero quum nō tingitur, perspicuum est hunc in uasis non contineri, sed leuitate sua in capitis regionem ferri. Itaq; quod egeritur, aut ueßica reddit, si albet, mortem portendit: neque enim poterit uirtus cerebri seruari, quum tantus ingruit acutæ, mordacisq́; materiæ affluxus. Si quis etiam dentibus strideat, non consuetus à pueritia ita efficere, exitiosum est. Cæterum quibus feruidus sanguis hanc calamitatem gignit, ij cum risu desipiunt, & in minori uersantur periculo. Quibus splendida bilis morbum facit, ij nequiter ferociunt, & grauiori dis-

Vrina aquosa in febri peßima

crimini ſubiacent. Quibus uero nigra ac peruſta bilis negotium faceſcit, horum rabies uinculis eget: præcipites ſunt, atq; immanes, & in Libitinæ rationem concedunt.

Dieta.

Dieta ijs præſcribatur, uti in aere cubent ſubluſtri, nec obſcuro penitus, nec etiam perlucido: qui pro temporis conſtitutione, & æſtu febris refrigeretur. Auerrhous inquit capite ſecundo, ſectionis tertiæ Collectaneorũ: ubi aër ægritudini repugnat, eximiam utilitatem ægrotanti, ac ſummam uoluptatem medicanti adfert. Frigidus aër ſaluberrimus eſt ad deflammationem uiſcerum, quatenus reſpiratione attrahitur: attamen utilis eſſe non poteſt, quatenus ægrum extrinſecus ambit, quoniam denſat, cogitq; cutem, ac delationem uaporum prohibet. Sed ex inſpiratione frigidi, clarius emolumentum aduenit, quàm ex aſtricta cute nocumentum. Hominum turba neutiquam cubiculũ ingredi permittatur, nempe ex multorum ſimul congredientium flatu aër craſſeſcit, ac turbido calore inficitur. Amiculi interdum admittendi, qui ægrotum ſolentur, & ſi quid mentis ineſſe conſpiciant, paucis, blãdisq; cõpellent. Aut ſi magis ex re, et commodius uidebitur, auctoritate, probris, minis reuocẽt, caſtigẽt, terrefaciãt. Nullæ adſint picturæ, nec aulea, nec quicquã uario colore diſtinctum, hæc

Frigidus aer in inflammationibus utilis.

Picturæ animales ſpiritus fatigant.

hæc ſenſitiuos ſpiritus fatigant, & animalem facultatem perturbant. Optimus ijs cibus eſt ptiſanæ cremor ad unguem coctus, utpote qui frigefacit, & humectat, & ſine ſiti hominem ſeruat. Aut panis calida elotus: aut elixi gallinacei iuſculum adiectis boragine, bugloſſo, lactuca, ſpinachio, malua, acetoſa, (oxalidem dicunt) uuis acerbis, omphacio. Algifica quoq; ſemina, cucumeris, melonum, citrulorum, cucurbitæ, decorticentur, & in mortario contuſa per cribrum diſtringantur cum decocto furfuris triticei, & ſaccharo pro guſtu dulcoretur. Aut hordeum diſcoquatur, & cum purgatis aliquot amygdalis contuſum per ſetaceum cogatur. Oluſculis etiam ueſci poteſt, & in uehementi ardore incoctis, lactucis, ſpinachijs, intybis. Commendantur punica mala, citrea, limones, arantiæ,ceraſea, pruna, acidaq; omnia. Semper aliquid offerendum, nec ulla dandi occaſio eſt prætermittenda: cibi enim mitiorem, minusq; mordacem, ſi ſqualens, acerq; eſt, calorem reddunt. Potus exhibeatur uinum, quod Græci olygophoron dicunt, quaſi aquam non ferens: aut ceruiſia tenuis, aut dilutum hydromel, aut hydroroſatū, aut decoctum tamar indorum. Frigidam nequaquam bibant, præſertim ſi tranſuerſum ſeptum conſortij lege damnum dediſſe deprehendimus, niſi ualida fue-

Cibi calorem mitiganti.

rit uirtus, & febris ardentißima, & lotium coctionem significet. Quibuscunq;, inquit Galenus, in principe particula tumor aliquis e phlegmonis, œdematos aut scirri genere consistit, ijs frigidam offerre non oportet: non nulli etenim intempestiua, immodicaq; eius potatione, nec multo interposito tempore, nec postmodum, sed ilico difficultate spirandi, & conuulsione, & tremore corripiuntur, & toto, ut semel dicam, neruoso genere læduntur. Pedes ac tibiæ abluantur decocto salicis, uitis, maluæ, nenupharis. Ad saturitatem dormiant, noxiæ sunt insomniæ. At tamen sicut à cibo ad somnum conuersi implent caput, sic in plethoricis dispositionibus somni ipsum replentes aggrauant cerebrum: sed spes est in ijs ab ipsa sanguinis mißione celeris coctionis. Animum, si quid eius retinent, minime despondeant, neq;, si fieri queat, usquam exasperentur. Quasuis enim offensiones grauißime ferũt.

Curatio. Curationis ratio à uenæ sectione auspicetur, sine qua inanis fuerit omnis labor, sterilisq; conatus, siue iam morbus fiat, siue iam factus sit. Auicenna inquit, phen prima tertij: si sanguis quidem in toto habetur corpore, & in capite materia exuberans continetur, phlebotometur cephalica: sed si nondum continetur, sed est in hoc, ut contineatur, minuatur

nuatur nigra: & si timeatur compræhensio, antequam incipiat peruenire ad hoc, ut contineatur, sicut si contingat propter causam attrahentem humorem in circuitu capitis ex caliditate extrinseca, aut percußione, aut reliquis, phlebotometur basilica. Et si uis, ut extrahas plus illo, phlebotoma saphenam. Sanguis pro exundantiæ modo, pro uirtutis robore, pro ægritudinis magnitudine uacuetur. Hac opera tollitur infesta plenitudo, et impetus uaporū sursum contendentium reuellitur, & succorum lasciuientium æstus cohibetur. Sed diligenter prospiciendum, ne uinculum, quo ad sanguinis restrictionem uulnusculum obligatur, æger temere diffibulet: siquidem hæc incuria periculum minatur, fortaßis adhuc hians plagula in nimium fluxum solueretur: deinde leui chysmate aluus proluatur ex hydrelæo, seu rosaceo, cum ptisanæ cremore, aut pro hac formula: ℞ lactucæ, scariolæ, maluæ, uiolariæ ana. m. j. florum nympheæ, cichoreæ ana. m. ß. seminis psyllij, maluæ, cucumeris ana. p. j. seminis anisi, fœniculi, ana. p. ß. furfuris. p. ij. coquantur in aqua, & adde excolato olei uiolacei ℥. iij. caßiæ recens extractæ ℥. j. salis modicum. Aliud: ℞ ordei. m. j. foliorum salicis, cucurbitæ, brancæ ursinæ, altheæ ana. m. ß. passularum mun-

Vinculum ne phlebotomato temere soluatur.

datarum ℥. j. folliculorum senæ ʒ. vj. coquantur in aqua lactis, & colaturæ addantur olei nenupharis ℥. iij. diacatholici ℥. j. salis pauculum. Quum metuimus intestinorum debilitatem (cuius semper meminisse decet) adijcimus aliquid mentæ, aut sisymbrij. Iam si morbus non nullas inducias pollicetur, nec properiter in uigorem contendit, ex arte fuerit, simul & ex re male habentis haud protinus ad cathartica confugere. Quin pro data morula occasionem arripientes uitiosum humorem concoquemus. Id est experientißimi Hippocratis consilium: in acutis paßionibus raro, & in principijs medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum. Nec expedit quidem, neq; tutum est, ardentes prunas ferro commouere, ne sparsis scintillis incendium latius uagetur. Itaq; huiusmodi aposema paretur: ℞ endiuiæ, cichoreæ, lactucæ ana. m. j. radicis plantaginis, rostri porcini, graminis ana ℥. ß. tamar indorum ℥. j. seminis maluæ. p. j. coquantur in aqua, & colaturæ addantur syrupi uiolacei ℥. iij. acetosi simplicis ℥. j. Aliud: ℞ ordei. m. j. fumiterræ, lupulorum, boraginis, bugloßi ana. m. ß. florum uiolarum, nenupharis, cichoreæ ana. p. j quatuor seminum frigidorum ana ʒ. ij. prunorum numero. xv. coquantur, decoctum coletur ad ℔. j. cui adde sy-

Prunæ ferro nō commoueantur

rupi cichoreæ ℥.iij.granatorum ℥.ij.accipiat bis quoq; die uncias quatuor. Materia quadantenus concocta (siquidem in ijs procrastinatio mala est, & quæuis opportunitas, ne qua præceps elabatur, corripienda) purgationum pharmacum exhibeatur, ex eorum genere, quæ minus calefactant. Quale est, quod habet florum boraginis, circij uiolarum, nympheæ ana.p.j.tamar Indorum ℥.ß.prunorum paria.vj.passularum enucleatarum ℥ j.seminis endiuiæ, scariolæ, lactucæ ana ʒ.j.senæ ʒ.iij.coquantur in sero bubulo, colaturæ adde caßiæ recens euulsæ ℥.j. Aut ℞ huius decocti ℥.iiij.in ijs macerentur rhabarbari ʒ.ij.expresso adde syrupi uiolarum ℥.j. Aliud ubi perusta fuerit bilis, ℞ fumariæ, lupulorum, ana.m.j.scabiosæ, buglosßi, sparagi ana.m.ß.seminis maluæ.p.j.seminis psyllij. p.ß.epithymi ʒ.ij.corticis myrobalanorum citrinorum, & nigrorum ana ʒ.iij.coquantur secundum artem in aquis alkekengi (halicacabũ appellant) & farfaræ, excolato adde diacatholici: & diasenæ ana ʒ iij.sumat sub auroram tepidum. Ab hac inanitione confestim nos accingemus ad remanẽtium succorum alterationem, pro ipsius inflammationis acerbitate, & ad cerebri, cordisq; corroborationem, pro facultatum imbecillitate. In hanc operam magna cum fiducia usurpabimus confer

uam rosarum, uiolarum, boraginis, buglossi, florum intybi, nenupharis, capnij, triasandalum, diamargaritum. Aut concinnetur tale eclegma: ℞ conseruæ uiolarum ℥.ij. conseruæ rosarum, corticis citrei conditæ ana ℥.j. diarhodi abbatis, manus christi cum margaritis ana ʒ.vj. rob è ribes ℥.ß. trochiscorum caphuræ ʒ.ß. cum syrupo è limonibus, seu granatis concorporentur, & ueletur auro, aut immisce aliquot auri bracteolas. Aquas bibant endiuiæ, cichoreæ, farfaræ, solani, halicacabi, lactucæ, portulacæ, plantaginis, aut decoctum ordei cum saccharo rosato, aut uiolato, aut eo, quod manum christi dicunt. Iuleb paretur in hunc modum: ℞ aquæ portulacæ, buglossi ana. ℔. j. succi ex acidis granatis. ℔. ß. sacchari rosati quantum satis est ad gustum. Quod si morbus in rabiem exæstuet, et in principem partem plena phrenitis debacchetur, non aliud remedium salubrius, uel ex Epidauro accersitus Æsculapius attulerit, quàm ut euestigio frontis uena incidatur, si modo tam ualens uirtus sit, quæ sine noxa mißionem toleret: tantumq́; sanguinis semel ducatur, quantum ratio permittit eorum, quæ assensum in hanc rem præbere debent: nec utilis solū in summo uigore hæc phlebotomia comperitur, sed ab initio quoq;, & mox gliscente uitio, post commodam reuulsionem

Vena frontis phrenesim tollit.

ſionem magnificè opitulatur: eaq; aptiſsimè perficietur, ſi collum tantiſper iniecta faſciola aſtringatur, donec toroſior uena emineat. Æger aut amicorum commonitionibus, aut manibus miniſtrorum coërcitus, ſic conſideat, ut idonei uulneris fiat inflictio. Namq; hoc (expertus loquor) præ alijs multis adminiculum eſt longe potentiſſimum. Quare ſedulo & diligenter inſtandum, modisq; omnibus adnitendum, ut ocyſsime adhibeatur, priuſquam uires concidant: quas omnino conſentaneum eſt, non poſſe diutius in tanto conflictu ſaluas conſiſtere. Quòd ſi quid aduerſum obſtabit, aut impedimento erit, quominus peragatur, narium epiſtomia refringantur. Galenus inquit tertio de criſibus, finit & phrenitidem ſudor multus, & præcipuè ſi ex capite multus & calidus profluxerit, ſudante ſimul reliquo corpore. Contingit autem & aliquando, quod per ſanguinem è naribus fluentem phrenitis finiatur. Quare ſi natura hanc uacuationem non tentauerit (proprium quidem ſignum ſanguinis ex naribus profluxuri, eſt præcordiorum tenſio) Medicus ſuo fungens officio naturæ ſuccurrat. Hæmorrhoides quoq; ſi ſuppreſſæ tument, acuto ſcalpello fodiantur, aut admotis hirudinibus ſanguis extrahatur. Si menſtrua proluuies mulieri non redditur, opportunis medicamentis

Præcordiorum tenſio ſanguinem ex naribus profluxurum ſignificat.

citetur. Sed quia hæc non nunquam artificem frustrantur, id enim Hippocrati accidit, in Phaethusa Pythei coniuge, & Namysia Coripsi uxore, sic is habet sexto Epidemiarum, Medicis quidem omnibus, inter quos et ego casu fueram, spes unica uidebatur, si muliebria naturaliter descenderent, quæ quum multa fecissemus, non uenerunt, in hoc ergo euentu, uel potius posthabitis ijs, quæ hunc fluorem concitant, quum multa caliditate prædita sint, nec dilationem morbus præbeat, uena iuxta malleolum decurrens protinus percutiatur: postea coxendices, & ipsa crura in summos usq; pedum digitos perfricentur, musculorum capita strictioribus institis deligentur, et cucurbitulæ defigantur. Etenim quum est in domitus et uiolentus humorum in affectam sedem concursus, alienum non fuerit contraniti, & fricationibus, & ligaturis, & cucurbitulis, & modo quouis obluctari, ne quò tendunt, aliquando peruadant. Sed illud interim Auicennæ in mentem ueniat: quum ad locum remotum materiam reuellere intendis, mitiga prius dolorem loci affecti: sic enim minor fiet tractionis uiolentia, quum dolor ipse trahat. Quod si importunè trahere festines, fortassis huiusmodi urgens infestatio materiam mouebit, eamq; attenuabit, & non trahetur, imò ad affectum locum facilius reuocabitur. Quapropter

Hippocrati non successit menstruorum prouocatio.

Concursus humorum quo pacto impediatur

Topica.

propter statim & in principio ab ipsa minutione deraso capiti oxyrhodinum liberaliter est admouendum, ut sint olei partes quatuor, aceti pars una. Duo pitacia, inquit Celsus, habeãtur, quæ latitudinem frontis, lõgitudinemq; æquẽt, ex his inuicem alterum in rosa & aceto habere, & alterum in fronte, aut intinctam eisdem lanam oportet. Quo sane remedio nullum præsentius excogitaueris: nempe affluentes humores strenue repellit, afflictæ sedi mirificum robur addit, calorem potenter reprimit, & dolorem pulchrè lenit. Porrò rosaceũ myrtino præstat, quia partium est magis tenuium, altiusq; descendit, præsertim si insolatum sit. Flores enim si ualidam odoris gratiam repræsentant, & pluribus diebus constantẽ ex insolatu tenuius ipsorum oleum, magisq; utile redditur. Qui inualidiores sunt, faciliusq; difflari possunt, minus insolatum tolerant, uti quorum uirtus promptè exolescat, utpote lilium & uiola. Quare & primis exemptis, prorectisq;, alij debent immitti. Quod si exæstuantius erit caput, & maiorem refrigerationem postulabit, oxyrhodino addemus succum plantaginis, aut acetosæ, uirgæ pastoris, ederæ, maluæ, uiolariæ, lactucæ, aut muci laginem psyllij, & aceti plusculũ. Aut ℞ aquæ

Flores insolatum tolerantes.

ſolatri, roſarum ana ℥.ij. olei roſarum, nenuphá ris ana ℥.j.ß. aceti uini ℥.j. croci ℈.j. camphoræ grana.vj. Neminem (uel me tacente) latet ubi ſanguis noxam gignit, frigefacientibus opus eſſe, et moderate aßiccantibus: ubi ex flaua bile uitium erit, humectantibus. Quæ quum peruritur humidiora poſcit, atq; frigidiora. Cataplaſma in hunc, aut conſimilem modum conficiatur: ℞ foliorum rubi, ſalicis, ederæ, lentiginis aquæ añ m.j. coquantur in aqua, qua poſt cocturam defuſa, herbæ in mortario tundantur, addendo olei roſarum ℥.ij. olei melini ℥.j. mucilaginis pſyllij ex aqua ſolatri ℥.ß. aceti ℥.j. terræ ſigillatæ ʒ.ij. farinæ ordei. p. ij. croci ℈.j. redigantur in formam pulticulæ. Auerrhous ait capite tertio ſectionis tertiæ Collectaneorum: Cerebrum tuto calefacere potes, refrigerare non citra periculum. Præter hæc egregie inſaniam cohibet, cerebriq; intemperaturam corrigit, ſi uiriles globuli madefacto linteo in aqua, ſuccóue alkekengi, aut ſedi, aut portulacæ admiſto aceto inuoluantur. Vbera quoq; fœminarum conſimili epithemate madidentur. Odoramenta ex roſis, uiolis, nenuphare, papauere, ſantalis, camphora pulchrè conducunt: renes ungantur oleo papaueris, nympheæ, ranarum, ſalicis, cucurbitæ. Cordis regio hac infuſione irrigetur: ℞ aquæ farfaræ

Viriles globuli frigida fouendi.

roſarum

rosarum ana.℔.ß.succi granatorum acidorum ℥.iij. omnium sandalorum ana ʒ.ß.specierum diamargariti frigidi ʒ.j.trochiscorum caphuræ ℈.j.spicæ,croci ana grana.v. Postea applicetur huiusmodi sacculus: ℞ rosarum rubearum, florum uiolarum,boraginis, buglossi,nenupharis ana.p.j.seminis endiuiæ, scariolæ, lactucæ añ.p.ß.omnium sandalorum ana ʒ.ß.terræ sigillatæ ʒ.ij.camphoræ croci ana grana.vj.fiat sacculus ex aceto madidus applicetur cordi. Eclegma,cuius partem sæpenumero assumant: ℞ conseruæ florum cichorij ℥.ij.conseruæ nympheæ, uiolarum ana ℥.j.conseruæ rosarum,corticis citrei conditæ añ ℥.ß.mucilaginis psyllij ex aqua buglossi ʒ.ij.seminum frigidorum mundatorum añ ʒ.ß.spodij seminis acetosæ,citrei,tragacãthæ ana ℈.j.specierum diamargariti ℈.iij.croci grana.ix.trochiscorum camphoræ ℈.ß.bracteolas auri puri puti & obryzi.xv.concorporentur cum syrupo citrangulorum. Quum iam imminutus erit calor, & aliquousq; consopitus dolor,nec nos nouus alicuius materiæ influxus terrebit embrochis ac perfusionibus conabimur laxare capitis suturas,& aperire cutem,& in uapores ac halitus ut digeratur,attenuare,quod intra caluã reliquũ illatebratur. In quẽ usum confert decoctũ florũ chamæmeli,meliloti,seminis

anethi, maluæ, serpilli, parietariæ, hæbisci, ederũ, mentæ: uiolarũ, rosarũ, anthos, stichadis: aut pulmones ab animantis iugulatione adhuc spirãtes inducãtur: aut catellus per tergũ dissectus, aut porcellus, aut gallinaceus. Serenus cecinit:

Conuenit hic calidis pecudum pulmonibus aptè,
Tempora lãguẽtis medica redimire corona.

Philippus à camerage curatus.

Ego nuperrimè in ardentißima febrì cum mentis uacillatione generosi domini Philippi à Camerage, filij illustrißimi domini Ioannis à Bossu nondum sexennis, usus sum hagninis pulmonibus, & in ipsius capite sopita tempestate tubercula multa erumpebant, & facta suppuratione sanescebant. Eorum mihi commentum minus prædicabile uidetur, qui quum auferuntur, in aquam calidam hos mergunt, aut in decoctum lauri, saluiæ, pulegij, & rursus magna cum fiducia fortiter apponunt. Mea existimatio est, non plus tum conducere, posteaquam restinctus est animæ calor, quàm si lana, aut pitacia eisdem imbuta admouerentur. Illud magis in rem facere arbitror, præsertim si uexant insomnia, ut quum primitus applicantur, ijs lactucæ semina, aut papaueris, aut hioscyami, aut mandragoræ inspargantur. Cæterum quoties hæc remedia mutabuntur, potabilis aquæ balneo, aut irrigatione supradicti decocti, ab alto fundente manu caput abluere

Pecudum pulmones quatenus iuuent.

abluere, & fouere oportet. Nunc si omnino luctandum erit cum importunis uigilijs (Siquidem hæ & ipsum malum uehementer incendunt, & ægri uires inordinatis commotionibus nequiter conuellunt) stupefacientibus utemur: torpedinem in hoc euentu salutarem Galenus putauit, si uiua inducatur. Capitis dolorem (inquit Scribonius Largus compositione nona) quemuis ueterem, & intolerabilem tollit, & in perpetuum remediat, Torpedo uiua, nigra, imposita loco, qui in dolore est, donec desinat dolor, & obstupescat ea pars: quod quum primum senserit, remoueatur remedium, ne sensus auferatur eius partis. Plures autem parandæ sunt eius generis torpedines, quia non nunquam uix ad duas, trés ue respondet curatio. Præterea frons, tempora, totumq; sinciput liniãtur oleo papaueris, hioscyami, mandragoræ, ranarum, nenupharis. Aut huiusmodi epithema conficiatur: ℞ cinnamomi, croci, seminis anethi ana ℈. j. opij. ℈. ß. aquæ rosarum, solani ana ℥. ij. Aliud: ℞ olei uiolarum ℥. j. olei anethi, ranarum ana ℥. ß. camphoræ, opij ana grana. iiij. & hoc linimentum naribus indatur. Aut ℞ aquæ lactucæ ℥. iij. syrupi papaueris ℥. j. philonij persici ueteris ℈. j. Aliud quo frequenter utor: ℞ conseruæ nenupharis ʒ. ij. specierum diamargariti frigidi ℈. j. pilularum ė

Torpedinis usus.

ſtyrace grana.ix.capiat ſub noctem:noctis enim opportunior eſt quies. In hunc uſum apparetur ſplenium pro hac, aut conſimili forma: ℞ ſucci lactucæ ℥.iij.unguenti populei ℥.ij.olei anethi ℥.ß.aceti modicum, bulliant ad conſumptionem ſucci, & aceti, & adde roſarum rubearum ℈.ij.florum uiolarum, nenupharis, ſeminis papaueris albi ana ℈.j.ſeminis alterci, corticis radicis mandragoræ ana ℈.ß.croci grana.vj.opij grana.iij.cum cæra agglutinentur. Galenus ait libro de Theriaca ad Piſonem: Papaueris ſuccus phreniticorum deliria haud rarò ſtrenuè curauit, ex peruigilijs uirtute priuatos ſomno reconciliato mirificè reſtituit. Quidã (inquit Celſus) ſomnum moliuntur potui dando aquam, in qua papauer, aut hioſchyamus decocta ſit. Plurimi decoctis papauerum capitibus, ſpongia os & caput fouent. Alij mandragoræ mala puluino ſubijciũt. Aſclepiades ea ſuperuacanea dixit, quod in lethargum ſæpe conuerterent. Iam ſi delirio tam incogitantes euadant, & obliuiſcentes, ut lotium reddere negligant, aut tam intemperantes, ut recuſent, primum admonendi ſunt, qui conentur, uelintq; meiere: aut ueßicam, pubemq; fouebimus hydrelæo, aut decocto parietariæ, ceræfolij, ſeminis lini, atq; imum uentrem innixa manu diligenter comprimemus.

Caput

CAPVT VNDECIMVM de Paraphrenitide.

PAraphrenitis, quod plurimã habeat cum uera phrenitide similitudinem haud ambiguis argumentis colligitur: siquidem in summo consistens uigore eadem, nec alia, minus ue aspera symptomata ædit, quàm si pura esset, & non notha. Vociferantur, tumultuantur, exiliunt, percutiunt, nugantur, aliena loquuntur, toruum contuentur, lingua squalet, grauiter efflant, uigilant, febriunt, memoria labuntur, periclitantur. Quis quæso non hæc meræ phrenitidis indicia iudicauerint: in eo discrimen uersatur, idq; alteram ab altera disiungit, quod germana phrenitis est proprius affectus in ipsis pelliculis cerebrum uestientibus, aut in ipsomet cerebro, ita quod primitus hoc loci excitetur, & inibi fomitem, atq; altricem sui materiam inueniat, nec ab ulla alterius membri ægritudine pendeat, quam ueluti comes, umbrá ue sequatur: notha uero nec proprius est, nec per se lædens affectus, sed ex consensu tantum accidens, & instar umbræ ex alterius obiectu, consortij lege proueniens, quæ protinus ad parentis fugam disparet, nec propriam, aut singularem curam deposcit, nisi tam acris, effrenisq; inualescat, ut sua nequitia

Differentia nothæ & ueræ phrenitidis

animæ periculum minitetur. Quo euentu proprijs præsidijs occurrendum foret: quod Galenus in principio duodecimi libri de Curandi ratione, pulcherrimè docet: & Auicenna fen quarta primi, cap. ult. inquit: ubi morbus cũ accidente coierit, tunc morbum curare incipiemus, nisi accidens morbo præualeat, tunc enim accidenti curã adhibebimus, morbum uero non considerabimus. Fieri quidem potest ut hæc notha (iurisperitorum uerbis utar) natalibus restituatur et proprij morbi rationem subeat, atq; in legitimam idiopathiam transmoueatur. Sic aliquis simul et propria affectione laborabit, quum in affecta particula permanens fit dispositio. Id tum accidet, ubi admodum uehemens fuerit impreßio, eaque incidat in caput imbecillum, & quod iam succos habet huic uitio idoneos.

Causæ. Causas sequitur aut ardentes febres, aut aliorum uiscerum inflammationes, & præsertim septi transuersi. Galenus habet quinto de Affectis locis: Ob nullius autem partis, præterquam septi transuersi uitium, delirium iugiter infestare poterit: huiusmodi enim affectus continuum ferè delirium inducit, adeò ut ueteres putauerint, hac parte inflammatione affecta homines phreniticos euadere. Atq; ob eandem causam, suspicionèm ue, phrenas, hoc est, mentem appellauere,

tanquam

tanquam ſapienti parti acciderit quippiam. Verum quod huiuſmodi uitio delirium accidit, à phrenitide diſtinguitur, & ex oculorum accidentibus, & ſanguinis à naribus ſtillis, atq; ſpirationis ſpecie. Quippe phreniticorum ſpiratio magna eſt, & ex longis ſemper interuallis. Cõtrà ubi à ſepto delirium oritur inæqualis, ut modo exigua ſit, atq; frequens, modo magna, atq; anguſtioſa. Nam incipiente ſepti tranſuerſi inflammatione ante delirium, exiguum atq; frequentem ſpiritum reddũt. Contrà ijs, qui ob affectum cerebrum delirant, magna prodit, raraq; ſpiratio. Atq; etiam delirare ſolent non nulli ob uitium, quod in ore uentriculi conſiſtit, & pleuritide, & peripneumonia. At phrenitidis propria, præcipuaq; nota eſt, ne in declinatione quidem febrium, delirium quieſcere.

Curatio eſt morbi, à quo dependent amolitio. Quod ſi ex conſenſu permanens fiat diſpoſitio, tum non ſolum parti, quæ primitiuo affectu laborat, ſed capiti quoq; remedia adhibere oportet, quæ ex capite præcedenti petenda ſunt. Curatio.

CAPVT DVODECIMVM de Lethargo.

LEthargus Græcis dicitur, qui latinis ueternus, & eſt (diffinitore Galeno in libro ſuo

diffinitionum) inexpugnabilis dormiendi cupiditas, cum decoloratione cutis, & tumore flatuoso, cum imbecillitate, & pulsatili spiritu facta, omnino autē debili, aut maligna febre. Propterea morbū hunc lenta, et ignaua febris, nec urēs, nec ualido feruore corpus cōficiens comitatur: quia frigidum uiscus (id tamen calidißimo æstiuo aëre, attestante Galeno, octauo de Vsu partium, calidius est) humor natura frigidus occupat, etsi ob putredinis uitium non nihil incaluit: acrior tamen intenditur, quum in meningibus noxa residet. Auicenna ait: plurimum quidem eius fit in meatibus substantiæ cerebri, absq; uelaminibus in uentriculis, & corpore cerebri. Quoniam phlegma raro congregatur, & penetrat in panniculos propter ipsorum duritiem, neq; in substantiam cerebri, propter ipsius uiscositatem,

Cerebrum calidißimo aëre calidius est.

Signa.

Vniuersa membra torpent, & instar lapidis, aut caudicis immoti cubāt, nusquam pedes proijciunt, nec uiolenti manus protendunt, non exiliunt, non uociferantur, nullis uinculis egent. Affectio ipsa phrenitidi prorsus contraria est, mens tamen ipsis nequaquam cōstat, plane desipiunt, conticescunt, etiam Stentorea uoce, uel ad rauim usq; si quis inclamitet, piscibus plus muti silent. Quod si quid respondere conentur, intra fauces inconditum murmur strangulatur: palpebras

difficulter attollunt, nec eas tandem ſublatas facile demittunt: crebro oſcitant, & aliquandiu apertum os hiantes continent, nec claudere tentant. Profunda enim, & alta nimis obliuione diſtinentur. Quapropter nec quicquam poſcunt, & ſi quid popoſcerint, dicto celerius aboleſcit. Matulam rogantibus ſi porrigas, meiere obliuiſcuntur, & confeſtim in ſoporem delabuntur, facies liuet, ac tumet, lingua albicat, palatum, totumq́; oris cœlum excrementis ſcatet. Inde liquida ſpuunt, & diſtillante in pulmones pituita, tuſsiunt. Aluus plæriſq; ſoluta, non nullis uero aſtricta. Vrinam reddunt turbatam, confuſam, & ueterni generis ſimilem: quibuſdam tremor accidit, & ſudor undiquaq; erumpit. Arteriarum pulſus ſimilis peripneumonicorum magnitudine, imbecillitate, mollicie, tardior ipſo eſt, et rarior, minusq́; inæqualis. Spiratio etiam rara nimis, & imbecillis. Hippocrates ait libro ſecundo de Morbis: quũ lethargus ſurrepit, tuſsit, multum, liquidũq́; ſpuit, nugatur, cũ hoc ceſſat, dormit, olidumq́; oletat. Et in principio libri tertij: qui patitur hũc morbũ hæc patitur, tuſsit, ſoporatur, multũ liquidũq́; ſpuit, ualde debilitatur. Quũq́; periturus eſt, per inferna multũ liqdũq́; demittit, puſilla uitæ ſpes huic eſt. Et in libro de Coacis prænotionibus: lethargici tremuli mani-

bus fiunt, ſomnolenti, diſcolores, turgidi, pulſibus tardis, & debilibus, oculorum inferiora turgent, ſudores ſuperueniũt, uentres non ualidos, biliosos ſiccosq́; habent: lotia & oleta non ſentientes proiectant & demittunt, lotium iumenti ſimile mingunt, potum uero non petunt, nec aliud quicquam. Quum autem reſipiſcunt, ceruicem dolere dicunt, per auresq́; tinnitum curſitare. Qui uero lethargicorum ſeruantur, purulenti plurimi fiunt.

Cauſæ. Cauſa morbi pituitoſus ſuccus eſt, in uentriculis cerebri, uel in uniuerſis ipſius uaſis, uel in ambientibus membranulis, uel in ipſomet cerebro imputreſcens. Hũc potiſsimum incurrunt, qui uaſtum, ac ponderoſum caput habent, nimirum ex uaſtitate, & amplitudine molis non male iudicatur multa capacitas. Ex pondere recte conieceris iam collectum inutilis materiæ aceruũ. Deſides quoq;, & qui in umbra uitam inertes tranſigunt. Niſi enim peculiaribus utens exercitijs corpus uentiles, et totum ſubinde luſtres excutiasq́;, neceſſum eſt, qui copiã craſſorũ humorũ accumules. Qui crapula, & ebrietate inexplebilẽ ingluuiẽ quotidie diſtendunt. Auerrhous ait ſecunda ſectione Collectaneorũ: ſi ratio uictus moderata omnibus uſurparetur, à nullo uſquam ſanitas abeſſet. Atque hoc oraculum in hac arte diuiniſsimum ac firmiſſimum

ſimum eſſe tibi perſuadeas. Non nulli præterea paruo in diſcrimine ponunt, & nihili pendunt quibus uescantur, pituitoſis cibis ſeſe aſſueſaciunt, & nullo non die ijs ſaturantur, ergo alienum non fuerit, ſi hoc affectu citius corripiantur: quales ſunt ichthyophagi, ſiue ex pelago, ſiue ex fluuio piſces ducantur. Iam & hunc ſuccum gignunt fugaces uietiq; fructus, mora, ceraſea, pruna, perſica, poma, pyra, cucumeres, cucurbitæ, melones, citruli, & uuæ, quæ (auctore Plinio) recentiores ſtomachum, & ſpiritum inflant, largiores ſumptæ grauedinem capiti, morbumq; lethargicum faciunt: innocentiores, quæ decerptæ aliquandiu pependere. Ex oleorum genere officiunt lactuca, ſpinachium, atriplex, portulaca, malua, & quæcunq; cum refrigeratione humectãt. Creber etiam cepularum uſus, quamuis acri ſatis calore præditæ ſint, non mediocriter offendit: quandoquidem glutinoſum, ac multum humorem continent, qui ex uentriculo in cerebrum uaporans, meatus ibidem obſtipat, ſanguinem denſat, & animales ſpiritus ſua lenticie illigat. Dioſcorides inquit, Capitis dolores facit copioſus ceparum uſus & in ualetudine, maiore copia in cibo ſumptæ ſomni faciunt inexpugnabilem neceſsitatem, quam lethargum dicunt. Nunc pluuiales temporis conſtitutiones, ſimul

Vuæ recentiores lethargum inducunt.

Ceparum copioſus eſus lethargum facit.

& haustrinæ corpora dissoluunt, atque humectant, auditum obtundunt, capita aggrauãt, uertigines efficiunt, oculis difficilem motum præstant, & omnino aptæ sunt gignando ueterno.

Curatio. Curationis ratio diligentem operam exigit. Galenus ait, (quod obseruatione dignũ est) libro secũdo de Locis affectis, capite tertio: Cerebri & membranarum eius, ijdem morbi simili curatione indigent: ægrotantes in spacioso ac lucido cubiculo decumbant: parietes auleis obtendantur, aut picturis uersicoloribus ardeant: Hominum turbam garrientium uideant, audiantq́;: aër calidus sit & serenus: tenuiter alantur, cibus esto ptisanæ cremor uel auenæ, uel alicæ, aut amygdalatũ cũ exiguo mellis, modo amygdala aliquã diu in egelida fuerint præmacerata, & cum decocto cicerum commodißimè transmittuntur. Mica quoq; panis ex aqua saccharata, aut iusculo gallinacei: hordeaceam bibant, aut ceruisiam tenuem, aut aquatius uinum, aut hydromel, pro modo febris, cum hyssopo & thymo. Ab epulatione digiti maiores manuum atq; pedum funiculis uinciantur. Admonendi frequenter, ut excremẽta uentris egerant: pubes oleo rutaceo perungatur, & decocto parietariæ, & seminis sinonis lotium proliciatur. Sanationem cum phrenitide in hoc communẽ habet, quod utriq; uitio, & ei

Lethargus & phrenitis sanationem habẽt communẽ.

& ei quod cum sopore, & ei quod cum uigilijs incidit, statim & ab initio, uenæ sectio conducit. Galeni uerba ex decimotertio libro de Curã dis morbis, laudare præstat: quinetiam, ait, in lethargicis nemo est, qui non capiti applicet auxilia: nam & id uitium contrarium quodam modo secũdum speciem phrenitidi est: gignitur autem in capite, in quo scilicet princeps animi pars residet. Ergo quum humor qui in capite redũdat, frigidus est, insensibilitas, immobilitasq; hominem opprimunt. Quum calidus est, perpetuus potius motus, ex humoris uero uitio dementia. Itaq; incidenda in talibus affectibus uena est, statim & à principio, si modo tam ualens uirtus sit, ut sine noxa mißionem sanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum, quæ de secanda uena retulimus. Sicuti uel crudi humoris copia, uel pue rilis ætas, uel anni tempus, uel regio, in qua extremus calor, aut frigus. Atq; hoc quidem commune utriq; uitio, & ei quod cum sopore, & ei quod cum uigilijs incidit. Commune præterea utriusq; est, ut oxyrhodinum in principio admoueas: nam repellẽdus est à capite humor, quisquis is fuerit. Quæ sequuntur, contraria sunt. Nam quæ cum uigilijs coniuncta sunt, ea lenire expedit: quæ cum immobilitate, excitare. Iure ergo, quum in summo incremento sunt, ijs uitijs

quæ peruigilio, & delirio infestant, perfusiones ex papauerum capitibus applicabimus: odorem quoq; naribus obijciemus, ac nares ipsas intus, uel frontem ex similibus medicamentis illinemus: quippe sopire ac stupefacere principem facultatem oportet, cerebrum scilicet, quod supra modum incaluit refrigerando. In contrarijs autem uitijs excitare, ac noxij humoris, qui citra putredinem. & circa febrem altos sopores inuehit, craßitudinem incidere, atq; excalfacere: tales nimirum impetus soporis apoplexias, & caros, & cathocas Græce uocant, quod si aliquando humor putrescat, utiq; cum febri incidunt ea genera, uocaturq; morbus Græce lethargus. Incoquentes itaq; in aceto thymum, et pulegium, & origanum, aliaq; id genus naribus sic affectorum admouebimus, quo uapor ad cerebrum delatus craßitudinem humoris differet. Mox etiam palatum ualentibus, & acribus medicamentis ungemus. Ab his uero etiam sternutamẽtis utemur: tum ad caput similes præsidiorum facultates accommodabimus, intenta semper eorum, etiam ad ipsum usq; sinapi, uehemẽtia, si uitium diu trahat. Quinetiam cucurbitis ad utrunq; uitium, si diuturnum sit, utemur, itemq; castoreo, quippe quod ea probe concoquit, si debito tempore sit adhibitum. Quare hic ad communem rursus

rurſus rationem redeunt lethargus, & phrenitis. Hæc Galenus. Itaq; ſi eorum nullum refragetur, quibus in ſecandis uenis id tribuitur, ut niſi annuant, ſectio uetatur, quæ ſunt ætas, habitus et uirtus, ſtatim in dextro cubito externa fodiatur, qua non apparente mediam pertundes. Quod ſi obeſulum, ſucculentumq́; corpus exiſtit, & facies quodam cum rubore tumidula, neq; hæmor rhoides conſuetæ reſpondent, aut menſtruus cur ſus iam ſubſtitit, par eſt, qui in ſanguine mittendo audacior ſies, ſed in hoc euentu pedum uenas primitus uulnerabis: deinde ſi maiori uacuatione opus erit, ex brachio detrahatur: poſtea acribus clyſterijs aluus turbetur. Siquidem ex remo ta ſede humor eruendus eſt, & ex membrorum facultatibus parum opis præſtolamur. Oblæſo nanq; motus principio, neq; commode trahere, neq; apte deijcere poſſunt. Quare neceſſum eſt, ut acrius uellicentur, ac compungantur. Expergefacta celerius in operam ſeſe accingent, ac gra uem inutilemq́; ſaburram promptius excernēt. Clyſter fiat hoc modo: ℞ ſaluiæ, rutæ thymi ana m. j. ameos, carui, cartami ana. m. ß. colocynthidis in linteolo ligatæ ʒ. ij. radicis acori, iridis, pæoniæ ana ℥. ß. coquantur, & excolato adde olei abſinthij, chamæmeli ana ℥. j. ß. mellis anthoſati ℥. j. benedictæ laxatiuæ ℥. ß. ſalis ʒ. ij. ſub

ijciatur. Alius: ℞ thymbræ, pulegij, centaurij ana.m.j.anthos, stichadis ana.m.ß.agarici ʒ.iij. polypodij quercini ℥.j.folliculorũ senæ ʒ.vj.radicis inulæ, altheæ añ ℥.ß.anisi, seseli, pæoniæ añ p.j.ueratri ʒ.ß.coquãtur, & decocto adde succi fichæ ℥.ij.olei lini, laurini, ana ℥.j.ß.salis ℈.iiij. Glãdes quoq; intrudantur ex ruta, nitro, cumino, et melle cocto. Aut pro hac forma: ℞ euphorbij, pyrethri ana ℈.ß.sinapi ℈.j.ellebori ℈.ij. zyngiberis, salis gemmæ ana ℈.j.hieræ picræ ʒ.ij.mellis quantum satis sit, formentur supposito-

Topica. ria. Capiti uero oleum rosatum cum aceto liberaliter infundatur. Præsidium hoc egregie cerebrum corroborat, & quemuis humorum influxum fortiter repellit. Sed iterum atq; iterum mutari debet: nempe aceto facile exoluitur uirtus, & in stupa canabina derasis pilis calidum inducatur. Cæterum ab altero protinus die, neq; diutius procrastinandum, acetum esto scyllinum, et castorei non nihil indatur, pro hac forma: ℞ olei rosati ℥.iij.aceti castorei ʒ.ij.aceti scyllitici ℥.j. Interim corpus ipsum à scapulis in pedes usq; multa, & diutina uexatione perfricetur, idque manibus ex aceto & sale madefactis, aut ex ueteri oleo cum nitro tosto, pipere, & struthio, aut asperiusculis linteis, donec et calore, simul & rubore perfundatur corpus. Neq; admodũ contulerit

tulerit. semel dũtaxat id præstitisse: sæpius in eandem palestrã descẽdendũ monemus, donec quod reuellitur, per laborẽ quoq; digeratur. Omni studio excitãdus est æger, & interrũpendus est somnus, quo et excernat aliquid, & assumat: nũc per inclamationes, nũc per strepitus, fragores, clangores tubarũ, nũc serra de limæ morsu stridẽte, nũc tristi nefrendiũ grunnitu, nunc pilos uellentes, nunc trahentes nasum, & nares setis fodientes. Quinetiam faciem melle obliniemus, quo illectæ dulcoris pabulo in eam muscæ turmatim aduolitent, & rostellis suis certatim flagellent. Nusquam conquiescentes, semper in officio sedu li, donec hominem eripiamus morti, & ex tenebris reuocemus in lucem. Ab hoc sopore quum aliquando euigilasset Diogenes, medicusq; rogaret, quid ageretur, Recte, inquit, nã frater fratrẽ amplectitur: ipsum affectũ mortis germanum innuens. Profecto quisquis eo corripitur, nisi tẽpestiuè expergefiat, inl Libithinæ rationẽ pronus cõcedit. Vrtica, Plinius ait, lethargicos expergiscit, tactis cruribus, magisq; fronte. Quod nisi cũ coquis apud iudices pueros, mihi bellũ formidarem, hoc est negociũ apud insipientes, cũ ijs qui nequiter ægrotãtibus blandiũtur, meã quoq; sententiã propalarem. Plato ait in Gorgia, Non ad gratiã uerba facio, sed ad id potius, q optimum

Somnum pellentia.

Diogenis facetum responsum.

Forum insipientiũ declinat auctor.

est. Quare in iudicio quid dicam, non habeo: quemadmodum qua se ratione defenderet medicus, angeretur, si die apud pueros dicta, quis coquus eum hisce uerbis accuset, Vir iste, ô pueri, multa uobis intulit mala, nam & uos, & minores etiam uestros, secando, urendoq; contorquet, & attenuans, suffocansq; affligat: præterea amarißimos præbet potus, & ad famem, sitimq; uos urget. Ego uero contrà, multa & uaria, suauiaq; uobis propino. Si hæc inquam coquus deferat accusator, quidnã cẽses hoc circumuentum malo medicum responsurum? quod si uera fateatur, num putas huiusmodi iudices uehementer reclamaturos? Quapropter iniquam mihi fraudem deprecor, et insipientium puerorum tribunalia declino, ne quispiam ciuile parũ aut immodestum calumnietur (quando de uita res agitur) si præter crura, frontem ue iubeam nõ solum tangi, sed uniuersum quoq; corpus mordacibus urticis uri, ac lacerari, donec undelibet erũpant, ac effloreſcant rubentes papulæ. Aut cantharides cum ueteri fermento, aut succus ardentis flammulæ, aut allium pinsitum pulposis partibus applicentur. Alexãder inquit, scylla quandoq; sola, aut sinapi cum aceto trita cataplasmatis modo coxendicibus imposita ad excitandum hominem letaliter etiam soporis grauitate oppressum.

pressum satis est. Maximeq; proficit fronti admotum castoreum, uel capilli humani cremati, & cum aceto liquefacti pari modo illiti. Est enim hoc insita quadam naturæ aptitudine huic morbo factum antipharmacum. Cæterum exuberantibus succis, id proprium, adeoq; primum, præcipuumq; in curationibus deputatur, ut suo quisq; remedio extrahatur. Sanguis perfossa uena emittitur, reliqui aut uomitu, aut alui subductione proijciuntur. Quod si corpus sanguinis mißione, & medicamento purgatiuo habeat opus, ante purgationem mittendus est sanguis: quoniam quum sanguinis detractione corpus primo uacuatum est, purgans medicamentum exhibitum uenas, & arterias, & inanes insuper corporis regiones inuenit. Quo fit, ut absq; ullo impedimento in totum corpus promptißimè dimanet, & succos per uasorum spacia facilime trahat. Nam si uasa sanguine repleta sint, & catharticum propinaueris, non poterit propter plenitudinem in corpus differri, unde fit, ut substet, & nihil efficiat, aut si quicquam facere moliatur, male succedat. Sed uenam secare, et purgare simul, haud equidem probarim: nec clysteres, nec glandes, nec fricationes, nec cucurbitæ, nec uincula, ubi plenitas luxuriatur, ad salutem satis sunt. Galenus habet undecimo de Me-

Humani capilli lethargo antipharmacũ.

dendi methodo, calefacere Cataplasmatis, aut perfusionibus, non est perpetuo tutum: sed in ijs tantum ægris, quibus in toto corpore nullum errat superfluum: cæteris omnibus extrema est pernicies. Nam utrauis redundantia sit, uel quæ ad uires, uel quæ ad uasorum continentiam comparatur, siue etiam in una parte, pluribús ue uitiosa excrementa sint, omnia ad partem calefactam trahuntur, cataplasmate ipso cucurbitæ ritu totius corporis superuacua in uiscera trahente. Quamobrem si fieri queat, ante topica medicamentum aliquod trahendæ pituitæ idoneum exhibeatur. In quem usum pilulæ cocciæ plurimum ualent, si duæ drachmæ earum in tribus uncijs aquæ hyssopi, & quarta oxymellis bibantur. Aut agaricum tabescat in aqua betonicæ, aut thymbræ & cum castoreo ac rhodomelle potetur. Sed scire oportet agaricum esse laudatissimum, quale in ipsius genere leuissimum deprehenditur: densum autem, & graue, lignosumq; ne attingito, & quantum in horum medio consistens ab utroq; notis discessit, tantum quoque bonitate deficit. Aut hieralogodion offeratur, aut hiera Ruffi, aut ℞ colocinthydis ℈.ij. ellebori nigri ℈.j. struthij, piperis, zingiberis, mastiches ana grana. vj. colligentur in linteolo raro, & macerentur in uncijs quatuor aquæ origani, & tribus

Agarici probitas.

& tribus uncijs syrupi é stichade, cuius glutiat semel quoq; die, aut etiam altero, tertio ue, pro modo uirium, cochlearia duo seu tria. Aliud: ℞ castorei ℈. ij. scammonij ℈. j. aut gra. xv. cũ hydromelle fiat haustulus. Post hæc fiduciam in topicis collocãtes, caput ipsum calidis linteis confricabimus, & sacculos inducemus ex libanotide, saluia, sampsycho, chamomilla, meliloto, maiorana, calamyntha, nepita, menta, pulegio, thymo, frondibus laurinis, sale, & milio. Aut cataplasma conficiemus calefaciendi & dißipandi uim habens, pro hac forma: ℞ farinæ lupinorum m. j. baccarum lauri, cumini, iuniperi ana. p. j. radicis iridis, inulæ pæoniæ ana ʒ. iij. radicis altheæ ℥. j. fimi columbini. ℔. ß. coquantur in lixiuia ex cineribus caulium braßicarum, postea contundantur, et adde olei costini liliorũ añ ℥. j. olei rosarũ ℥. ij. Auicenna inquit fen prima tertij: Rectius autem, quod est in digestione humorum manifestæ cruditatis, est, ut sit cura ex emplastris de medicinis æqualis calefactionis. Aliud: ℞ radicis altheæ ℥. ij. radicis buglossi ℥. j. coquantur in eius lotio, qui braßicam comedit, deinde tundantur, & per cribrum districtis adde farinæ fabarum, lupinorum, auenæ, & milij ana. m. ß. cineris sarmentatij, fimi columbini ana. p. j. olei rosarum ℥. ij. olei chamæmeli, é la- Topica.

teribus ana ℥. j. concorporentur. In aceto præterea elixabimus origanum, pulegium, rutam, tarcum, peganum, pæoniam, & alia huius generis, idq; decoctum feruidum naribus sic affectorum admouebimus, quo uapor in cerebrum delatus, & in capitis specum perterebrans humorum craßitudinem dissecet. Quinetiam subijciemus, quæ fœdo, & aspernabili odore excitant, ac conturbant, qualia sunt galbanum, sagapenum, castoreon, allium, pix cruda, ceruorum cornua, lana succida, ueratrum. Hæc quum cremantur, tetrum odorem uaporant. Mox palatum ualentibus, atq; acribus medicamentis unguemus, ueluti ex sinapi in succo betæ districto, aut ex semine nasturtij in aceto scyllitico, aut ex melle anacardino, aut mithridato. Iubet parœmia, inertibus ac ueternosis mandendum nasturtium, quandoquidem torporem dispellit, iacentemq́; animum expergiscit. Ab his quoq; sternuatamentis utemur, insufflantes struthium, piper, euphorbium, elleborum. Sed ratio non nulla febris habeatur, quæ si admodum lenta, & cum sopore fuerit consopita, non terrebimur à multum calorificis, sin uiolentior erit, huic non nihil tribuemus, & moderatioribus innitemur. Quod si facies inflata erit, ac ardens, et uenæ conspicuæ, post commodam reuulsionem ne trepidaueris ue

Nasturtiũ ede.

nam

nam frontis percutere. Gargarismis si locus erit, aptißimum est decoctum origani, hyssopi, agrestis saluiæ, rutæ, pegani, cunilæ, thymi, pæoniæ cum oxymelle scyllitico, pro hoc forma: ℞ thymi, pulegij, rutæ, ana. p. j. radicis iridis, acori añ ʒ. iij. seminis pæoniæ, sinapi, erucæ ana ʒ. j. agarici ℈. iiij. piperis ℈. j. coquantur, & adde colaturæ mellis rosati ℥. iij. succi siclæ ℥. j. linguam quoq; fricabimus medicamine, quod recipit, agarici ʒ. j. pyrethri, struthij, zingiberis ana ℈. j. mastiches, euphorbij, staphisagriæ ana ℈. ß. excipiantur melle, aut cum passulis purgatis & nucleis persicorum formentur apophlegmatismi (masticatoria dicunt) Auicenna inquit phen prima tertij: gargarismis euacuabimus, nisi timuerimus pulmonis nocumẽtum, nec fuerint fluxus de genere humorum mordicantium, & homo non fuerit susceptibilis ægritudinum pulmonis, & fuerit potentia cauendi à fluxu rei malæ ad pulmonem, aut si fuerit dispositio capitis maioris solicitudinis, quàm ea quæ pulmonis. Auribus indatur oleum nardinum, costinum, lauandulæ, cinnamomi. Interdum glutiat frustulum aureæ Alexandrinæ, aut manducet radicem pyrethri conditam, aut diatriumpipereum, diagalangam, diambram, diamoschum: aut apparetur huiusmodi eclegma: ℞ conseruæ anthos ℥. ij. nu-

cis myristicæ conditæ ℥.j.zingiberis uiridis, conseruæ acori ana ℥.ß.xiloaloes,maceris, piperis,galangæ,seminis pæoniæ ana ℈.j incorporētur. Quod si nec hisce discutiatur morbus, & opinione diuturnior protelatur, cucurbitas multo igne incensas occipitio affigemus,& derasum caput perfricabimus scylla, aut nitro, aut lepidio. Aut exulcerabimus sinapismo ex caricis,fermento,sinapi,& aceto simul tritis. Sed memineris ipsum oleum prius probe extergendum, si quo delibutum extitit. Dioscorides ait in præfatione libri sexti: Si quis exulcerādi consilio,calce fecé ue,aut cantharide,aut qua uoluerit aliquis acriore alia re,utatur,oleoq; locum perunxerit,non exulcerabitur ab eorum aliquo corpus. Nunc & sudore non nunquam lethargus finitur,ad quem proliciēdū oportet ægrum bene contectum cubare, & lagenas circumponere impletas feruente decocto foliorum lauri, cumini,iuniperi,gentianæ. Morbus ubi se remiserit,gestatio, & balneum, & uictus uires recreans summopere conducunt.

CAPVT DECIMVMTERtium de Vigili Comate.

Accidit pituitam cum bile mixtam in capite imputrescere. Aut accidit binos

hos suc

hos ſuccos, & pituitam, & bilem ſimul eodēq; tempore in capitis regione computreſcere, ut utrunq; ſeparatim corruptela concipiat. In hac porro conſpiratione, quum pituita exuperat, & potior ebullit, non nihil tamen exaſperante cholera, tum affectus ipſe uigilans coma dicitur. Non enim perpetuo ſopore ex iniuria frigidi ſucci hominem premit, ſed propter feruidi humoris confuſionem æſtuoſæ quoq; uigiliæ interueniunt: ſæpius tamen grauioris ſomni modo obruit. Galenus in commētarijs libri tertij de Morbis uulgaribus: quum uigilare, inquit, ægri apertis oculis non ualent, ſed conniuent ſpe ſomni conciliandi, & uigiles tamen manent, uocamus illum uigilantem ſoporem. Quod ſi bilis præualeat, & in maleficio potiores teneat, lethargicus furor, aut rabies ſomnolenta appellari poteſt: proprium enim nomen hoc malum non habet, ſed ut mixtam ſumit originem, ita compoſito nomine nuncupatur, in quo utrunq; uitium ſonat: & id, quod inſomnijs, agitationeq; uexat, delirium: id quoq;, quod inexpugnabili pene dormiendi neceßitate, ac marcore conficit, ueternus. Quapropter & uicißim alia, atq; alia ſymptomata in ipſo apparent. Abundante enim pituita grauis dormitatio hominem corripit, difficulter oculos aperit, genas úe attollit, nec quicquā

Signa.

interpellatus respondet, instar trunci affixus lecto decumbit, nihil poscit, nullius meminit, pulsus arteriarum rarus, & breuis, febris quoque ignauior. Hæc tamen continua non sunt, sed alternatio quædam ac uarietas intercidit ob inter strepentem choleram. Quæ quum omnino potiores obtinet, ac in ipso maleficio præcipua tumultuatur: ægrum infestæ uigiliæ uexant, non cohærentia loquitur, manus non continet, stipulas legit, flocculos euellit, grauiter inspirat, nihil excernit, acrius febrit: nec interim suam inertiam succus pituitosus non admiscet. Galenus in libro, qui est de Pulsibus, ad eos qui introducuntur, ait: qui in id uitij inciderunt, bonam quidem temporis partem oculos claudunt, suntq; somnolenti, ac stertunt, pòst autem oculis inconniuentibus, atq; immotis diutißimè intuentur. Tum si quis eos interroget, inuitosq; ad colloquiũ trahat, tardi erunt ad respondendũ, ac difficiles: plerũq; enim turbulẽter loquũtur, neq; recte respondent, sed temerè quod in buccã ceciderit, effutiunt. Eius autem pulsus sunt celeres, ac frequentes, quomodo phreniticorum, sed minus. Antiquiores medici malum hoc Catochon dixere: non nullis tamen uocabulum hoc latius patet, quum simplicem, & non mixtam causam habebit, nimirum frigidorem & sicciorem materiam

teriam

teriam : quo morbo detentos Græci Catochos, & Catochomenos nominauerũt, recentiores fœminino genere catochen, & catalepsin appellant, cui et nos propriũ syntagma daturi sumus.

Præsens malum non aliud magis concitat, quàm epulationes dubiæ, & mensæ multifarijs dapibus instructæ: quibus ingestis, & in uentriculo confusis, earum aliæ copiosum phlegma, aliæ plurimam choleram gignunt. Nemo tam stupidus, bardus ue, qui nesciat, quàm sit aduersum, atq; inimicum prosperæ ualetudini, quàm sit ferax, fertileq; procreandis morbis seminarium, petulantem ingluuiem uarijs, numerosisq; cibis explere. Et tamen hanc tam conspicuam, atq; expositam nassam, Laro stultiores, non fugimus, imò scientes ac prudentes manum in flammam mittimus, & ultro ridentes, ac plaudentes calamitatem accersimus, Troianos porcos, ceu eximium quid, et nostro dignum genio, quotidie ligurimus, & super ollas illas carnium, quas principum coqui, aptißimo quidem uocabulo, putridas uocant, perlubentes seßitamus. In uas fictile seu ahenum genus omne carnium conijciunt, oues, boues, hœdos, agnos, porcos, feras, & uniuersa pecora campi, insuper aëreas aues, aquatiles, montanas, campestres, altiles, & uniuersa uolatilia cœli: hæc mixtim elixant, &

Causæ.

Troianus porcus.

Olla putrida principum.

uno iure condiunt, in patinasq; deprompta auido rictu degulant. Est quidem in nostra potestate situm, in morbum cadere: sed in nobis non est, pro nostro arbitrio reualescere. Aristoteles inquit libro secundo Æthicorum: Non qui ægrotat, si uult, sanus erit, & forte, sua sponte ægrotat, si incontinenter uiuebat, & præcepta medicorum negligebat, tunc igitur licebat ipsi non ægrotare, sed posteaquam ualetudinem perdidit suam, minime licet. Haud aliter insanum, morbiferumq; censemus, diuersa potuum genera confundere, & modo ceruisiæ uinum indere, modo tenuibus, aquosisq; uinis fortia, ualidaq; copulare, & infausto coniugio praua de consuetudine gallicanis cretica maritare: necessum est hanc intemperantiam periculosas ægritudines parere, & maxime præsentem. In has præterea plagas proni concedunt, qui modo in æstu, modo in algore, diuersantur, qui nunc in humilibus locis, nunc in excelsis moram trahunt, qui prolixa desidia corpus frigefaciunt, atq; iterum immodicis laboribus incendunt. In uniuersum qui studia in contraria currunt, & discordem & discrepantem uitam agunt, huic malo obnoxij depræhenduntur.

Morbus sæpe spontaneus, nunquã recreatio.

Potuũ confusio noxia

Curatio.

Curationis ratio præsidia poscit contraria: & imprimis sanguinis mißione succurratur. Si

lethargo

lethargo phlebotomia confert, si phrenitidi quo que auxiliatur, haud alienum fuerit uigilanti co mati conducibilem asseuerasse. Quando cum ijs morbis euidenter ambigat, præsertim facies si non nullo rubore perfundatur, et uires ferre non recusent, ac febris omnino ignaua non sit. Galenus (qui quantum sermone condefacit, si tantum quoq; præstitit opere, profecto omne tulit punctum, & miscuit utile dulci, nam hoc opus, hic labor est, eam certe laudem sibi ascribere nõ erubuit: medicinam, inquit, professus usq; ad senectutem, nullam in hodiernum usq; diem calumniam subij, neq; curando, neq; præsagiendo) undecimo de Medẽdi methodo sic habet: saluberrimum est in febribus uenam incidere, non continuis modo, uerum etiam omnibus, quos putrescens humor concitat, ubi præsertim nec ætas, nec uires prohibent. Leuata namq;, quæ corpus nostrum regit, natura, exonerataq́; eo, quo uelut sarcina premitur, haud ægre, quod reliquum est, uincet. Itaq; proprij muneris non oblita, & coquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod potest excerni. Ea ergo pertundatur, quæ in flexu brachij extima protenditur. Deinde quibus ad uomitum procliuis est stomachus, maxime in eo, si aceruus aliquis noxiæ materiæ turget, ij statim cogendi sunt, ut uomant. Animantia quibus

Galenus omne tulit punctum.

Animantia quæ ad uomitũ propẽsiora.

pandum, patulumq; pectus est, ad reiectionem propensiora. Aristoteles scripsit, quod & in hominum genere perpensum confirmat. In os igitur intruso digito linguæ radicem commouebimus, aut in gulam dabimus plumam pingui aliquo unctam: aut si fieri queat, tale quid bibat: ℞ aquæ pluuiæ ℥.vj. aceti scyllitici ℥.j. seminis genistæ, raphani añ ʒ.ß. radicis raphani ʒ.ij. bulliant, et postquam defferbuit, adde colaturæ olei, butyri ana ℥.ß. bibat tepidum. Capiti infundatur oxyrhodinum: coxendices, crura, pedes linteolis, imbutis oleo ac sale perfricentur: musculorum capita strictioribus uinculis excipiantur: aluus clysterijs utrunq; humorem eluentibus conturbetur. Quod si infusionibus uti non licebit, glandes immittantur, quæ & si paria non faciãt cum ijs, quæ per fistulam impelluntur, quando non datur aliud, & commodioribus præclusa est uia, proximum erit ad has descendere: conficiantur in hunc modum: ℞ sagapeni, opoponacis ana ʒ.ij. colocynthidis ʒ.j. scammonij ʒ.ß. salis ℈.ij. salis gemmæ, nitri ana ℈.ß. mellis quantum satis sit, formentur balani. Aut ℞ hieræ Archigenis ʒ.iij. specierum electuarij é succo rosarum ʒ.j. diagridij ℈.j. ellebori ℈.ß. salis ℈.iij. mellis cocti quantum exigitur, si inducias præbet

Glandes nõ faciunt paria cum clysteribus.

bet morbus, neq; præ ferocia in celerem interitum proripit, utraq; materia confusis medicamentis aliquousq; concoquatur: ita ut neutra suis præsidijs destituatur, natura supra captum nostræ speculationis sapiens pernouit ea diuidere, & deducere, quæ nobis, quamuis acerrimè circumspectantibus sic coniuncta & implicata uidentur, ut sint simplex unum, & quid indiuiduum, quòdque in partes diuersis qualitatibus præditas minime distrahi queat. Sed hanc partitionem fieri posse luculēter docet nutritio, princeps ipsius naturæ functio: qua ex uno sanguine (sensus enim discretionem non iudicat) membra heterogenea nutricātur, ut frigidiora frigidum, & calidiora calidum (quum prospere ualent) alimentum sortiantur. Nec aliam nutrituræ rationem in multiformibus stirpibus ex terræ succo conspicimus. Quare quod diximus confusis medicamentis utraq; materia (si datur occasio) coquitur. Sed tua interest pro exuberantia alterius alterum contrariorum intendere. Galenus ait libro primo Aphorismorum, commento decimosexto: unaquæq; simplex ægritudo, simplici eget curatione, si uero inuicem copulentur, tantum habebunt curationis indicationem communem, quantum copulabūtur, nobis scilicet ad id, quod magis urget, obuiantibus, non tamen alterius cu

Naturæ sapientia in nutritione.

ra omnino posthabita. In hunc usum concinnetur iuleb pro hoc modo: ℞ aquæ betonicæ, melissæ, farfaræ & cichoreæ ana ℥.iij. syrupi cichoreæ cum rhabarbaro ℥.iij. hyssopi ℥.ij. utatur. Aut fiat decoctum: ℞ endiuiæ, cichoreæ, betonicæ, scabiosæ, mentæ ana.m.ß radicis rusci, sparagi, filipēdulæ, glycyrrhizæ añ ℥.ß florum boraginis, buglossi, uiolarum, nenupharis ana p.j. florum anthos, stichadis, ana p.ß. passularum mundatarum ℥.j. coquātur in aqua pluuiæ, & adijce aceti ℥.j. excolatum dulcoretur saccharo, aut addantur syrupi fumiterræ ℥.iij. Post hæc apparetur catharticum aptum trahendæ pituitæ, aptum mouendæ bili pro hac forma: ℞ diaphœnici, electuarij è succo rosarum ana ʒ.iij. cum aqua fumiterræ fiat haustus. Aut ℞ decocti præscripti ℥.v. infundantur per noctem rhabarbari ʒ.j. spicæ grana.v. agarici ℈.iiij. zingiberis gra.vj. salis gēmæ grana.ij. mane fiat expressio cui addatur oxymellis ℥.ß. Aut catapotia formētur: ℞ pulueris hieræ simplicis ʒ.j. agarici recens trochiscati, rhabarbari ana ʒ.ß pulueris polypodij, benedictæ ana ℈.j. elaterij grana.ij. cum melle rosato incorporentur, & ex drachma formentur quinq;. Ab euacuatione capiti succurrendum erit discutientibus, & corroborantibus, & imprimis madefactionibus ex oleo uiolaceo,

nenupharis

nenupharis, irino, costino, susino, et incoquentes aceto pulegium, thymbram, thymũ. Naribus obijcemus odores fœdos, auribus indemus castoreũ, & oleum maioranæ. Sternutamenta ciebimus: apophlegmatismos mandere imperabimus, & gargarissare ijs, quæ saliuam mouent, quorum omnium copia in capitulis de phrenitide & lethargo conscripta est.

CAPVT DECIMVM-quartum De Caro.

CAros quum per se proprius cerebri morbus est, neq; eum febris præcedit, nec etiã comitatur: quum ex consensu & consortij lege incessit, & febres præcedunt, & alias affectiones sequitur. Grauis est, ac perpetuus sopor, quo qui corripitur, uelut intermortuus, & caudicis instar proiectus cubat, uti nullos strepitus, nullos fragores, nec inclamationes quamuis Stentoreas exaudiat. Si forte expergiscitur, palpebras difficillime attollit, & protinus in idipsum soporatus relabitur. Hic nihil dicturus sum (quando nihil ad institutum pertinent) de admirabilibus illis, ac plane portẽtosis dormitionibus, quarum omnino cæcæ, abditæ, & imperscutabilis nobis causæ oblitescunt. Epimedinem ferunt in spe-

Signa.

Dormitiones portentosæ.

lunca dormitasse annos septem & quinquaginta, ac tandem excitatum: quum in apertum prodijsset, omnium rerum faciem tam breui circa se immutatam attonitum stupuisse: uideri namq; sibi perpaululum quieuisse. Damascemus compertum narrat, quod rusticus labore defessus in fœneo tumulo totum autumnum, & consecutam hyemem perpetim dormierit, donec æstate fœno paulatim depasto experrectus, tanquam exanimis, totusq; extra se positus inuentus sit. Neq; uanum est, quod Ecclesiastica historia de septem quibusdam attestatur, qui centum & nonaginta sex annos perseueranter dormiuernnt. Quid hæc quæso? euenta, & miracula spectant ad Pæonis artem. De rebus naturæ perquirit medicus, & de morbis qui præter naturam incidunt: quos inter est Carus, qui in Charontis cymbam plærosq; mortales immittit. Hic siue primario, & per se incumbat, siue ex consensu, & consortij lege adueniat, morbus est semper ferox, tamen tacitus, & inexpugnabili sopore, hominem conficiens.

Causæ. Causas quidem habet multifarias, & imprimis algificam temporis & regionis constitutionem. Hæc nimirum quum est immodica, & impotenter urit, genuinum naturæ calorem fortiter imminuit animales spiritus, uehicula functionum

nũ animæ nequiter torpefacit, itinera, per quæ uitæ, & operationum omnium transfluxus est, perperam astringit, ut prorsus in hoc euentu consentaneum sit, ipsis membris immotionem afflari, sensibus profundam quietem, menti quoq; uacationem. Istud quidem imbecillioribus magis, quàm ualentibus usuuenit, utpote non ferentibus niues, imbres, glacies, tempestatesq; sonoras. Animantia, quæcunq; frigidiora, atq; ob id minus ualentia sunt, ijs calor innatus ab hyberni algoris asperitate adeo hebetatur, ut plane metus sit, ne prorsus exolescat. Quare sub id tempus ipsorum plurima in cauernas, ac specus remotiores fugitare solent, ibiq; sine sensu & motu, perinde ac si mortua cesserit, aut correpta caro, latitare. Quin non nulla in hoc affectu emoriuntur. Ob hanc causam patientibus peculiares insunt notæ, quod nullo pondere, quia simplex & nuda qualitas offendit, caput premitur: cuius tamen ob morbi nequitiam nihil iudicant: frontem, ac tempora, si manum ijs inieceris, frigere comperies, facies liuescit, uenæ suffugiunt, nares frigidum efflant, tardus est pulmonum spiritus, arteriarũ pulsus rarus, exiguus & ægre apparens. Quod si necessitatem hanc medicamentum inuexit, & cerebrum qualitate narcotica stupefecit: quale est aut opium, aut cicu-

Signa causarum.

ta, aut mandragora, ijs & obdormiscere itidem, sopiri ue, aut stertere, quinetiam liuescere, inertem fieri, torpere, nihil sentire eueniunt. Humiditas quoq; (undecunq; affluat) si sit nimia, omnino prompta est hoc uitium gignere. Quod liquido ex balnearum usu depræhenditur, quæ somnum ea ratione conciliare putantur, quia caput madefaciunt. In palustribus etiam locis atq; humectis habitantes (idoneus testis est Aristoteles) somnolentiores efficiuntur. Iam & moderata uini potatio huic sententiæ calculum addit: suis enim uaporibus eam cerebri regionem madidans, in qua sensuum comitia peraguntur, placidum somnum, gratamq; quietem apportat. Et si lubet oculos in cibos quoq; conuertere, proculdubio suffragantur, & eos ad parandum otium fessis spiritibus aptiores comperiemus, qui sunt humentiores. Galenus inquit in libro de Symptomatum causis: Quemadmodum exercitati, & proniores sunt ad somnum, & grauius dormiũt, ita illi quoq;, qui cibum ingesserunt, ac eo grauiori detinentur somno, quo cibus suapte natura fuerit humidior: itidem & ij, qui plurimo se uino ingurgitauerunt, aut balneis multis, calidisq; circa caput liberaliter usi sunt: quippe hæc omnia cerebrum uidentur implere humiditate. Inter ætates præterea ipsa quoq; pueritia ob humoris

Humiditas somni causa.

moris copiam maxime somnolenta est: quis se non inertem sentit, ac ueluti dissolutum queritur, quum pluuijs, & haustrinis flatibus tempus incrudescit. Aquilones corpora purgatiora redunt, & impigra, & bene mobilia: haustri, quia ex opposita cœli plaga imminent, contraria efficiunt. His si frontem manu exploraueris, madidam inuenies, nares leues, tempora mollia, aures flaccidas, os humidum, & languidos arteriarum pulsus. Quod si qualitates hæ coniunctim incidant, & socia (quod fieri potest) conspiratione in maleficium intendant, ambiguum non est, quin præsentius modisq; omnibus funestius periculum incumbat: quanto enim plures in morbum aliquem causæ congruunt, quarum quælibet ad inferendam iniuriam per se satis ualet, tanto magis consentaneum est ex harum copulatione offensionem fore formidabiliorem. Quare si his nudis qualitatibus, quas tantopere (quum uehementes sunt) officere diximus, materiæ insuper accedat exundantia, tum plane clamitandum erit, Mors est in olla, & res ad triarios redijt. Siquidē præter infestam intemperiē, alius quoq; additus est hostis. Nō rarenter accidit, quod in capitis sinu multa pituita coaceruetur, quæ multam obstructionem facere sit apta, & densare spiritus, marcorem inducere, & om

Causæ concurrentes grauius malū efficiunt

nino ſoporare ſenſus. Galenus ait in eo, cui titulum fecit de Plenitudine: pituitæ ſpecies alia dulcis, alia acida, alia ſalſa: prima ſomnolētos facit, altera, quū abundat famelicos, tertia ſitibundos: & quarto de Locis affectis, inter ſoporem & apoplexiam morbus comitial ismedius eſt, & horum trium frigidus, ac craſſus, aut omnino uiſcidus humor cauſa eſt. Verum & in ſopore, & comitiali uentres magis, cerebri corpus minus, in apoplexia uero utraq; affici ſolent: in catalepſi, & uigilanti ſopore poſteriora cerebri magis moleſtantur. His caput ponderoſum eſt, facies albet, palpebræ tument, oculi fluunt, nares excrementis ſcatent, os ſaliua plenum, arteriarum pulſus mollis, tardus, rarus. Fit & ſopor (Hippocrate authore) muſculis temporum affectis. Sanguinis præterea ſobolem eſſe Carum tam conſtat apertè, ut ſilentio tranſilire non liceat. Quum in capitis conceptaculis ſuperuacuus fluitat, & hubertate ſua naturæ facultatem, qua cuncta ſapienter moderatur, affatim onerat: tum ex ipſo turgido turgidi uaporis (ceu bulliantis oceani uomitiones) expirant, qui per omnem illam regionem late funduntur, diffuſi in ſtar opacæ nubis noctem inducunt cimerijs umbris atriorem, in qua neceſſum eſt mentem extincta luce ociari. His uenæ ſecundum collum, ac pone

Pituitæ tres ſpecies.

Carus eſt ſanguinis ſoboles.

pone aures tensæ protuberant, oculi rubore suffunduntur, tempora pulsant, frons calet, & udus spiritus efflatur. Nunc hoc quoq; uitium superuenire cõspicimus, quibus uires tam debiles atq; impotentes conciderunt, ut uigiliarum munia obire nequeant, nec genas oculorum reclusas seruare. Non refert imbecillitatem hanc, siue diutina laborum exantlatio, siue immoderata alui deiectio, siue larga sanguinis profusio, siue inedia longa, siue prolixa ægrotatio, aut tale quid ærũnosum intulerit: sed magna ex parte is talis salutem & annunciare & adferre solet, Auicenna inquit phen prima tertij. Et huic quidem propinquus est, qui accidit ei, qui sanitati uicinus est ab ægritudine sua: accidit enim ei somnus profundus, & significat sedationem ægritudinis. Ipse tamen in sanis non significat bonitatem. Et quandoq; accidit somnus huius generis ei, qui euacuatus est medicina plurimum, & somnus confert ei, reddens ipsum uirtuti suæ. Cæterum quod per consensum sæpenumero adueniat, & alios comitetur affectus, confessum est: in febribus enim diuturnis per singulos circuitus ægros sopore occupari contingit: quod in quotidianis, & semitertianis, non nunquam etiam in quartanis conspicitur. Quippe quum febrium concitationes irrumpunt, eo tempore cerebrum uehe-

Concitationes febrium somnum inducunt.

menter refrigeratur, quod alioqui paratiſſimum eſt hanc noxam ſubire. Iam & comitiales ſequitur, & compreſſiones cerebri, & fracturam cranei, & læſionem membranulæ, quæ priorem cerebri uentriculũ contegit. Galenus ait quarto libro de affectis locis: quemadmodum inter perforandum, quum quis membranam negligenter, et ultra quàm res expoſtulat meningophilace (id eſt, membranæ cuſtode) premendo uiolauerit, ſopor ſuperuenire ſolet: ita ubi os caluariæ uehementer attritum ipſius uentriculos comprimat, maximeq́; medium, ſopor ſuperuenire poteſt. Quinetiam uehementes dolores hic affectus promptiſſimè ſequitur, concidente uidelicet robore animalis ſpiritus, ad nimiam quoq; ſtomachi repletionem, & prolixitatem moræ crudioris cibi in ipſo: in pueris ad uerminationes, in fœminis ad locorum perfrictiones.

Carus ab attonito differt.

Ab attonito quibus diſtet non admodum eſt obſcurum uidere: etenim ſoporato non prorſus adimuntur functiones facultatum ſenſitiuarũ & motricium, nec in ipſo magnopere læditur reſpirationis uſus: in attonito omnia eueniunt ijs contraria, namq; & ſenſu, & motu deſtituuntur, & pulmonum flatus ab eo, qui naturæ congruit, uehementer decidit.

A uuluæ ſtrangulatu differt Carus.

Ab ea, quæ uuluæ ſtrangulatu corripitur, hæc nota diſcernes, ſiquidem ſoporato

omniũ facillime curatur. Sunt porro ipsi, cum sola consistit, remedia, cibi qui citra ualentẽ calefactionẽ refrigerationẽm ue siccent: præterea consuetæ potionis parcitas: statim calẽtibus linteis multũ, diuq; derasum caput uexare expedit, & sacculos inducere ex cineribus cauliũ braßicæ, aut culmorum fabarum, aut sarmentorum uitium, aut quernis, aut ex fimo columbino, aut ex arena maris, aut ex scoria ferri in aceto macerata, aut ex milio arefacto, aut ex sale tosto, aut ex lentibus, pro hoc modo: ℞ cineris quercini. m. j. milij torrefacti, salis tosti, fimi columbini ana m. ß. absinthij sysimbrij, uerbenacæ ana. p. j. scoriæ ferri præparatæ ℥. j. cinnamomi ℥. ß. maceris ʒ. j. xiloaloes ʒ. ij. fiat sacculus in serico rubro: sartago in candorem ignita eminus capiti obuersetur, ac studium sit, ne cutim, carnẽm ue perurat, sed tantum, ut præsens calor in ipsum uiscus pertingat, atq; inibi epotet, exorbeatq; superuacaneam humiditatem. Quod si per copulationem duarum qualitatum intemperies consistat, miscenda amborum consilia sunt.

Si ex copia phlegmatis uitium est, protinus clysteribus eluatur aluus, aut balani submittantur, sed acres, & sentinam exhaurire potentes in hanc formam: ℞ centaurij, absinthij, nepitæ, uerbenacæ ana. m. j. seseli, carei, ameos ana. p.

Curatio ex phlegmate.

℥.radicis acori,inulæ,pæoniæ ana ℥.ß.colocynthidis ʒ.ij.carthami ʒ.iij.polypodij ℥.j.passularum purgatarum.m.j.fiat decoctio,& excolato adde olei rutæ,chamæmeli,ana ℥.j.ß.mellis rosati ℥.j.succi siclæ ℥.ij.salis ʒ.j.Vomitus,si in hunc procliues sunt,concitetur: inferna corporis dolorifico frictu perfricentur: musculorum capita strictioribus uinculis excipiantur:cucurbitulæ multo igne incensæ coxis,& cruribus affigantur: tum derasum caput irrigetur decocto (ab alto torrentis instar affundente manu)abrotani, thymi,rutæ, pegani, pæoniæ,lauandulæ, saluiæ, rorismarini, non sine acerrimo aceto: aut lixiuio, cui incoctum sit serpillum, origanum,sulphur.Sinciput aut cepa,aut scylla, aut tapsia,aut nasturtio,aliquó ue mordacem acrimoniam habente sarriatur,idq; post unum,alterúmue diem, non statim, & ab initio. Oleum præterea conducit laurinum,costinum,irinum. Si uero craßior sit humorum multitudo, spondilium(laureolam dicunt)aut serpillum,aut pulegij comam,aut calamynthen,aut mentam oleo incoquendo multitudinem euacuabis. Eadem hæc(authore Galeno de compositione pharmacorum secundum locos,libro secundo) firmitatem parti addunt.Omnium porrò longè maximè discutit, & perfectè corroborat uerbena-

ca recta

ſoporato in prima cerebri regione labes magis conſiſtit, & in poſtrema minus, quare grauiter audit, & oculorum genas difficulter attollit, motus uero capitis, colli, crurum faciliores habet, & ſi ad aſperiuſculas exclamationes excitetur, potis eſt reſpondere: quæ uuluæ malo præfocatur, contrà habet, oculos incunctantius aperit, & ſenſus (niſi malum ex cauſa admodum pernicioſa pullulaſcat) minus impeditos ſentit, ſed crura contrahuntur, uox obmuteſcit, & omnino imbecilliores motus obtinet.

Sanationis ratio ex diuerſitate afficientis cauſæ trahitur. Imprimis excelſo, ac lucido loco decumbat æger, patẽtibus feneſtris: aër calidus ſit, & ſerenus: ſi temporis acerbitas poſcit, luculentus ignis extruatur, & prunis acria odoramenta inijciantur: nemo ab introitu arceatur, hominum turbam admittere præſtat, clari ſtrepitus excitentur, clamoſæ uoces intẽdantur, ægrumq; perpetim inceſſere oportet, nec quietum ſinere. Cibus ſit ptiſanæ cremor cum porri comis, aut gallinacei pulli iuſculum, aut panis aliquid ex decocto cicerum & fœniculi, cum oxymelle: Hydromel bibat, cui incoctum ſit thymum, pulegium, origanum. Si nuda intemperies offendit, eaq; frigida, caput confeſtim foueatur decocto rutæ, ſaluiæ, roriſmarini, lauandulæ, lauri, &

Curatio.

Curatio ex frigida temperatura.

confricetur oleo costino, castoreo, irino: aut conficiatur cataplasma in hunc modum: ℞ unguenti aregon, martiaton ana ℥. j. olei elateribus ℥. ß. pyrethri ʒ. ij, castorei ʒ. j. calami aromatici, galangæ, struthij ana ℈. j. pilorum hominis ustorum ℈. iij. cũ cæra, & terebinthina agglutinentur. Aut concinnetur talis sacculus: ℞ anthos, stichadis florum, chamæmeli, meliloti ana. p. j. pulegij, thymi, maioranæ añ. p. ß. caryophillorum, nucis myristicæ, cubebarum, maceris, xiloaloes ana ʒ. ß. aliptæ moschatæ ℈. ij. spicæ ℈. j. fiat sacculus retiformiter consutus. Naribus admoueatur ambra, nigella, moschus. Palato affricetur mithridatum, theriaca, aurea Alexandrina. Sumant diagalangam, diatrium pipereum, diambram, aromaticum charyophyllatum, zingiber conditum, aquam saluiæ, lauandulæ, uitis. Aut fiat eclegma pro hoc modo: ℞ conseruæ anthos, stichadis ana ℥. j. pyrethri conditi, radicis inulæ conditæ ana ℥. ß. specierum diatrium piperei ʒ. j. specierum diambræ & diacubebarum ana ʒ. ß. galliæ moschatæ ℈. j. cũ modico aquæ uitæ, seu uitis incorporentur.

Humida intemperies facillime curatur. *Si humiditas morbum parit, diligenter resiccare oportet. Galenus ait libro septimo de Curandis morbis: humida intemperies siue sola consistat: siue cum calore, frigore ue coniuncta sit; omnium*

ca recta: quam si uiridem oleo incoxeris, capút que inde rigaueris, omni capitis dolori antiquo ex frigiditate, aut ex craßis humoribus oborto medeberis. Afferantur autem remedia tepida, aut calentia: secus habet, ubi calidior, & biliosior extiterit materia. Sacculi concinnentur ex sale, milio, furfure, betonica, sampsucho: stichade, anthos. Quia toties in scriptoriam plumam id uocabulum anthos incidit bone lector, ne sis nescius, me non ignorare, quod Græcis latius patet, quàm pro flore rorismarini, sed nos id usurpamus (ut alia multa) pro barbarorum consuetudine. Naribus instilletur betæ succus, aut ederæ, aut anagallidis, pimpinellæ, ciclaminis cum elaterio. Odores fœdi obtrudantur, ex galbano, asa, sagapeno: acetum creberrimè olfactandum exhibeatur, in quo coctum sit abrotanum, peganum, agrestis saluia, ruta: sternutatio concitetur pipere, struthio, ueratro, euphorbio. Lingua, fauces, totúmque oris cœlum infricentur mithridato, theriaca, anacardino. Galenus ait, libro undecimo Simplicium medicamentorum: Frigidis & humidis corporibus castoreum optimum est remedium, maxime si febri careat æger. Imò & febrientibus, non tamen calidam, sed ut dicam ita, tepidam

Anthos latius patet quàm pro flore rorismarini.

pidam febrim habentibus, qualis præcipue in ſoporibus, & ueternis contingit, huiuſmodi inquam pluribus caſtoreum exhibuimus cochlearis menſura, & ſimul piperis albi tantundem ex melicrato, nunquam autem inde læſus eſt quiſquam. Coxendicibus & pulpoſis partibus ſinapiſmus apponatur. Huc quoq; pertinet hominē iniuria, aut contumelia laceſſere, & omnem bilem in naſum conciere, ut efferueſcente ſpiritu obſcœnus ille animi torpor diſcutiatur. Quod ſi fieri queat, ut catarthico uenter ſoluatur, ea occaſio pretermittenda non eſt, ſorbeat cochlear unum aut & alterū ſyrupi ė ſtichade in quo elleborus, aut colocynthis intabuit. Si ſanguinis ſoboles eſt carus, ſuccurrit cephalicæ uenæ ſectio: hirudines pone aures admoueantur, & cucurbitæ cruribus, & interſcapilio. Aluus molliatur clyſterijs: Hæmorrhoides ſuppreſſæ ſcalpello, aut alicuius affrictu acrimoniam habentis aperiantur. Mulieribus non purgatis uena iuxta talum fodiatur: nariū epiſtomia refringantur: oxyrhodinū capiti ab initio liberaliter infundatur: odorent ex aceto pæoniam. Si ex uirium imbecillitate malum eſt, celerrima recreatione opus erit. Si morbos alios comitatur, morborum uis primitus tollatur, deinde ſi quid reliquum erit, pro modo iam dicto percuretur. Scire autem oportet

Ira procuranda.

Curatio ex ſanguinis abundātia.

Soporem finitum ſanitas ſequitur

oportet (attestante Galeno) finito sopore bona ualetudo magna ex parte subsequi consueuit.

CAPVT DECIMVMQVINtum de Catalepsi.

CAtalepsis admirandum in modum hominem afficit. Hac quum quis corripitur confestim instar marmoreæ statuæ gelatur, nec mutat constrictus præsentem corporis habitum, sed subito, tãquam afflatus sydere, aut (quod est in fabulis) Meduseos uultus conspexerit, attonitus, rigidusq; consistit. Qui siue iaceat occlusis genis, siue stet respiciens, quod agens tũ erat, in eo statu immotus permanet, Socratem hoc morbo aliquando detentum suspicarer, qui repertus sit à solis ortu eisdem in uestigijs, inconniuẽtibus oculis, atq; ore immoto in alterum usq; solem durasse, nisi Gellius, nõ leuis author, inter labores uoluntarios, & corporis exercitia ad fortuitas patiẽtiæ uices id facere tum consueuisse scriberet. Solinus quoq; Indos narrat, gymnosophistas habere, q ab exortu, adusq; solis occasum cõtentis oculis orbẽ candentißimi syderis intuentur, in globo igneo rimãtes secreta quædam, arenisq; feruentibus perpetem diem alternis pedibus insistunt. Hoc uitio impeditos anti-

Signa.

Socratis cõsuetudo.

quiores medici catochos neminauerunt, seu catochomenos, quasi dicas occupatos, depræhensosq́; recentiores uero (authore Paulo) fœminino genere appellant Catochen, & catalepsin, ueluti detentionem, depræhensionem.

Causæ. Causa mali tam stupendi non nunquam nuda est intemperies, sine ullius materiæ confluxu. frigida scilicet, & sicca. Refrigeratio (inquit Galenus) quum fortis est & ualida, si humiditati coniungitur, lethargicas paßiones gignit: si siccitati copuletur, uocatas depræhensiones facit: est ipsa nimirum calori naturæ ex diametro opposita, quare hunc primitus extinguit, deinde corporis humorem, ex socia qualitate populatur, exorbet, absumit: aut madorem illum qui neruoso generi rorulentus est, & ad commodos membrorum inflexus per musculos distributus, subito incubitu, cogit, astringit, indurat, ut usui esse non queat: simul & ipsum motus sensusque principium cum suo illo satellitio (animales dico spiritus) nequißime torpefacit, quo fit, ut uniuersa membra quasi de numine tacta, obrigescant. Calamitatem hanc nobis afflet præ frigida aëris nos ambientis constitutio: Hyems glacialis & sæuis aquilonibus aspera: Cœlum ferox, inclemens, ninguidum, grandinosum. Theonnestus, qui de Veterino-

rum

rum morbis conſcripſit: Nos, ait, Italiam petentes quum alpes ſuperauiſſemus, repente tanta uis niuium præceps circiter horam primam deuoluta eſt, ut paßim milites gelicidio concreti animam efflarent: equis enim inſidentes diſtenti manebant, equum adhuc uita fungi ſors ferebat, qui militare cadauer gereret, agmenq́; ſequeretur, defunctus autem ante & ſcutum, & habenam tenebat, inſidebatq́; rigidus, tanquam equo modo quodam agglutinatus cohæſiſſet, ſic ut non ſine negotio à uiuentibus auelleretur. Si uero unà quoq; mortem oppetiuiſſet equus, gelu rigens perſtabat, & undiq; fixus in ueſtigio manebat. Odor præterea ceruſſæ, argenti uiui, opij, mandragoræ, & aliorum ſoporantium in hoc maleficium potenter ualet. Aqua quoq; turbida, & fœtulenta (cuius Zelandis bona eſt copia) ſtatim à re uenerea, à ſudatione, à labore, ab inani, uacuoq́; uentriculo potata. Quinetiam præter nudas qualitates, & cauſam habet materiam, quæ quum poſtremum cerebri uentriculum ſemel opplet, continuo ſuas omnes natura functiones ſuſpẽdit, exceptis iis, quæ modicè, ac tenuiter uitã q̃tulãcunq; tuẽtur. Cũcti ex uolũtatis impio motus protinus ceſſant, propter occupata inſtrumẽta, quæ ad hanc rem neceſſaria ſapiẽs architectus fabricauit. Talis eſt

Milites gelicidio concreti.

atra bilis, tale & phlegma (quod Praxagoras uitreum appellauit) egregie quidē frigidum, nec minus crassum. In hanc nassam præ alijs celerius ruunt ualetudinarij, imbecilles, melancholici, et ij, quibus longo tempore commercium fuit cum piscibus & alijs cibis pituitosis. Morbus hic ab apoplexi, syncope, locorum strangulatu, lethargo, caro, ea nota discernitur, quod in singulis ijs membra ad arbitrium attrectantis inflectuntur, mollia sunt, & laxa, & in quamuis figuram explicabilia: tetanici uero quamuis sese inflectere non queant, & rigidos corporis musculos habeant, sensuum tamen usu nequaquam priuantur. Quin audiūt, uident, odorātur, intelligunt, & recordantur: occupati sunt mera idola, aures habent, & non audiunt, oculos habent & non uident, nares, & non olfactant.

Differentia morbi ab alijs.

Sanatio admodum difficilis est, & ubi ualida fuerit offensa artem omnino superat: à sola intemperie quum originem ducit, curatio unum habet modum, oppositam uidelicet qualitatem inducere, sed hoc opus, hic labor est: statim in solium demittendi sunt quod tepidum habeat oleum chamæmeli, liliorum, lini, sambuci, lumbricorum, & in eo diutile persistant: aut in calente sanguine uituli, agni, hœdi, capellæ, perluantur: aut seßitent in decocto suffruido capitis, ac pe

Curatio ex intemperie

dum uituli, uerbenacæ rectæ, primulæ ueris, arthemisiæ, pulegij, ebuli, radicis altheæ, circij, liliorum, seminis lini, fœnugræci, sed nusquam fatigentur propter uitalis flatus tenuitatem: deinde uniuersum corpus & præsertim occiput, ceruix, interscapilium & reliqui spinæ musculi perungantur oleo susino, costino, nardino, laurino. Aut unguentum conficiatur pro hoc modo: ℞ olei lumbricorum, liliorum ana ℥. j. axungiæ uituli, anseris medullæ, crurum cerui ana ℥. ß. unguenti aregon, marciaton, olei è lateribus ana ℥. iij. cum cæra & terebinthina fiat unguentum, et ab unctione inuoluatur in lana succida, aut in uellere recens ab animante detracto. Oris cœlo indatur confectio anacardina, aut theriaca, mithridatum, naribus subijciantur ruta, peganum, maiorana, pæonia, pulegium, serpillum: auribus instilletur castoreum. Magnifice quoq; iuuerit, si gallinaceus, adacto cultro à ceruice in orrhopygium uiuus conscindatur, & insperso puluere nucis myristicæ, cubebarum, caryophyllorum deraso capillitio capiti applicetur, et post unam atq; alteram horam alius, & deinde tertius in uictimam mactetur. Aut huiusmodi emplastrum concinnetur: ℞ radicis altheæ coctæ in uino ℥. ij. distringatur per setaceum, & adde unguenti agrippæ ℥. j. fæcis olei liliorum, empla-

ſtri è meliloto ana ʒ.vj.axungiæ anſeris,galli-
næ,œſypi ana ℥.ß.zingiberis uiridis ʒ.iij.cala-
mi confecti ʒ.ij.galliæ moſchatæ ʒ.j.ceræ & te
rebinthinæ quantum ſatis ſit,aggregentur in for
mā emplaſtri. Quod ſi atra bilis,ſeu uitreum
phlegma nobis negocium faceßit, ſtatim & ab
initio clyſteribus aluus turbetur,aut glandes ſub
mittantur,ſed præſtāt clyſteres,etiam acriores,
ſi queant infundi, pro hoc modo:℞ centaurij,
hyſſopi,ſtichadis ana.m.j.ſeminis lini,fœnicu-
li,carthami añ.m.ß.polypodij ℥.j.folliculorum
ſenæ ℥.ß.colocynthidis ℈.iiij.radicis inulæ,al-
theæ,bugloßi ana ℥.ß.fiat decoctio,& excola-
to adde olei liliorum coſtini ana ℥.j.ß.mellis an-
thoſati ℥.j.hieralogodij ℥.ß.ſalis ʒ.j.Alius:℞
thymbræ,thymi,pulegij ana.m.j.boraginis,bu
gloßi,fumiterræ ana.m.ß.ſeminis aniſi,fœnicu-
li,urticæ ana.p.j.foliorum ellebori.m.ß.paſſu-
larum mundatarum ℥.j.epithymi ʒ.iij.coquan-
tur cum gallo ueteri, & adde colaturæ olei ru-
tæ, abſinthij ana ℥ j.ß.diaſenæ ʒ.vj.ſalis ʒ.ij.
Galenus ait quinto de Medendi methodo,mini-
me ſicut medicorum non nulli cenſent à paruis
incipiendum eſt auxilijs, nec ſicut illi ſentien-
dum, iſta ſcilicet prius eſſe tentanda,mox ſi ni-
hil profecerint,aggrediēda maiora:nam in mor
bis, in quibus periculum non impendet,uera ea
eſt opi-

Curatio ex materia.

est opinio: at ubi moriendum ægro prorsus est, alienißimum à ratione est à minoribus inchoasse. Deraso capiti & potißimum occipitio ac postremæ suturæ insuundantur decoctum absinthij, challitrici, betonicæ, calamynthæ, uerbenacæ, saluiæ, lauri, lauandulæ, & probe exterso epithema inducatur: ℞ olei liliorum. ℔. ſ. aquæ uitis seu uitæ ℥. iiij. castorei ʒ. ij. euphorbij ʒ. j. sulphuris ℥. ſ. fimi columbini ℥. j. concutiantur, & stupis canabinis applicetur, concoctioni uero, & euacuationi locus erit, ubi euigilarint, & occasio aliqua propinandi apparuerit.

CAPVT DECIMVM-sextum de Insomnijs.

REfrigerato sensuum principio, & humectato soporosam constitutionem fieri necessum est: haud aliter eo incãdescente, ac siccessente consequitur immoderatas uigilias oriri. Somnus (Hippocrates ait) & uigilia, utraq; si modum excesserint, malum. Modum autem somnus excedit, quum difficilem habet expergefactionem, & in eo euentu, aut sopor, aut grauis somnus dicitur. Iam est quando solum tempore conuenientem naturæ modum excedit, sed difficilem expergefactionem non habet, is longus di-

Somnus quoties modum excedat.

ci potest. Neuter profecto ueniam meretur, sed is illo minus periculosus est. Sic uigilias contingit esse immoderatas, aut contra consuetudinem, quum longæ sunt, aut omnino perpetuæ, cum omnem quietem adimunt. Quantum detrimenti maiores ipsæ corpori concilient, nihil attinet longis logis inculcare, id uel me tacente quiuis luculenter intelligit. Arefaciunt enim & assiccant corpus, uires dissoluunt, mentem labefactant, & quæ sunt perpetuæ suos quidem labores cum uita finiunt.

Causæ. In hanc affectionem incidimus, quoties cerebrum caliditate immodica, aut siccitate nimia à temperamento recidit: quæ si copulētur, quando utraq; sine alterius accessione in noxam satis ualet, difficilius malum redditur. Nunc & abundantia choleræ, & copia salsæ pituitæ, grandis dolor, crapula, intentiones animi, morbus aliquis urentes, & mordaces fuligines sursum impellens, alui profluuium, immodica uenus, causæ sunt, quæ nos insomnes efficiunt. Cæterum

Causarum indicia. indicia prolixius denarrare, quibus causa quæq; significatur, superuacaneum esset, ac minimè oportet: siquidem ea conspectiora sunt, quàm quæ ambitiosa uerborum serie explicentur. Nimirum quibus caput æstuat, ipso tactu, & manus exploratione statim innotescit, & oculorum

rum fundamenta ijs ardere uidentur. Siccitas se prodit linguæ, ac faucium ariditate: nares excremento uacant, frons intenditur. Si cholera noxam parit, in capite non nullus grauitatis sensus sentitur, neq; strepitum, neq; uocem, neq; luminis splendorem, neq; motum tolerare possunt. Si ex salsugine humoris in cerebro sparsi, oculi lippiunt, et craßior quædam pituita ijs innatat, nares uuide sunt, & earum pinnæ exulcerantur. Si dolor, si crapula, si uehemens animi affectus, seu morbus quispiam dulcem somnum abarcet, cuiusq; dignotio ex proprijs indicijs colligatur. Omnis curationis ratio, ubi sola intemperatura uitium gignit, in ijs uersatur, quæ refrigerant & humectant. Calidum enim refrigerari postulat & siccum humectari. Quod si utraq; coniungatur, tum pro ea proportione combinentur opposita, pro qua illa & coniuncta coierint. In primis quærendum est obscurum, & tranquillum cubiculum, quodq; uel subterraneum sit, aut à terra non sublime. Id si negetur, industria nostra, quoad fieri licebit, tale parabimus, & quibusdam auris imbuemus, quæ uotis commode obseruiant: uti rosis plurimis humi fusis, aut uitium capreolis, pampinis ue, aut ruborum ramusculis, aut reliquarum stirpium aliquibus, quæ frigefaciunt: ipsum pauimentum aqua geli-

Curatio.

da irrigabimus, atq; eam de uasis in uasa transfundemus, aut euripos, in quos se confluentes deijciant, adaptabimus: & madefacta lintea parietibus inducemus. Huc quoq; pertinent odoramenta ex rosis, uiolis, nymphea, santalis, caphura: in hunc aut consimilem modum ℞ rosarum rubearum, florum uiolarum, nenupharis ana. p. j. omnium sandalorum ana ʒ. ß. coriandri, seminis anisi ana ℈. j. camphoræ grana. iiij. opij grana. ij. puluerescant, & in linteolo puluis ligetur. Aliud: ℞ corticum papaueris albi ʒ. ij. seminis portulacæ, lactucæ, scariolæ ana ʒ. j. psyllij ʒ. ß. seminis anethi ℈. j. seminis hioscyami, mãdragoræ, cicutæ ana ℈. ß. croci grana. vj. pinsita aspergantur modico aquæ rosaceæ, & colligentur in formam globuli, seu pomi. Naribus indatur oleum uiolaceum cum ouorũ aquato, facies aqua rosacea crebro irroretur, aut solani, nymphеæ, lactucæ, cucurbitæ. Hominem præterea in balneo uersari conducit, ad quam rem longè utiliores sunt natationes, quàm breues conchæ, et esto aqua ad cutim temperata. Somnum etiam conciliant leuiculæ confricationes, præsertim pedum, ipsorumq; lotiones decocto salicis, maluæ, papaueris. Auxiliãtur minutili sonores, ueluti in peluim stillantis aquæ ictus, aut bullientis aululæ murmur, aut clementioris flatus aura, aut commotarum

motarum arbuscularum collisio, aut minurientium auicularum modulatio, aut submissus lasciuientis uoculæ canor, aut plasmus aliquis musices instrumenti tinnulus. Pythagorici cum uellent diurnas curas somno mollire, quibusdam cātionibus musica ratione ad id concinnatis utebantur. Profecto admiranda est humano spiritui cum symphoniæ modulis affinitas, & est ad solandos labores pulchrum naturæ munus. Auditoris animus intro se colligit, & quandam facit in cordis succo collectus suauem euaporationem, hæc sursum conscendens cerebrum irrigat. Auribus instilletur oleum nenupharis, hioscyani, uiolarum. Capiti applicetur cæratū ex oleo roseo, & elota cæra absq; aceto, aut linimentum ex oleo ranarum, saligno, populeo. Ipsum etiam perfundas primum tepida, deinde ea, quæ ueluti æstiuo sole intepuit, mox & hac paulo frigidiore. Ipsam, Galenus ait, frigidæ substantiam, neq; eius qualitatem omnino integram usq; ad uiscera peruenire est salubre: nec in prosperum fuerit fouere decocto hordei, capitum papaueris, frondium salicis, cucurbitæ, chamæmeli, meliloti, aut lacte recens mulcto. Vitent graues labores, ueneream palestram, & pertinax animi studium. Supra lectum, ne infames culices suis morsiunculis somnum interturbent, conopeum ex-

Pythagorici somnum cantu conciliabant.

Affinitas est humano spiritui cum symphonia.

pandatur. Cibus esto facilis concoctionis, & elixus magis, quàm assus, pauloq; plenior sit epulatio. Conducunt uitulina, hœdina, hagnina. Somnos fieri leporis esu Cato arbitratur: utiles sunt pullastri, perdices, phasiani, pipiones cum lactucis, spinachijs, sparagis, maluis. Lactucas Galenus egregio eulogio nobilitauit: in iuuentute, ait, quoniam aßidue os uentriculi bile efferuescebat, æstus moderandi gratia lactucas esitabam: quum autem ad prouectam ætatem peruenissem, olus hoc, contrà quàm in iuuentute, somnum iam studio accersenti mihi auxilio fuit: quippe qui etiamnum iuuenis lucubrandi gratia, uigilijs dedita opera me assueferceram, declinante iam ætate, ipsa ex se insomni, grauius hoc incommodo molestabar: aduersus quod unicum mihi præsidium præsentißimum lactuca uespere manducata semper fuit. Pisciculos præterea saxatiles, & pulticulas ex ordeo, oriza, alica edant. Amygdalatum pro hac forma paretur: ℞ amygdalarum purgatarum ℥. ij. seminis papaueris albi ʒ. ij. seminum frigidorum mundatorum añ ʒ. ß. macerentur horas sex aut septem in aqua egelida, deinde contundãtur in mortario, et contusum distringatur per cribrum cum aqua lactucæ, aut nenupharis, aut halicacabi, & dulcoretur saccharo rosato, sumat sub uesperam concedens

Lactuca somnũ conciliat.

dens

dens cubitum. Dioſcorides ait: Papaueris erratici quinq; ſexúe capita in uini tribus cyathis decocta uſq; dum duæ tantum partes ſuperſint, bibenda his dantur, quos ſopire uoluerimus. Fugiant fabas, lentes, braßicam, erucam, allia, cepas. Ceruiſiam bibant, aut aquam, aut uinum, quod tenuitate aquā proxime accedit, dein etiā albedine, ac guſtanti tibi aquoſum citra ullam ualidam aſtrictionem apparet, inſuper in temperando haud multam aquæ miſtionem ferens. Huiuſmodi ſane uinum tantum abeſt, ut offendat, uti non ſolum proprios capitis affectus mitiget, ſed etiam eos compeſcat, qui ex humoribus uentriculi oriuntur. Galenus in eo, cui titulum fecit, de Affectis locis, ſic habet: Tenuis ratio uictus, & uinum meracius uigilias inducunt: idq; multo magis, quum uinum meracum ſuapte natura fuerit calidum, aut ualde antiquum: ueluti apud noſtrates Pergami olim accidiſſe memoriæ proditum eſt, neq; abſurda uidetur hiſtoriæ ipſius narratio: Grammaticus quidam ſingulis diebus balneum petens, unum ex pueris ſecum ducebat, altero domi relicto, qui rem familiarē ſeruaret, atq; ea, quæ ad uictū eſſent neceſſaria, præpararet: puer itaq; uinum cuſtodiens, quum uehementi ſiti cruciaretur, nec eſſet ei aquæ copia, uinū antiquum liberaliter hauſit, atq; ex reliquo tem-

Grammaticus ex potu ueteris uini, factus eſt inſomnis.

pore uigil omnino permansit, postea correptus febre unà cum uigilijs oborto delirio perijt.

Curatio ex phlegmate salso.

Si salsum phlegma morbum facit, nemo nescit ante extractionem concoquendum, pro hoc modo: ℞ syrupi endiuiæ ℥.iij. mellis rosati ℥.ij. Aut ℞ endiuiæ, cichoreæ, fumiterræ ana. m. j. lupulorum, cuscutæ, boraginis, buglossi ana. m. ß. corticis radicis petroselini, fœniculi, sparagi ana ℥. ß. passularum purgatarum ℥ j. glycyrrhizæ ʒ. ij. coquantur, & adde excolato syrupi bizantini absq; aceto ℥. iij. mellis uiolati ℥. j. capiat bis quoq; die uncias quatuor, deinde soluatur aluus agarico, turbit, polypodio, rhabarbaro, diaphœnico, electuario è succo rosarum, aut pilulis è capnio aureis, assaieret, idq; transfusis cribris, pro modo pituitæ, pro modo seri salsuginosi ℞ pulueris hieræ simplicis ℈. ij. agarici recens trochiscati, rhabarbari ana ʒ. ß. specierum benedictæ ℈. j. diagridij grana. v. ex drachma formentur. v. Aut ℞ diaphœnici ʒ. iij. electuarij è succo rosarum ʒ. ij. diagridij grana. ij. aut tria. Aliud: ℞ turbit ʒ. ß. rhabarbari ℈. j. cinnamomi, zingiberis ana grana. vj. sacchari ad pondus omnium, puluerescant. Aliud: ℞ polypodij ℥. j. seminis cartami ʒ. iij. boraginis, buglossi ana. m. j. hyssopi. p. j seminis anisi, fœniculi ana ʒ. j. tamar indorum ʒ. vj. coquantur, & adde colaturæ dia-

ræ diaphœnici, electuarij è succo rosarum ana ʒ.ij. post hæc naribus infundatur oleum anethinum, & caput unguatur chamæmelino, susino, uiolaceo, butyro insulso, axũgia uitulina, anserina, & irrigetur decocto florũ chamæmeli, meliloti, sampsuci, senæ, altheæ, lini. Primariũ quoq; præsidiũ nouella est ac recens theriaca, quam Antoninus (attestante Galeno) instar Ægyptiæ fabæ quotidie citra aquæ, uini ue, uel eiusmodi misturam assumebat. Quum autem graui sopore premi ipsum in quotidianis actionibus contingeret, papaueris lachrymã ademit: Rursus quum accideret, ut propter consuetudinem pristinam, ceu qui siccioris temperamenti naturam haberet, & ob desiccans medicamentum oblatum longo tempore bonam noctis partem transigeret insomnem, coactus est etiam ex eo quod lachrymam papaueris habet, iam inueterato adijcere.

Si cholera impedimento est, quo minus rectè dormiamus, petulantiam eius retundere oportet cum syrupis endiuiæ, cichoreæ, rosarum, granatorum, nenupharis: aut in hunc modum: ℞ aquæ acetosæ, lactucæ ana. ℔. ß. conseruæ rosarum, nenupharis ana ℥. j. ß. fiat leuis ebullitio. Aliud: ℞ aquæ fumiterræ, farfaræ ana. ℔. ß. syrupi uiolarum, cichoreæ cum rhabarbaro ana ℥. ij. Aut capiant syrupum acetosum modicæ acetositatis Curatio ex cholera.

cum aqua ordei. Aut ℞ cicerum rubeorum.m.j. fumiterræ,roſtri porcini,ſcariolæ ana.m.ß.ſeminis melonum ʒ.iij.ſeminis papaueris albi ʒ.ij. paſſularum enucleatarum ℥.j.coquantur,et adde decocto ſyrupi nympheæ ℥.iij.oxyſacchari, ℥.j.dehinc leui cathartico procuretur ſubductio,non eo quod ſanguinem exaſperet,quod tumultum concitet:ſed quale eſt ſerum caprillum, bubulum,caßia,manna,tamar indorum,rhabarbarum,ſuccus roſarum,in hunc modum:℞ diacatholici ʒ.vj.electuarij è ſucco roſarum ʒ.iij. Aut ℞ caßiæ recens extractæ ℥.j.pulueris rhabarbari ℈.j.diagridij grana . iij . Aut dilutum pro hac forma propinetur:℞ rhabarbari ℈.iiij. epithymi ℈.ij.ſpicæ grana . vj .macerentur in aqua fumiterræ,& expreſſo adde ſyrupi uiolarum ℥.j. Decoctum ℞ boraginis,bugloßi ana m.j.endiuiæ,cichoreæ ana.m.ß.hordei ℥.ij.paſſularum purgatarum ℥.j.tamar indorum ʒ.vj. iuieben , ſebeſten(zizipha, & mixaria dicunt) ana numero.ix.ſenæ ʒ.iiij.coquantur,& uncijs quatuor aut quinq; huius excolati,adde diapruni ſolutiui.℥.ß. Ab euacuatione ad topica confugiendum , & ipſum caput , non dico uniuerſum,ſed ſinciput,in qua regione tyrannidẽ exercet hoſtis,refrigeretur,& humectetur.Imprudentis fuerit artiſicis eam etiam partem in quali

Artifex uicinas partes non lædat.

tatis

tatis consortium trahere, qua nihil ad ualetudinem eget: nec rursus recta ratione institutum opus succidere oportet, si timeamus uicinam aliquam partem lædi plurimum opis conferet malagma ex pinsitis rosis cum oleo uiolaceo, ranino, succo psyllij & ordeacea farina: auxilium hoc siue humorum siue uaporum multitudo in caput impetum faciat, præclare sucurrit, repellit enim eos, infraq́; in corpus detrudit. Sed cerebrum quia princeps uitæ sedes est, anethinũ adijciatur, & croci momentum, nisi admodum uehemens, & effrenis ferueat æstus. Est namq; aliquando (attestante Galeno libro tertio de Temperamentis) summi caloris affectus, quem mediocriter frigidum medicamen adeò non alterat, ut refrigerando, densandoq́; summum extrinsecus corpus, calorem intro concludat, ac difflare uetet, indeq́; affectũ magis accendat. Irrigatio quoque permultum conducibilis est ex decocto cucurbitæ, salicis, lactucæ, portulacæ, lentiginis aquæ. Aut splenium quo sæpenumero utor, pro hac forma apparetur: ℞ unguenti populei, infrigidantis Galeni ana ℥. j. omnium santalorum ana ʒ. ß. florum nenupharis, uiolarum, rosarum añ ℈. j. seminis lactucæ ℈. ij. seminis anethi, myrrhæ ana ℈ ß. croci grana. vj. camphoræ grana ij. cæræ quantum satis sit, extendatur supra lin-

teum. Sed eius meminisse oportet (quod & alibi à nobis dictum est) postquam applicatum incaluerit, & si potestate frigefaciat, abstrahendum tamen, & mutandũ. Naribus trahat fœmineum lac, aut lactucæ succum, aut decoctum hordei, seminis maluæ, psyllij, Pedes ac manus lauet lacte recens mulcto: aut egelida, in qua salices, rosæ, uiolæ, nymphea, calices papaueris bullierint. Quieti se componens sumat huius eclegmatis particulam: ℞ conseruæ uiolarum, nenupharis ana ℥. j. conseruæ rosarum corticis citrei conditæ ana ℥. ß. seminis papaueris albi ʒ. ij. seminis lactucæ ʒ. j. seminum frigidorum purgatorum añ ℈. j. coriandri præparati ℈. ß. croci grana. vj. cum syrupo papaueris misceantur.

Emplastra quæ frigefaciunt mutanda sunt.

Cæterum morbus aliquis, dolor úe, aut crapula, affectus animi, seu aliud quippiam si graues uigilias importat, ueteres medicinæ proceres uno omnes elogio consentanei decreuerũt, et rationi consonum est, ut imprimis mali fons, & origo auferatur, & morbus, dolor, crapula, affectus animi, aut aliud tale primitus præcidatur, & tum operam ad id, quod relictum erit, dirigemus, nisi cum suo duce comes diffugerit, profecto euenit: atq; id non raro, uti symptomata, quæ per consensum affligunt tam ferocia, & cacohetica sint, quæ nullas inducias præbeant, nec contemni

Symptomata non nunquam morbis grauiora.

temni uelint, donec primarius morbus, & qui proprius est, profligetur. E quorum numero insomnia æstimetur, cui quibus modis occurrendum sit, non paucis exposuimus. Sed si nec hisce uincitur, ad ea remedia descendere oportet quæ narcotica dicuntur. Ex quorum censu haud alia daturi sumus, quàm quæ nobis de periculo facto salutaria innotuerunt. Siquidem ab his ingens noxa, imò certa mors imminet, si non cum studio, & acri uirtutis expensione exhibeas. Sed eò res maliciæ nonnunquam pertingit, uti satius sit, atq; expediat nonnulla fiducia, uel cum discriminis formidine difficilem curationem aggredi, quàm adempta spe exanimandum hominem relinquere. Galenus, qui omnium maxime ab esu sopientium abhorrebat, libro duodecimo de Curandis morbis inquit: abstinendum est ab his somniferis medicamentis, si fas est alijs remedijs morbum sanare. Sin ex uigilijs, & uiribus resoluendis ad mortis discrimen æger tendat, tum profecto tempestiue eiusmodi medicamentis utare: scilicet non ignarus, corporis habitum ex his non nihil lædendum: læsionem tamen, quàm mortem potius optandam. Nam si hæc admodum magna non sit, saltem spatio eam sarcere licebit. Sin ita est immodica, ut nec prolixo spatio persanari queat, ac certè hanc ipsam eligendam potius re

Morbi ferocia nonnunquam anceps auxilium requirit.

mur, quàm ut homo pereat. Terminus quem non trãsibit is, qui ex arte generose contra morbum pugnat, est ipsarum uirium custodia, ubi ultra pergitur, crudelis hominis officiũ facit, qui una cum morbo uitam quoq; homini aufert. Caput ergo foueatur decocto foliorum, & capitum papaueris albi, hioscyami, cucurbitæ, lactucæ, nympheæ, radicis & foliorum mandragoræ, & perungatur oleo ranarum, mandragoræ, papaueris, alterci. Aut conficiatur cataplasma in hunc modum: ℞ foliorum papaueris albi, lactucæ, uiolariæ, maluæ ana m. j. coquantur, & aqua desusa contundantur in mortario, & adde olei papaueris, ranarum, unguenti populei ana ℥. ß. olei anethi ℥. j. farinæ ordei quantum satis sit pro spissamento, capiti tepidum inducatur. Aut ℞ cinnamomi, croci, opij ana ʒ. ß. olei rosacei ℥. ij. olei anethi ℥. j. liniantur tempora & nares: quod si adieceris pauculum myrrhæ, non peccabis. Aut ℞ olei ranarũ, alterci aã. ℥. j. olei chamæmeli ℥. ß. mucilaginis psyllij ex aqua rosarũ ʒ. ij. terræ sigillatæ ʒ. j. corticis radicis mandragoræ ℈. ij. omniũ santalorũ aã ℈. j. camphoræ, croci aã ℈. ß. misceantur. Opium præterea præsentem opem multis attulit, ad quantitatem erui in lacte fœmineo tabefactum, & eo lana imbuta naribus inditur. Sed diligenter dispiciendum ne adulterinus

Terminus quem medicus nõ trãsgreditur.

rinus liquor te fallat. Probatißimus (ait Dioscorides) qui densus ponderosusq; est, odore caput in soporem trahens, gustu amarus, & qui facile in aqua liquescit, in quo læuor, candorq; sit, & omni asperitate careat, non grumosus sit, neque dum per colum traijcitur, ceræ modo durescat: qui in sole item positus diffunditur, & lucernæ admotus non caliginosa ardet flamma, quique postquam extinctus fuerit, odoris uim suam retinet. Hoc patrē Licinij Cicinnæ prætorij uiri interemptum literæ testantur, quum ualetudo impatibilis odium uitæ fecisset. Mirum est, eum ubi quis hauserit, tam ualidam sequi pruriginem, ut hac uexatione expergiscat. Nunc & lactucæ succus (authore Galeno tertio de Temperamentis) si liberalius sumatur similem in homine cum liquore papaueris temperamentum habet. Sopiunt etiam in cibo sumpta mandragoræ poma. Quidam mandragoræ radices in uino ad tertias decoquunt, traiectasq; per colum asseruant, utentes cyathi unius mensura. Aut ℞ hioscyami, corticis mandragoræ añ ʒ.ij. squinanti ℈.j. coquantur in aqua, & huius decocti porrigatur unciæ quatuor, cum modico uini. Aut exhibeatur philonium persicum, aut looch è papauere, aut compositio è styrace. Pro hac formula: ℞ aquæ lactucæ ℥.iiij. looch è papauere ℥.ß. capiat tepidum.

Opiū quod probum.

Licinij Cicinnæ pater opio interemptus.

Aut ℞ philonij persici descriptione Mesues, capite de fluxu sanguinis ab ore ℥.j. aquæ lactucæ ℥.iij. uini albi ℥.j. capiat sub noctem. Philonis medicamen (inquit Galenus duodecimo de Medendi methodo) si duorum, triúm ue, aut quatuor annorum sit, multo sane est melius. Sed nec inutile tamen sequẽtibus annis ad decimum usq;. Quod enim ultra inueterauit, tanto quidem minus est noxium, quanto est uetustius, cæterum languidis est uiribus. Omnia sane id genus magis sunt salubria, si post annum à compositione sumantur. Neque admodum noua sunt offerenda, quod frigida, quæ in his sunt, præualentes adhuc uires habent. Nec ita antiqua ut spem nostram frustrentur, datur hoc medicamentum (ut alia omnia) pro sumentis cõditione, ab uno scrupulo ad tria, quatuór ue. Et libro secundo Artis curatiuæ ad Glauconem: utendum est philonio, & omnibus ex opio confectis medicamentis, non recentibus, sed annotinis, aut minimũ semestribus. Philonis porrò antidotus, qua Galenus uti consueuit, sic habet: ℞ croci denarios. v. pyrethri, euphorbij, spicænardi singulorum denarium unum, piperis albi, hyoscyami singulorum ℥.ij. ß. opij denarios. x. Trallianus libro tertio, capite trigesimosexto, aliam habet, sed non multum diuersam. Aliud somniferum: ℞ conseruæ nenu-

Philonis medica-

nenupharis ʒ.ij.seminis papaueris albi ℈.j.pilularum é ſtyrace ℈.ß.capiat. Aliud: ℞ pilularum é ſtyrace ʒ.j.cum ſyrupo papaueris formentur pilulæ quinq; , & capiat unam, duas, três ue ſi ualida eſt uirtus. Iuſsi aliquando me præſente in mortario diſteri ſex grana compoſitionis é ſtyrace, & mox diſtritum illud extrahi, ac proijci, tum imponi drachmas duas looch é papauere, & drachmam mediam pulueris ſpecierum diamargariti frigidi, & hæc pilo agitabantur in ipſo mortario odorem, & defluxum habente medicamenti é ſtyrace, idq; exhibitum per Iouem longas uigilias deuicit, et magna ſalutis cauſa extitit. Profecto in hiſce propinandis (quod dictum eſt) & meticuloſum, & proſpicientem, & ab omni temeritate alienum oportet eſſe medicum, ne ſimul et ſuam ipſius animam, & ægrotantis uitam nequiter perdat. Saladinus ab eſculo aquulam conſcribit mirum in modum (quod dicit) ſoporiferam ex uncia una liquoris papaueris & duobus capitibus alliorum inſimul pinſitis, & uitreo diſtillatorio in aquam attenuatis. Huius ego nunquam periculum feci, ſed non infrugiferam opinor, ſi una, alteráue guttula ex modico uini ſorbilletur. Hanc exiſtimo aquam tantopere à Sauonorola laudatam, eam tamẽ deſcribere, ac publicam facere propterea metuit,

Auctoris induſtria inſomno conciliando.

Aquula Saladini ſomnifera.

ne quis temere, & in maleficium usurpet. O stultam & ineptam hominis formidinem. Celsus habet syluestris papaueris (quum iam ad excipiendam lachrymam maturum est) manipulus in uas demittitur, & superfunditur aqua, quæ id contegat, atq; ita coquitur. Vbi iam bene is manipulus coctus est, idem expressus proijcitur, & cum eo humore paßi pari mensura miscetur, inferuetq;, donec craßitudinem sordium habeat. Quum infrixit, catapotia ex eo fiunt ad nostræ fabæ magnitudinem, somnum faciunt uel per se assumpta, uel ex aqua data.

CAPVT DECIMVM-septimum de Mania.

PLeriq; medici uno complexu maniam & melancholicam (morbos profecto teterrimos) perstrinxerunt. Quod eos ex eadem causa, eodemq; fomite originem trahere opinarentur. Quodq; magnitudine sola, ac modo quodam distarent, utpote maioris, & minoris rationem suscipientes, & alter gradus, iterq; in alterum existat: quasi remissum in suo genere intendatur, atq; acrius inualescat, aut rursus deferbeat, quod ante incandescebat. Id tamen in ijs uitijs sine ulla materiæ transitione fieri non puto

Remissum & intẽsum non mutãt speciem.

puto. Lucretius ait libro primo:
Nam quodcunq; suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.

Alij disiunxerunt, & partiti sunt in separata capita, de utroq; affectu singulatim dissertantes, uti clarior fortassis, ac impedita minus procederet ipsa tractatio. Quos quia imitari consilium est, de mania primum dicemus. Quam hoc nomine pleriq; docti à Mania ipsa laruarum matre, auiáue appellatam autumant, & fortaßis ab ipsis potius Manijs, quas nonnulli laruas ac lemures esse uolunt, quibus nutrices puerulos terrere solent. Hæc sine febri hominem corripit, & extra mentem, atq; omnem rationis usum nequiter transponit, cogens in uanas cogitationes, in absurdas loquutiones, & in nefanda facinora, dij boni, quæ metamorphosis, quæ transmigratio, quæ (quod Galenus dicebat) ecstasis. Homo in animantium classe probißimo temperamento conflatus, & ad imaginem dei (quo beneficio creaturam omnem innumeris calculis superat) fabrefactus, in mores rapitur plusquam ferinos. Quicquid humani muneris prædicatur, ceritus semel exuit. Omnia inquam illa decora, quibus religio, societas, neceßitudo constat, & aluntur, turpiter abijcit, & ferox, intractabilis, immanis efficitur, se non secus habet, quàm si

Mania ab ipsa laruarum matre dicta.

Mania dementat.

peßimo dæmone obſeſſus agitaretur. Accidit profectò dæmones, ut ſunt tenues, & incompræhenſibiles ſpiritus ſeſe inſinuare corporibus hominum, qui occulte in uiſceribus operti ualetudinem uitiant, morbos citant, ſomnijs animos exterrent, mentes furoribus quatiunt, ut omnino alienum non fuerit de mania correptis ambigere, huiuſmodi ne ſpiritu pulſentur. Nunc admirandum, ſed non perinde amœnam cantionem audite, non nunquam toruo, & horrendo uultu meditabundi ueluti obſtupeſcunt, oculos truces et formidabiles in officij gratia aßidentes obuertunt, mox in iurgia, rixas, contentiones amarulenti erumpunt. Et niſi uinculis conſtricti, aut impactis flagris domiti cohibeãtur, domeſticos, & familiares, ſeu quoſuis nactos pugnis et fuſtibus adoriuntur. Nec deſunt alij, qui ſermonis adulabilis palpo blandiuntur, & ſimulata tranquillitate in ſæuam tempeſtatem uerſipelles pertendunt, quos queunt dolis, obliquisq; artibus in pœnitendam naßam illectant. Et hic derepente ad ingenium redeunt, terribilesq; ex inſidijs inſultant, incautos, minusq; prouidos peßime excipiunt, laniant, morſicant, ad ſatietatem uſq; dedolant. Quod niſi fuga iam probe exerciti periculo ſeſe ſubtrahant, aut opem ferentes commode accurrant, non modicus de uita metus imminet

Dæmones ſeſe inſinuãt humanis corporibus.

Maniæ ſtupenda facinora.

net

net. Porrò has technas in alienum si struere nequeant, quum sentiunt laxatam custodiam, & negligentius sese obseruari, occasionem circumspiciunt, & portam, qua silentes sine umbra elabantur, & confestim solitudinem nacti, ab infami laqueo infœlicem animam strangulant, aut in aquas suffocandi desiliunt, aut ex sublimi in terram præcipites se deijciunt, aut funesto ferro iugulum petunt, aut fatum aliud lachrymabile tentãt. Empedocles furore percitus in Ætnæ uoraginẽ insilijt. Et hæ sunt mania occupatorum tragœdiæ, quas populo spectandas præbẽt. Iam & alios uidere est longe aliter insanientes, quibus ob oculos sensusq; internos ridiculæ semper imagines uersantur. Quapropter multo, eóque temerario risu diffluunt, læto, hilaro, ac rubicundo uultu cantillant, gesticulantur, exiliũt. Iis aures quidam tinniunt, ac uanis simulachris fatigantur, idq; ob immodicam uim scatentium uaporum ex humida materia, uti se tibicines audire aliquando existiment, non nunquam tympanorum sonitus, aliorúm ue organorum modulationes. Causa mali, digreßio prædicatur ab ea temperatura, quæ homini iusta debetur, in ferinam. Profecto negari non potest, quin animi mores corporis crasim consequantur. Quod Galenus permultis, & euidentibus argumentis (in-

Maniaci sei psos conficiunt.

Empedocles in Ætnã insilijt.

Causa maniæ.

Affectus animi sequũtur corporis temperaturam.

dicato huic rei commentario) pulchrè demonſtrauit. Illi, inquit, qui corporis temperatura animum uel iuuari, uel offendi non putant, rationem, cur puelli corrumpantur, dare non poſſunt. Quin nec eorum, quæ ex quotidiano cõuictu commodum nobis adferunt, multominus uarietatis illius morum. Nempe quod hi iracundi, alij mites, alij prudentes, non nulli ſtulti euadunt. Quod apud Scythas philoſophus unus extiterit: Athenis plurimi. In Abderite complures ſtulti, Athenis uix pauci uixerint. Et libro primo de Tuenda ſanitate: qui optimo corporis habitu ſunt, porro ijs animi quoq; mores citra uitium eſſe par eſt. Quæ enim iuſto ad iram magis procliues ſunt, aut animo plane demiſſo, aut ſenſiles magis, aut inſenſiles, aut præter modum guloſi. Hos parum idoneo temperamẽto eſſe ijs partibus, quibus prædictorum ſingula adminiſtrantur, neceſſe eſt. Nos quoq; in eo, cui titulum fecimus De tuenda ualetudine, non pauca ſuper hoc themate diſſeruimus. Omne quidem animal in ſua ſpecie diffinitum & diſcretum temperamentum habet. Quale ad eoſdem nnmeros in alia quauis ſpecie nõ eſt reperibile. Aliud enim equo, aliud aſino, aliud apro, aliud leoni ſapiens archi tectus diſtribuit. Neq; patitur ulla ratio, ut anima equi in temperamento aſini conſiſtat, neq; leonis

Animanti cuiq; ſuum eſt temperamentum.

leonis in apro. Sed fieri potest atq; etiam usuuenit, propter generis communionem, uti quædam internascatur congruentia, & non nulla procliuitas unius naturæ ad alteram. Sic Galenus dicebat nono de Curandis morbis: quæcunq; uno genere compræhenduntur societatem in naturis habent, ac propterea mutuo in se transire ualēt. Verbi gratia, ueritati non repugnat, uti quispiam equus ex suo temperamento dilabentibus uergat, ac demeet in asini sortem, & quadantenus (ut ita dicam) asinescat. Quod liquido constabit, quum tardus, iners, contumax equus erit. Haud aliter homo ab inculpato habitu, & integra constitutione, quæ ei ad probas functiones debetur, sic uariat, & abscedit, ut accessisse uideatur humorum ac spirituum uitio, non dico ad essentiam brutæ animantis, sed ad affectus bruteos, ut quodam modo brutescat, bruta imitans. Nec ob aliam causam in censu maniæ & leonina nominatur, & lycanthropia, & cynanthropia. Achilles uituperans, & contumelijs aspergens Agamēnonem impingit ei caninam naturam, epulas amantem, præcipitem, & temerariam in alijs lacessendis, non in dimicando, prælioq; sustinendo fortem. Porrò ipsa degeneratio aut ex primis nostræ coagulationis rudimentis accidit, ut serentibus magis quàm satis error

Achilles canem dicebat Agamēnonem.

Hominis degeneratio ex primis principijs.

ſit imputandus. Nulli ambiguum reor, ſeminis genitalis uarietas uarias ædit formas. Ariſtoteles rerum naturæ ſcientiſſimus in ea eſt hæreſi, & fortiter aſſeuerat, animi facultates ſequi temperaturam ſanguinis uteri, ex quo noſtrum ſanguinem dimanare arbitratur. Quinetiam inſtrumentarias partes ſic primitus ex eo conformari, ut teſtari queant de animo. Quod multis, & liquidis argumentis colligit. In primo de Animalium natura ſic habet: pars faciei frons eſt, quibus hæc magna, tardiores, quibus parua, mobiles, quibus lata, mente moueri idonei, quibus rotunda, iracundi ſunt. Supercilia ſub fronte bifariam diſtincta, quæ ſi in rectum porrigantur, mollem ſubeſſe animum ſignificant: ſi iuxta naſum inflexa ſunt, auſterum notant, & acerbum: iuxta tempora deriſorem, diſſimulatoremq; indicant. Oculi pars communis, ſuperioris, inferiorisq; palpebræ angulus eſt, quem duplicem uterq; habet, alterum iuxta naſum, alterum iuxta tempora: qui ſi iuſto ſunt longiores notam morum maleficorum præ ſe ferunt, ſin breues, meliores, ſi carnoſi more pectunculorum, qui naribus iunguntur, maliciam indicant. Candidum oculi magna ex parte in omnibus ſimile eſt. At quod nigrum dicitur, uariat. Alijs enim atrum, alijs admodum cæſium, alijs fuluum, alijs

capri-

caprinũ, quod morum optimorũ indicium est, et ad cernendi claritatẽ primatum obtinet. Oculorum alij grãdiores, alij parui, alij mediocres, qui optimi habẽtur. Item alij nimiũ conditi, alij prominentes, alij modice siti. Qui cõditi sunt, clarissime cernere in genere quoq; brutorum animalium possunt. Medius tamen situs nota est morum optimorum. Et aut nimium conniuent, aut rigidi, intentiq́; constant, aut modice nutant. Aures aliæ maiores, aliæ paruæ, aliæ mediocres, et aut nimium, aut parum, aut mediocriter arrectæ. Mediocres optimos mores ostendunt: magnæ uero & erectæ supra modum, stulticiæ indices sunt, ac loquacitatis. Hactenus Aristoteles.

Astra animos inclinant.

Post nostræ coagulationis rudimenta, nequaquam minima morum, atq; affectionum inflexio ex ipsis astris, & regionum situ depræhenditur. Quippe quas plagas orbis circumactus sol placido, mitiq́; uultu circumlustrat, nec uiolento radiorum incubitu, nimioq́; feruore torrefacit, hæ corpora gignunt belle temperata, eaq́; in primigenia coagmentatione inuiolata conseruant. Quas uero lampadis suæ preßiore illapsu incendit, mortales ædunt improbe constitutos, qui nec in multam ætatem peruenire possunt propter ignem syderis, naturæ succum depopulantem. Pusilli quoq; sunt, & meticulo-

ſi. Locis quidem refrigeratis, & ad ſeptentriones uergentibus, proceriores, magisq́; ſtaturoſi naſcuntur, quia roſidus aër aßiduum humorem in hæc corpora transfundit. Audaciores etiam, ac manu promptiores, quia frigus externum cogit, et intropellit naturæ calorem in uiſcera, & cordis ſedem. Vnde ira, confidentia, temeritas eluctatur. Huic ſententiæ palam ſubſcribit clarißimus Hippocrates in commentario de Aquis, aere, & locis. Illorum inquit, mores qui uerſus ſeptentriones uergunt, agreſtes magis quàm benigni ſunt. Qui orientem ſpectant, clara uoce præditi ſunt, & ingenio præſtantiores ijs, qui ad aquilonem habitant. Et iterum: de cæteris uero hominibus Europam incolētibus, maxime hi magnitudine, formaq́; inter ſeſe differunt, propter anni temporum mutationes, quæ profecto maximæ, & crebræ illic fiunt, caloresq́;, teporesq́; ualidi, uehementés ue, & propter hyemes acerrimas, uehementes úe, pluuias multas, contraq́; longas ſiccitates, uentosq́; multos, quibus mutationes multæ, uariæ, et ubiq́; fiunt. Quamobrem par eſt ſentiri, cognoſci ue genituram aliter compactam eſſe hyeme, aliter æſtate, aliterq́; aquoſa, aliter ſicca. Quapropter formas Europæ populorum magis inter ſeſe differre cenſeo magnitudine per ſingulas urbes, quàm

Loca refrigerata audaciores gignunt.

quàm Aſianorum. Plures enim perduntur, debilitantur, uires úe amittunt, quum compinguntur, conformantur úe propter temporum mutationes, quæ multæ, magnæ, celebræq; illic fiunt, quàm ubi ſemper ſimili modo currũt, fluunt úe. De moribus autem eadem ratio ſit, omnino agreſtes, efferati, ſolitarij, ſæui, iracundi, tali natura, temporúm ue mutatione gignuntur, crebræ ſiquidem mentis exceßiones, percußiones ue hãc ſæuitiam, & feritatem ingenerant, lenitatem uero comitatemq; tollunt, obſcuránt ue.

Educatio mores format.

Iam inter huius abalienationis cauſas, haud poſtrema ſupputatur educatio. Quandoquidem conſtat, & in confeſſo omnibus decantatur: corporum formas, animorum phantaſias pro facultatibus alimentorum, quibus ueſcimur, alteraſcere. In ſpectaculis olim urſorum capita cremabantur, ne in urſinam rabiem agerentur, qui ea comediſſent. At ne quem tædio battologus conficiam, aut cuiquam uelim in re conſpicua diſertior uideri, Galeni uerba ſubijciã. Sunt, inquit, qui negent propter uentos, aeris ambientis caliditatem, frigiditatemq;, & aquarum, alimentiq; naturam, meliores, aut puriores mente homines fieri poſſe. Hæc autem eadem non temperamentorum interuentu animum bonum, malúm ue efficere: etenim hæc uirorum intelligentiæ eſſent

Viſorum capita quare cremabantur.

consentanea. Verum nos certò scimus, quod unumquodq; nutrientium primum deglutitur in uentriculum, ibi prius elaboratur, deinde per uenas ex hepate in eum pertinentes exceptum humores in corpore generat, unde particulæ omnes alimoniam suscipiunt, & cerebrum, & cor & iecur. At inter alendum calidiores quàm prius euadunt, frigidiores & humidiores, dum uirtuti humorum præpollentium aßimilantur. Saltem nunc ad mentem redeant, qui difficulter admittunt nutrimentum efficere posse hos temperatiores, illos dissolutos magis, alios incontinentes, non nullos frugales, confidentes, meticulosos, mansuetos, modestos, contentionis ac rixæ studiosos. Veniant ad me audituri, quo esculento, quo item poculento eos uti cõueniat. Et præter alimentum, potumq;, uentos ipsos docebo, item aëris ambientis temperiem, insuper regiones, quas eligere, quas uitare ex usu sit. Eupolis iustum illum Aristidem, quũ rogaretur à Nicia, an natus esset iustus, sic decenter respondentem introduxit: natura quidem maximũ, uerum ego deinde illam industria fortiter sum opilatus.

Hæc eò denarrata spectant, uti pateat, quum magna admodum ab optima constitutione permutatio fit, & longinqua digreßio ab ea temperatura, quæ pro commodis functionibus homini

syncera

ſyncera debetur, tum animi quoq; mores, atq; affectus uacillant, uariant, turbantur, & omnino inconditi pro efferueſcentis qualitatis impulſu exultant. Ipſa luce clarius conſpicamur, ſi quis ſanguis, ſi qua bilis ſingulatim, mixtim úe accenduntur (non dico incendium febrile, in quo ſuccorum quoq; uitioſa putredo interuenit: proprium enim inſanientium eſt, febre liberum eſſe, ut febricitare phreneticorum) ergo citra hanc, quando naturæ calor intenditur, atq; in eam acerbitatem prælicenter eualeſcit, uti igniat, & candefaciat ſuccos, mox animi quoq; ſtatum conuelli, eoq́; pertrahi neceſſum eſt, quo rapidæ flammæ adigunt. Siquidem ignis uiolētus quum ſit, atq; indomitus, quos ſuæ qualitatis abunde participes facit, uiolentos etiam, ac indomitos reddit. In humoribus præterea quod liquidū eſt, & tenue, & fluidum, minimo negocio, ac perfacile in obſcœnas fuligines ſubducit, reliquum uero in furuam, atramq́; fœcem adaſſat. Vnde fœdi, inamœniq; ſpiritus animalium, functionum inſtrumenta produt. Et prædulcis ille numerus, in quo æquabilis ſuccorum proportio conſtabat, temere dißipatur. Plato ait: bonorum quidem omnium, mali uero nullius cauſam eſſe numerum. hinc prompte colligere poſſumus, quod irrationalis, & inordinata, deformis, inepta, in-

Inſanientes febri carēt.

Numerus bonorū omnium cauſa

concin

concinnaq; agitatio oriatur. Maniæ ergo, furoris ue occasio rectè iudicatur uiolatio propriæ temperaturæ, propter improbam humorum exustionem, qua in atræ bilis naturam prorsus concedunt. Sed nequaquam æqua, & supar in cunctis insanientibus hæc conspicitur. Maioris enim ac minoris rationẽ accipit, prout acrior flamma incumbit. Iam quanto humor humore extat efferacior, tanto quoq; malignior incrudescit feritas. Omnium porrò acerrima censetur, quum flaua bilis efflagrat. Et hæc indicijs minimè obscuris innotescit. Quippe qui uehementer inconstantes sunt, & multifarijs opinionibus fluctuant, fugaces imagunculas sibi fabricant, nusquam hærent, celeriter ab eo, quod instituerant, sermone uolubili digrediuntur. Nunc hoc, atq; iterum aliud nugãtur, quicquid in buccam uenit, futiliter eblatterant. Id euenire consentaneum est, ob rapidum æstum turgentis materiæ. Sunt etiam immemores, & eorum male tenaces, quæ aut petulantiore lingua effutierint, aut uiolentiore manu designarunt. Immodica siti torquentur, os amarescit, stomachus eroditur, uigiliæ infestant. Quæ ex atra bile accensa sobolescit, difficilioris sanationis existit, & nequitiæ non quidem minoris, sed minus procellosæ ac tempestuosæ. Maligni sunt, suspi-

Signa causas distinguentia.

Ex atra bile.

caces

eaces sunt, immites, inexorabiles, pertinaces, meditabundi, truces, & sese conficientes. Qui & succum non nunquam euomunt acidum, terram radentem, attollentem, fermentantem, & ampullulas excitantem. Quibus hæ quoq; notæ conueniunt: an hæmorrhois aliqua restricta sit, aut alia quæpiam consueta craßioris sanguinis uacuatio, aut mulierum menstrua. Quum ob æstuosi sanguinis copiam uitium oritur, maiorem ueniam designata merentur, nempe cum risu desipiunt, nec grauius ullum facinus patrant, latas, conspicuasq; uenas habent, corpus saturum, faciem rubore quodam perfusam, oculos ludibūdos. Quo modo Abderitani insanire Democritum existimabant, quum ad ipsum percurandum Hippocratem euocarēt scribentes: nunc ô Hippocrates, uir in maximo periculo nobis uersatur, qui magno ornamento, & nunc, & post in alios annos nostræ urbi fore putabatur, & sperabatur. Quod utinam ne nunc dij omnes adeo perosi sint, uti hunc hominem ob sapientiam, qua præditus est, inuideant. Quia tam magno malo correptus est, uti non parum timeamus, númne uerū sensum Democritus amiserit. Quod si est, penitus ciuitas Abderitana periuit. Nam rerum omnium oblitus est, curamq; sui, & suorum nullam habet, dies & noctes uigilat,

Ex sanguine.

Democritus insanire existimatus

singulaq́; & magna & parua ridet, nihilq́; ratus uitam esse totam degit. Si quis præterea uxorem ducat, negocietur, primas in foro adipiscatur, honores úe alios, & magistratus nanciscatur, legetur, ad rem úe aliam designetur, ridet. Si quis etiam morbo afficiatur, saucietur, pereat, ridet. Disquirit præterea bonus hic uir de rebus, quæ fiunt apud inferos, & sunt, hæcq́; scribit, plenumq́; imaguncularũ esse aërem autumat, seq́; uolucrum linguas, & uoces intelligere, & audire dicit. Crebro noctu surgit solus, quietusq́; consistit, non nunquam canenti similis sedet, seseq́; quandoq; uagari, & peregre proficisci dicit, per totum, & immensum terrarum orbem, copiamq́; rerum, multosq́;, & innumeros Democritos sibi similes esse dicit. Mente autem & uero sensu perditus, ac correptus, corpore uiuit. Hæc ô Hippocrates timemus, ob hæc perturbamur, tristesq́; sumus. Quare celeriter uenito, nobis consulito, patriam nostram seruato. Nam à nobis nihil non sperare potes, & honorem, & gloriam, et pecunias. Quamuis apud te potiora sint, quæ doctrinæ sunt, & peritiæ, uirtutisq́;, quàm quæ fortunæ. Hæc tamen et maiora à nobis consequeris. Cæterũ ex ipso phlegmate nulla omnino mania pullulascit (phlegmaticos tamen ea non nunquam corripi contingit)

Phlegma non gignit maniam.

fieri

fieri non poteſt, ut mollis, lentuſq; humor, quouis modo uitietur, quenquam in rabiem agat. Cuius rei nec inidoneum teſtem laudare promptum eſt. Galenus quinquageſimumſextũ aphoriſmum tomi ſexti Hippocratis enarrans ſic habet: Fiunt quidem & propter pituitoſum humorem apoplexiæ, & conuulſiones, & cæcitates oculorum: fiunt autem & propter melancholicum, quoniam utriſq; communis eſt craßitudo: non tamen furor eſt paßio communis. Nũquam enim hic ex pituitoſo humore ortũ habet, quum ad eum humor irritans ac mordens exigatur. Talis autem eſt ſemper quidem flaua bilis, melancholicus autem non ſemper, ſed quum ſupra modum exuſtus, aut putrefactus malignam induerit acritudinem. Iam & ſtultorum infinitus eſt numerus, ſic & mania correptorum multifariæ ſpecies annumerantur. Hippocrates in eo libro, quem de Inſania inſcripſit (Galenus nõ eſſe Hippocratis contendit) Contingit, inquit, interdum eundem hominem modo riſu magno concuti, modo animi motu, iracundiá ue permoueri. Nam inedia, ciboq; acriore, motuq; frequentiore ſanguis acrior redditur, contrario autem ſtatu mitior, crebro etiam nullo adhibito adiumento, pauculoq; & idoneo cibo, quod uexat, abſumitur, deſipientiamq; nullam adducit. Nam ce-

Stultorum numerus infinitus.

rebrum si aliquantisper quiescat, mentis excessum liquido discutit. Nonnullis etiam per interualla, statoq; circuitu malum hoc recursitat, quandoq; semel, bis, uel sæpius per annum, paulatim humore uexante congregato sese absumente. Pauci quidem malo hoc ante uigorem perduntur, pleriq; uigore in ipso, & post eum, uiriq; magis quàm fœminæ. Hiq; horum, qui animi affectu aliquo, pathematé ue uexantur: quemadmodum sunt derisores, dicaces, contumaces, iracundi, cogitabundi, auari. Quin & potores, crebroq; spuentes, quiq; consuetas excreationes retinent. Propterea fœminæ, quibus menses remorantur, furiunt, insaniunt ue. Illud præterea latere nō debet (cuius cognitio ad exactam morbi curationem est necessaria) humores istos, quum perassantur, & in fuliginosos spiritus soluuntur, quandoq; in ipsius cerebri substantia consistere, quandoq; in membranulis, ac tunicis ipsum uestientibus, non nunquam in uentriculorum meatibus. Et est quando in uniuersi corporis uasis exundent, aut singulatim uisceris cuiuspiam sinus obsideant.

Maniæ obnoxij.

Quæ in hunc affectum procliues ostendunt, non parum multa scribuntur: In primis qui ob leuißimas occasiones, & res nihili, præter consuetudinem, admodum faciles fiunt, & propensi in obscœ-

in obſcœnos, atq; ineptos cachynnos: quiq; in iram, quum mites eſſe, & blandi ſoleant, tam irritabiles, ac præproperi ruunt, ut omnino difficile ſit, atq; ærumnoſum cum ipſis uerſari. Quinetiam omnia in deſpicationem, partem ſuſpicaces interpretantur. Nec futuram ſolum hæc animi commotio, & inſignis perturbatio inſaniam ſignificat, ſed eam perſæpe efficit, atq; ingerit. Aiax Telamonis filius ex Heſione Laomedontis filia, Achille occiſo, quũ illius arma peteret, & Vlyſſes eloquentia ſua illa à iudicibus accepiſſet, Aiax præ ira et indignatione inſaniuit, et pecora trucidauit, credens ſe Vlyſſem cum ſocijs occidere, mox et ſeipſum confodit, de cuius cruore (quod ait Ouidius) hiacynthus creuit. Oreſtes quum matrem Clytẽneſtrã, & Pyrrhum Achillis filium interemiſſet, furioſus factus à Pilade cuſtodiebatur. Cleomenes Anaxãdridæ filius, quũ ei probro daretur uiolata iuriſiurãdi fides, præ dolore in dementiam uerſus, ſibi corpus gladiolo fodit, ac incidit à talis uſq; ad uitalia loca, & ridens, oreq; diducto uitam finijt. Sunt & præſagia, aurium ſonitus, quumq; oculos uanæ, atq; inanes imagunculæ laceſſunt: quibuſdam ſplendores, ac luces occurſitant: taciti ſæpe, ac meditabundi ueluti obſtupeſcunt, & in terram amarulenti conſpectant: rurſus quando minimè op-

Aiax maniacus.

Oreſtes furioſus.

Cleomenes amens.

portunum, incommodo sermone altercantur, non nunquam inconditum quid intra fauces indignantes mußitant. Alios uidere est, post longas inedias, post multas uigilias, post graues labores, post tristes, diutinasq; curas, mente commotos. Neque paruus imminet metus ijs, qui numerosas preculas quotidie anxij demurmurant: qui in diuorum cultu superstitiosi distinentur: qui pauore, ac formidine concutiuntur: qui indefessa opera literas & disciplinas sectantur: plurimos hoc æuo in furorem adegit Lutheranismus. Nec admodum tuti sunt, qui immodica pecuniarum cupiditate macerantur, & quisquis improbo studio ad animi desideria contendit. In metu quoq; sunt ij, quibus consuetæ hæmorrhoides supprimuntur, aut etiam fœminæ, quibus sanguis menstruus non decurrit, sed in mammas conuertitur. In uenerem propensi, & nocturnis ludibrijs obnoxij.

Maniaci opus habent modico exercitato.

Profecto in hanc calamitatem quisquis incidit, & rectum mentis usum (fatu miserabile) perdit, perito & admodum exercitato artifice opus habet, qui nec ipse sanæ mentis sit expers.

Celeriter his succurrendum, & omnibus copijs incunctanter obluctandum, ne malum uetutescat: facilius enim, minoriq; negocio obteritur, quod etiamnum ex inutili semine fruticescit, quàm

quàm ubi noxias radices altius defixerit. Si quum corporis bona ualetudo temeratur, omnem dimouemus lapidem, & pro uirili incumbimus, ut ocyus eam restituamus, quanto enixius, maiorique studio elaborandum, ut labefactata mens reualescat, quæ infinitis numeris illud antecellit, præcipuum quidem probi medici munus existit, omnibus modis curare, adniti, nusquam conquiescere, donec profligato morbo superior triumphet. Hippocrates ait in eo, qui est de Ventosis flatibus: quædam artes sunt, quæ ijs qui eas sciunt, poßidént ue, laboriosæ sunt: ijs uero qui utuntur, utiles. Nam uulgo rudibus, ignaris ue commune & hospitale bonum sunt, tractantibus autem ipsas molestæ, quarum artium ea est, quam Græci medicinam iatricém ue nominant: medicus uero iatrós ue periculosa, grauiaque cognoscit, & uidet: quæ nec suauia sunt, nec iucunda tractat, & tangit, peculiaresque molestias in alienis malis, calamitatibus, & utilitatibus capit. Languentes uero per hanc artem malis maximis, doloribus, laboribús ue, molestia ac morte liberantur.

Munus probi medici.

Victum fugiant tenuem, nec pleniori danda est uenia, illum ob morbi longitudinem perferre nequeunt, hic succorum redundantiam nequaquam egentibus addit. Mediocris præscribatur,

Dieta.

qui nullum negocium uentriculo exhibeat, & quorum facilis ſit concoctio, impigra digeſtio, prompta nutritio, nuſquam obhæreat, ubiq; permeet, ac totus in clarum purumq; ſanguinem cedat, bonam faciat aluum, non flatuoſus, non craſſus, non inflammans, non aßiccans, nec à uaporibus cerebro grauis. Abſtinendum eſt à carnibus magis ualidis, bubula, hircina, arietina, aprina, ceruina, & ea, quæ eſt magnarum auium, atq; eſcam in aquis quæritantium. Conducunt hœdina, uitulina, agni anniculi, cãpeſtres aues & montanæ, perdices, phaſiani, pullaſtri, turdus, merula, gallinago, turtures, ficedulæ. Conferunt piſces ſaxatiles, quibus candida & friabilis eſt pulpa. Vitent grandes, & præpingues, uiſcidos, ſalitos, & rubra carne præditos. Iuuant oua ſorbilia, et cõmodißimus eſt ptiſanæ cremor, quia nec halituoſum, nec humidum, nec ſiccum detinet excrementum, ſimulq; refrigerat & humectat. Ex olerum genere innocentes ſunt lactucæ, ſpinachia, malua, intybum, aſparagus, aniſum, daucum, fœniculum, petroſelinum, & quæ lotium mediocriter proritant. Quæ uero urinam præualentia commouent, minimè probamus, quoniam ſanguinem calefaciunt, ac uiſcera liquant, neq; tanta uexatio conuenit huic, quod concoquendum eſt. Coriandrum inimicum memine-

Coriandrũ dementat.

mineris. Semen, inquit Dioſcorides libro tertio, capite ſexageſimo quarto, maiore copia ſumptum mentem non leui periculo tentat. Quapropter copioſiorem, continuumq; eius uſum cauere oportet. Et libro ſexto, capite nono: coriandrum ebrietati ſimilem cum turpi loquacitate furorem facit. Mentem etiam perturbant (auctore Galeno libro ſecundo de Compoſitione pharmacorum ſecundum locos) lentiſci fructus, crocus, peucedanum, cyclaminus ſicca cum uino potata: ſtyrax modicus quidem potatus triſticiam uultus diſcutit, multus uero ſomnos multum turbulẽtos inducit. Panis utilis eſt triticeus non ab omni furfure perpurgatus, qui exuccus eſt & uetuſtus uehementer officit. Vinum ſit album, tenue, ac dilutum. Huiuſmodi uinum ad excrementa bilis uel mitiganda, uel expellenda eſt ſane ſaluberrimum, & ad eam ſiccitatem, quæ in ſolidis membris prouenit, commodiſſimum. Humectat, ac nutrit quicquid immodice exciccatum eſt, tum bilis amaræ acrimoniam mitigat ac frangit, & per urinas euacuat, & ſomnum conciliat. Non nulli ſi ualidius contingat, aqua bugloſſi id temperant, alij boraginis, aut endiuiæ, fumiterræ, cichoreæ, multi pluuia, atq; ea in Maio collecta. Sunt in hac colligenda Zyricei admodum induſtrij: ſub dio munda, ac

Styrax ſomnos turbulentos facit

Zyriceorũ induſtria.

tersa uasa, aut fictilia, aut stannea, argentea ue collocant, in quæ rectà ac libero delapsu, nihil obuium contingens, nec saxeum, nec ligneum, imber decidat, quem hoc modo exceptum in hydrias defundunt, & soli dieculas aliquot exponunt, deinde condunt, & usui seruant, incorruptus in unum, atq; alterum annum durat, mire suauis, amabilis, & siticulosis uel ex æstu, uel ex labore, uel ex febribus res supra modum uoluptuosa. Cui tam bella preconia lubens, gratusq; rependo, quod ægrotantem aliquando eximie refecerit, ac omnino restituerit. Hos præterea plurimum offendit inedia, & cum siti colluctatio. Galenus ait octauo de Curãdis morbis: refrigeratio, quam calidis naturis suasit Hippocrates, cum ex alijs, tum non minime ex cibi exhibitione succedit. Qui namq; originalem intemperaturam parum moderatam habent, horum insitum calorem, si squalens acerq; est, cibi mitiorem, minusq; mordentem reddunt. Zeno rogatus, quum esset natura seuerior, quare in conuiuio tam hilaresceret: lepidè resp ondit, Et lupinum, quum sit suapte natura amarum, tamen aqua maceratum dulcescere. Sic naturale est corpore potu, ciboq; rigato tristitiam discuti. Exercitia uoluptas condiat, & citra fatigationem desinant. Balneo frequenter utantur, eoq; dulcis

Aqua pluuia in Maio excepta.

Zeno in cõuiuio hilarescebat.

dulcis, ac potabilis aquæ: ſiquidem bilem laxatis poris egregiè digerit, & qualitatibus ſuis immoderatum feruorem reſtinguit. Meridianos ſomnos auerſentur, niſi temporis conſtitutio inuitet, ac ſuadeat conſuetudinis ratio, noctu ad ſatietatem dormiant. Animus bona ſpe lætetur, oblectamenta quærant, in gaudijs uerſentur, delicijs fruantur, offenſiones uitent, cantu, blandiſoniſq; modulis recreentur. Admiranda profectò res eſt, & digna expenſione, quomodo ipſa ſonorum concinnitas, ſymphonia úe placet atq; permulceat mẽtis tempeſtatem, emolliat, ſiſtatq; procelloſas ipſius affectiones. Id exemplis non parum multis clariſſimè innotuit. Atheneus libro decimoquarto, quos uſus habeat in uita fuſiſſimè ſcripſit: Arcades, inquit, uita & moribus aſperrimi, muſicam tamen à ſua republica non excludebant, nequaquam luxus, nec deliciarum gratia, ſed ut uitæ ac morum duritiem emollirent, quam ſanè in aſpero cœlo contraxerant. Empedocles Agrigentinus furibundum adoleſcentem (qui ipſius hoſpitem damnati patris delatorem gladio adoriretur) cantu reuocauit, & pacatum, manſuetumq; reddidit. Sic Clinias muſicus ſi quando ad iram prouocaretur, ſumpta ſtatim lyra gliſcentes animi motus compeſcebat. In ſacris quoq; literis quandocunq; ſpiritus do-

Cõcinnitas ſonorum animum recreat.

Arcades muſica mores componebant.

Empedocles cantu furibũdum coercuit.

Clinias irã mulcebat lyra.

Dauid Saulem cythara alleuiabat.

mini malus arripiebat Saulem, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, leuiusq; habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus. Galenus ait libro primo de Tuenda sanitate: & nos ægros non paucos persanauimus animi motibus ad debitum modum reuocatis. Est uero non spernendus huius sentētiæ testis ipsum patriæ nobis numen Æsculapius, qui multas scribit cantilenas, mimosq; ridicularum rerum fieri, & melodias quasdam instituit ijs, quibus uehementiores animosæ partis motus, corporis temperamentum iusto calidius efficerent. His & ea, quæ in adolescentiæ nostræ syluulis carmina scripsimus, non tædet subijcere.

In se cantus habet quiddam præclara potentis,
 Diuinum tenuis spiritus afflat opus,
Siue hominis uox sit cantantis, siue canoræ,
 Sint nerui citharæ numen inest numeris,
Sæpe graues morbos modulatū carmen abegit,
 Et desperatis conciliauit opem,
Dicitur & mentem multis reuocasse fugacem,
 Et perpulisse liquet dæmona, triste iugum:
Accendunt animos cantus in bella feroces,
 Et condunt gladios ære ciente suos,
Ad dulcesq; lyræ modulos præcordia turgent,
 Et sequitur lepidos ducta chorea sonos,

Plorantes

Plorantes mœſtum ſolatur nænia funus,
 Ex multis præſens fit medicina locis.

Cum amiculis crebro fabulentur, qui eos inhortentur, ac pro uiribus impellant, uti ſeſe aſſerant in libertatem. Studium eſſe prædicens cacodæmonis molientis ipſos in funeſtum exitium pertrahere: confugiendum eſſe ad omnipotentis dei opem, qui ad ſolum ſuſpirium ingemiſcentis præſens opitulator, & ſtrenuus ſeruator accurrit. Ob oculos ponant uxorem, liberos, cognatos, & quoſcunq; habent charos, propter hanc ſtultam uacillationem fœdè conſternatos. Nec eos uel ſolos eſſe oportet, uel inter ignotos, neq; inter eos quos contemnunt, negligunt, auerſantur. Iam hac ſi non ſuccedat, alia aggrediemur uia, & probris, contumelijs, minis coercendi erunt, & reuocandi. Imò ex re opportunum ſi uidebitur, loris, ac flagris batuantur. Omnifariàm cum hoc morbo colluctandum eſt, donec ſuperiores uincamus, noſtraq; opera commiteſcat rabies. Sed non ſolum ſeipſum præſtare ſalubria facientem ſatis eſt, ſed ipſum quoq; ægrotantem conniti oportet. Cuius profecto intemperantia curatio redditur ærumnoſa.

Vultum imprimis contemplandum cenſeo, & diſpicere expedit, is ne rubore perfundatur, corpus ne totum floridum ſit ac bene ſpecioſum, *Curatio ex ſanguine.*

pleniores ne uenæ extuberent, & an educatio præcesserit lauta, mollis, affluens. Quibus apparentibus exundantiam sanguinis, seu exundantem sanguinem uitium, morbúm ue gignere nemo dubitauerit. Id quoq; si accedat, ut post brumam sub uernum tempus incidat. Nec iterum hi continenter delirant, sed per circuitum, & ex interuallis, ut nonnunquam ad consuetas, necessariasq; operas recursent. Cum risu præterea desipiunt, nec in iram præcipites ruunt. Siquidem humor à natura non admodum alienus est, nec mordaci acredine præditus, multitudine magis, ac copia infestans. Nulla certe desipientia secura est, sed quæ cum risu fit (Hippocrate attestante) minus periculosa. His nutricatus præstituatur minimum alimoniæ præbens. Et confestim sine ulla procrastinatione (ne malum in plusculos dies dilatum inualescat) plurimus sanguis extrahatur, è media dexteri cubiti uena, nisi externa torosior proturgeat, qua ratione concisionem postulare uidebitur: quod si nec se ostenderit, tertia erit incidenda. Idq; pro Galeni doctrina libro decimotertio de Medendi methodo, qui in reuulsione sanguinis ad iecur fluentes internam in dextro cubito secari iubet, qua non comparente, mediam, & hæc si delituerit, reliquam. Quod si quid liberaliorem detractionem præpedierit, ne

queuno

que uno ductu, quãtum cupias, de ſanguine hau rire queas, proximum fuerit ſectionem partiri, & multiplicato numero ſarcire, quod ſemel atq; uniuerſim minime licuit. Sic paulatim exuberantiam tollentes modo dexteras, modo ſiniſtras uulnerabimus. Nec leue, et contemnendum præſidium quis arbitretur, quod ex interna ſiniſtri cubiti perfoſſa expectatur. Cuius equidem nec uanum me, nec mendacem præconem ſtatuo, qui de periculo ſumpto magnopere adiutaſ ſe comperi. Nimirum conſentaneum eſt, neq; aliter euenire poteſt propter mutuum utriuſq; uiſceris conſenſum: quod quamlibet cerebrum in hoc morbo afficiatur, attamen cor (ſedes uitæ) particeps afflictionis efficitur, & afflictum in nocumentum addit, luduntq; datatim. Non eſt mirum, inquit Auicenna, non eſt nouum, non eſt longinquum, ſi cordis complexio primum corrumpatur, & ſequatur eam cerebrum. Et corrumpatur cerebri complexio, & ſequatur eam cor: & corrumpatur complexio ſpiritus in corde, & fiat ſylueſtris, & corrumpat quod ex eo penetrat ad cerebrum, & iuuet cerebrum ad ſe corrumpendum. Nunc alius mihi uiderit, quo quis pacto iraſci, incandeſcere, furere queat, ſine cordis intemperie, ſine perturbatione, inflammatione, æſtuq; ſanguinis intra cordis penetra-

Cor & cerebrum ludunt datatim.

lia fluitantis. Galenus habet tomo secundo Artis paruæ, calidioris cordis ut ad proprium modum referamus signa inseparabilia quidem & familiaria hæc sunt: magnitudo respirationis, pulsus uelocitas, & frequentia, & audacia, & ad actio nes impigritudo. Si uero cor ad plurimum ueniat caliditatis, furor est eis, & maniaca confidentia. Hoc si datur, ut philosophi quoq; omnes uno ore acclamant, nemo nõ luculenter perspicit, quàm præsens adminiculum conferat interna leui cubiti uena. Hæc de uitali specu, & officina furoris, si non præcipua (quod medici mordicus tenent) profecto ex mali per consensum consorte (quod negare non queunt) uitiosum sanguinem fundit, & spiritum procellosum expuit. Quapropter nequaquam negligatur, potißimum ubi morbus per autumnum incubuerit. Porrò mulieribus si menses non decurrunt, nec uiris pro consuetudine hæmorrhoides profluunt, quæ iuxta malleolum aut in magno pedis digito uena tenditur, primitus feriatur. Ab hac uacuatione si noxius humor adhuc cerebrum occupare uidebitur, atq; etiamnum in penitioribus meningibus, meatibusq; insinuatus exorbitet, ex narium uenulis, aut ea quæ in fronte conspicua apparet, sine ulla trepidatione deriuetur. Deinde scapulis, brachijs, natibus cucurbitulæ,

capiti

capiti uero hirudines admoueantur. Alexander Trallianus: Nõ defuerunt, inquit, quibus hirudinum usus placuit, nos contrà: huiusmodi auxilia, ne tormenta dicamus, quoniam hæc ubi nihil humoris offendunt, longe maiorem ægro intemperaturam, & aridiorem inducunt, cane peius & angue fugienda ducimus. Nunquam etenim id genus præsidia, nisi quum materiam infestantem, uiolentiorem, & craßiorem, iam cerebro impactam cognouerimus, ceu utilia probantur. Quis quæso tam rudis, & artis imperitus, qui hirudines admoueat, ubi nihil amouendum comperit? Nunc ea, quæ appellat tormenta adhibere, quum ualentior est, & craßior, ac materia cerebro magis infarcta, quàm sit conducibile, equidem non uideo. Trahunt quidem ex imo ad sese cucurbitulæ, sed materiam tractilem, Auicenna inquit phen prima tertij: Amplius cum peruenis ad caput solum, aut sanguis à principio rei est in ipso, tunc si fuerit cadens in uelaminibus extrinsecis, aut ægritudo sentitur propinqua commissuris appone uentosam nuchæ. Quod si est profunda, aut non speratur eius attractio, phlebotoma uenam frontis. Postea nisi resipiscat, & in uiam sobrius redeat, properandum erit ad medicamenta topica. Caput in primis oxyrhodino perfundatur, aut oleo œnanthi

Nõ satis accedit Traliano.

Topica.

no, ſeu melino. Aluus intruſa glande irritetur, aut quod ſalubrius cenſemus, emolliente clyſmate proluatur, pro hoc modo: ℞ maluæ, altheæ, uiolariæ, betæ ana. m. j. ſeminis lini, pſyllij, aniſi, anethi ana. p. j. prunorum numero. x. glycyrrhizæ ʒ. iij. florum chamæmeli, meliloti ana. m. ß. caricarum numero. vj. folliculorum ſenæ ℥. j. epithimi ʒ. ij. paſſularum mundatarum. m. j. coquantur, & excolato adde olei anethi, uiolarum ana ℥. j. ß. ſacchari rubri ℥. ij. ſalis modicum ſub ijciatur ſtomacho uacuo, & diebus aliquot inter poſitis iteretur. Sanguinis feruor immoderatus, ſyrupis, & potionibus attemperetur, in hunc modum: ℞ aquæ ſcabioſæ, bugloßi ana. ℔. ß. ſyrupi endiuiæ, fumiterræ ana ℥. ij. Aut ℞ aquæ oxalidis. ℔. j. ſyrupi è bizantijs ℥. iiij. capiat bis quoq; die. Quod ſi libet apoſema conficere, ℞ boraginis, bugloßi, capnij ana. m. j. ſummitatis lupulorum, ſparagi, meliſſæ, ſcolopendrij ana m. ß. florum boraginis, bugloßi uiolarum ana p. ij. florum nympheæ, roſarum, intybi ana. p. j. ſeminis endiuiæ, ſcariolæ, acetoſæ ana ʒ. j. ſeminis citrei ℈. ij. omnium ſantalorum ana ʒ. ß. glycyrrhize ʒ. iij. paſſularum exemptis nucleis ℥. j. myrobalanorum flauorum conditorum, corticis citrei conditæ ana ℥. j. coquantur ſecundum artem, & excolatum dulcoretur ſaccharo roſato. Poſt

Sanguinis feruorẽ tollentia.

to. Post primam, atq; alteram huius aposematis sumptionem, haud inutile fuerit pharmaco purgatiuo uentrem deijcere, & uenas deplere à fermento succos uitiante: incredilile est, quantum caloris, flatus, fuliginum secum subducant, quæ hac facultate pollent: qualia sunt, eclegma è psyllio, è succo rosarum, & ipse rosarum succus, oxyphœnicum, diaprunum, caßia fistularis, manna, tamar indorum, rhabarbarum, capnium, lupulus, myrobalani, præsertim si cum decoctis commodis exhibeantur, in hunc modum: ℞ aposematis suprascripti ℥. iiij. caßiæ recens euulsæ ℥. j. specierum electuarij è succo rosarum ʒ. ß. capiat sub auroram tepidum. Aliud, ℞ florum cordialium ana. p. j. fumiterre, boraginis, buglosßi ana. m. ß. passularum purgatarum. m. j. tamar indorum ℥. j. prunorum numero. ix. folliculorum senæ ʒ. vj. epithymi ʒ. ij. seminis anisi, fœniculi ana ʒ. j seminis carthami ℥. ß. coquantur in aqua lactis, cuius quotidie sumant uncias quinq;, aut sex. Aliud, ℞ electuarij lenitiui ʒ. vj. succi rosarum recentium ℥. ß. aquæ circij ℥. iij. fiat haustus. Hæc autem, & remedia his similia ex interuallis iterentur. Nouum non est, nec difficile in arte peritis atq; exercitatis, uarias commodasq; compositiones conscribere.

Curatio ex bile.

Quod si hunc affectum gignat bilis uel fla-

ua uel nigra, phlebotomiæ nullus erit locus, ne statim exasperetur, & incrudescat propter importunam sanguinis subductionem, qui petulantiam calidioris succi frenabat. Quum Galenus ait, bonus sanguis exiguus est, reliquus uero succus plurimus, utiq; in his abstinendum est ab imminutione sanguinis. Omnis cura, atq; industria conuertatur ad incendij restinctionem, ad quam non omnino inutilis esset per uenæ sectionem quædam ueluti uentilatio, & fumorum, ac fuliginum non nulla digestio, nisi prorsus reclament ætas, habitus, cœliq; constitutio. Aluus in primis si astrictior fuerit, nec uotis probè respōdeat, lubricantibus cibis molliatur, aut submissis balanis, seu clysteribus officij sui admoneatur, pro hac forma: ℞ hieræ picræ ʒ.iij. specierum diasenæ ʒ.j. pilularum è ueratro ʒ.ß. salis indi ℈.j. cum melle cocto formentur glandes. Clyster ℞ ordei. m. j. lactucæ, uiolariæ, fumiterræ, maluæ ana. m. ß. seminum frigidorum ana ʒ.ij. seminis maluæ, anethi, anisi ana ʒ.j. florum chamæmeli, meliloti, stichadis añ. p. j. passularum mundatarum. m. j. prunorum numero. ix. folliculorum senæ ℥. j. coquantur, & excolato adde olei uiolarum ℥. ij. olei anethi ℥. j. confectionis hamech ℥. ß. salis ℈. iiij. Aut fiat infusio ex decocto ueteris galli cum thymo, sena, polypodio, epithymo

thymo, boragine, buglosso, malua, capnio, & saccharo rubro. Interim potionibus (quas iuleb uocamus) aut decoctis, aut dilutis, syrupis úe, et alijs huius generis præsidijs turgẽtem materiam comprimemus, & æstuosi spiritus audaciam commitigabimus. Qua ratione & aptior uacuationi materia efficietur, & ægrotãtis mens, uti sapiat, aut sapienter monentibus obtemperet, alacrior reddetur. Siquidem æstus illi, quandiu peruolitant, & uiolenti raptantur per animæ sedes, nequaquam sinunt hominem, aut recta cogitare, aut hæc ipsa suggerentibus obsequi. Nec sine periculo grauioris conflagrationis candens ignis quoquam pertrahitur: sparsis enim candoris sui scintillulis, facile latius grassatur. Quamobrem prudenter Pythagoras dicebat: ignem gladio ne fodias. Iuleb huiusmodi concinnetur: ℞ aquæ buglosi nenupharis ana. ℔. ß. syrupi uiolarum, endiuiæ ana. ℥. ij. decoctum insignis efficaciæ: ℞ ordei. m. j. boraginis, buglosi, & florum utriusq; ana. m. ß. endiuiæ, cichoreæ, fumiterræ, lupulorum ana. p. j. radicis graminis, dentis leonis, sparagi, buglosi ana ℥. ß. seminis melonum ʒ. vj. passularum mũdatarum ℥. j. corticis citrei, tamaricis ana ℥. ß. coquantur, & colaturæ adde syrupi epithymi, bizantini ana ℥. ij. Aut ℞ syrupi nenupharis ℥. ij. è capnio, oxy-

Bilis æstu anima conturbatur.

ſacchari compoſiti ana ℥.j. Quibus anguſtior res eſt, quàm ut impēdijs ſint pares, hi quotidie ſumant fruſtulum conſeruæ uiolarum, roſarum, boraginis, bugloßi, lapathi, fumiterræ, florum intybi, ſcolopendrij, capillorum ueneris, & ſuperbibant uncias tres aut quatuor aquæ ordei, farfaræ, ſcabioſæ, caſſuthæ, lupi citrariæ, aut modicum uini diluti. Ab hac concoctione (concoctionem uoco, quum noxius ſuccus deiectioni adaptatur, per ſubſtantiæ ſuæ aut qualitatis alterationem) quanquam non ſemper deijcitur, quod eſt concoctum, neq; perpetuum ſit, ut expectetur cōcoctio, ſed quod et alibi diximus, leuiori momento, minoriq; negotio cholera ex quouis in eam agente ſubigitur, quàm furua bilis. Quapropter & difficilioris ſanationis eſt ea inſania quam hæc parit. Cæterum morbus hic non nunquam ſeipſum per intentionem ſui abſumit, ac finit. Quod Auicenna dicebat, et quandoq; eſt uehementia ſignificans criſim ipſius maniæ: ueluti quum per initia, & prima ſui exordia lentus eſt, & exiguus non eam feritatem prætendit, quam natura non uelit potius tolerare, quàm ſubito incubitu grauiorem tumultum concitare. Quare tacita uitioſos ſuccos aliquouſq; progredi ſinit, nec magnopere obluctatur. Sed ſi eò temeritatis affectus euadat, qui iam oppreſ-

Furor non nunquam ſeipſum finit.

ſurus

ſurus uideatur functiones animalis facultatis, ac deuita dimicet, non ferens natura tantam iniuriam repens expergiſcitur, in prælium prodit, & omnibus copijs aduerſa contendit, nuſquam conquieſcens, nuſquam hæſitans, donec ſuperior perdat, obterat, proturbet, hoſtem iniqua molientem. Qui conflictus medicis criticus dicitur, & uictoria criſis. Hippocrates libro ſeptimo Aphoriſmorum ait: à furore difficultas inteſtinorum, uel aqua inter cutem, uel mentis alienatio, bonum. Galenus hunc enarrans, difficultatem, inquit, inteſtinorum, uel aquam inter cutem, tranſmutationis ratione eſſe furoris ſanationem, nõ eſt extra rationem: quum à capite uitioſi humores transferantur ad inferiora. Mentis autem alienatio tantum abeſt, ut ſit furoris ſolutio, quod quiſpiam magis, diceret incrementum, & ſi uerè Hippocrates continuum, atq; uehementem furorem, alienationem mentis nominauit. Quendam nouimus à furore mediocri, quo prius detinebatur, fuiſſe liberatum. Vnde ratiocinando perpendimus, ex uehementi motu cauſarum efficientium furorẽ, ſolutionem fuiſſe conſequutam. Quemadmodum in morbis acutis uehementiſſimi caſus ſolent aliquando bonas criſes operari. Iam ſi huiuſmodi nihil accidat, medicantis ope natura indigebit,

& exhibenda sunt, quæ utranq; bilem deijciūt, sed distributa pro qua portione altera magis abundat. In quorum catalogo scribuntur simplicia, myrobalani, fumusterræ (qui & arefactus uentrem soluere, apud Galenum alicubi legitur) uolubilis, sena, stichas, epithymum, elleborus, rhabarbarum, lapis armenus. Composita, confectio hamech, trifera persica, diasena, diacatholicum, hieralogodium, pilulæ aggregatiuæ, è capnio, è lapide armeno, indæ. Galenus habet in cōmentario de Atra bile: quis tam rudis, & indoctus est inter Græcos enutritus, qui Prœti illius filias insania Melampodem purgāte medicamento sic purgatas curasse, neq; legerit, neq; audierit. Quasi non ante ducentos, uel trecentos annos, imò & multo plures nobilis hæc purgatio per ueratrum adhibita fuerit, omnesq; interea temporis hoc medicamento usi sint. Narratio ne sis nescius, sic habet: Prœtus Abantis Argiuorum regis filius fuit, qui patri defuncto in regno succeßit. Huic Prœto (attestante Homero secundo odyssεæ) ex Antia coniuge quatuor erant filiæ Mera, Furialis, Lysippe, et Iphianassa: quæ quū pulchritudinis, ac formæ gloria Iunoni se prætulissent, offensa dea furorem eis immisit, quo se boues esse crederent,

Prœti filias Melampos sanauit.

Et sæpe in læui quærebant cornua fronte,

Omnia complentes falsis mugitibus arua,
Sed detrectantes collum submittere aratro.

Verum impos consilij Prœtus quum regni partem, & unam ex eis daturum se illi in coniugem polliceretur, qui eas liberasset, Melampos illustris medicus Amythaonis in arte clarissimi filius, propinato helleboro illas consanauit, & uxorem accepit Iphianassam, ex qua Mãtum, et Antiphatem sustulit. Sunt qui dicant, Melampodem Prœti filias ad Clitorium fontem restituisse. Quas quum perspiceret temulentiæ, & ebrietati obnoxias, & per hanc occasionem furere, eas Clitorij fontis aqua potauit, quæ uini odium gignit, & hac ratione abstemiæ factæ insanire desierunt, idq; Græco epigrammate iuxta fontem in marmore scriptum inueniri. Illud diligenter obseruandum, ne solida ui semel, atq; uniuersim omnem molem detrahere conemur, sed sensim, ac paulatim interiecto interuallo uacuemus. Mirum est, quàm prospera curatio succedat, eo sæpius relato, quod frugiferum offertur. Melior est multiplicatio numeri multiplicatione quantitatis. Et illius in mentem ueniat: festina lente. Hippocrates ait, pluri mum atq; repente euacuare, uel replere, uel calefacere, uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere periculosum: quoniam omne nimis, est naturæ inimi-

Dignũ obseruatu.

cum. Sed q; paulatim fit, tutũ est, tum alias, tum quum ab altero ad alterũ transitus fit. Pilulæ in hũc modũ cõficiantur: ℞ pilularum fumiterræ, rhabarbari ana ʒ. ß. diagridij grana. iiij. cum syrupo è stichade formentur pilulæ septem. Aut ℞ pilularum è lapide armeno ʒ. ß. ex elleboro ℈. j. salis indi grana. iij. scammonij grana. ij. cum hiera picra fiant quinq;. Aliud (inquit Aëtius libro tertio) excellens ad initia maniæ, quod & melancholicis, paralyticis, ischiadicis, scotomia, uel epilepsia laborantibus, alopecijs, & capitis doloribus confert. Veratri nigri, scammoniæ singulorum ʒ. viij. salis hammoniaci ʒ. iiij. gummi ʒ. j. formentur pilulæ ciceris magnitudine cum succo braßicæ, & ætate perfectis pondus quinque scrupulorum exhibeto, mediocre pondus scrupuli quatuor, minimum tres in debilibus. Quod si catapotia horreat, aut commode dari non poßsunt, breuis potio concinnetur pro hac forma: ℞ electuarij è succo rosarum ʒ. iij. diasenæ ʒ. ij. diagridij grana. iiij. cum aqua fumariæ capiat. Aut ℞ fumiterræ, boraginis, bugloßi, lupulorum, ana. m. j. florum cordialium & intybi ana. m. ß. prunorum numero. x. paßsularum mundatarum. m. j. glycyrrizæ ʒ. iij. seminis maluæ ʒ. j. folliculorum senæ ℥. j. corticis myrobalanorum citrinarum ʒ. ij. seminis anisi, fœniculi, ana ʒ. ß.

ana ʒ.ß.coquantur in aqua lactis, & excolato adde diacatholici ʒ.vj.confectionis hamech ʒ.ij. Aut ℞ succi defœcati, boraginis, capnij añ ℥.v passularum minutarum ℥.j.seminis anisi.p.j.seminis citrei, acetosæ, endiuiæ añ.p.ß.ferueāt simul, & in colaturam adhuc feruidam immitte hellebori ℈.j.aut ʒ.ß.(quod nec dici, nec scribi, nec omnino præcipi potest, id quantitas in quoque est, eam tamen coniectura artificiosa (attestante Auicenna phen quarta primi) assequi conabimur, ex membri natura, ex magnitudine morbi, & ex his, quæ sua conuenientia, seu similitudine id significant: quæ quidem sunt maris ac fœminæ differentia, ætatis, consuetudo, tempus anni, & regio, & ars, & robur, & habitus corporis, atq; color) epithymi ʒ.j.caryophyllorum ℈.j.post horas duodecim colato ac defuso adde syrupi è bizanzijs ℥.j. Ab una atq; altera purgatione confugiendum est ad ea, quæ cor, cerebrū, hepar, bases, ac fundamenta uirtutum corroborant, offuscatum sanguinem serenant, fuliginosos spiritus depurgant. Sed prætermittendum non est, quin subinde, & ex interuallo, quamuis iustum nullum catharticum bibāt, aliquo atram bilem detrahente utantur. In quem usum hæ, aut consimiles pilulæ parentur: ℞ succi braßicæ, citrariæ, uini aromatici ana ℥.ij.aloēs puluerisatæ

Iusta quantitas præscribi non potest.

℥.iij.aloe perfundatur his ſuccis,& ad ſolis calorem inareſcat, deinde ſucci recentes,& recens uinum rurſus affundantur, & ſecundo areſiat, atq; in hunc modum tertio, tandem adde pulueris ſenæ ʒ.iij.rhabarbari ʒ.ij.caryophyllorum, thymi, epithymi ana ʒ.j.xiloaloes ℈.ij.ſeminis citrei, pæoniæ, macis ana ℈.j.ellebori, ſcammoniæ ana ʒ.ß.camphoræ ℈.ß.croci ℈,ß.ſalis hammoniaci ℈.j.fiat maſſa in uſum dictum. Naturæ uires corroborant, obſcœnum ſanguinem depurant, opacos ſpiritus illuſtrant, conſerua mentæ, meliſſæ, calendulæ, boraginis, bugloßi, anthos, ſtichadis, roſarum, uiolarum, nymphea, arantiarum, cortex citrei condita, inula, calamus, myrobalani, diamargaritum, diarhodum, manus chriſti, electuarium è pomis, reſumptiuum,& ex ijs fiant compoſitiones pro cuiuſq; arbitrio: ℞ conſeruæ uiolarum ℥.ij.conſeruæ roſarum, nenufaris ana ℥.j.diamargariti frigidi, manus chriſti ana ℥.ß.ſpecierum aromatici roſati,& caryophyllati ana ℈.j.foliorum auri numero.ix.miſceantur, cum modico aquæ roſatæ, in qua granum unum moſchi,& tria grana caphuræ intabuerunt. Aut ℞ aquæ roſaceæ bene odoriferæ ℥.ij.uini granatorum, uini cretici ana ℥.j.ſacchari candidi ℥.ij.bulliant lento igne,& adde conſeruæ boraginis, bugloßi, meliſſæ ana

℥.j.corti

℥.j.corticis citrei cōditæ,myrobalanorum,citri narum confectarum ana ʒ.x.diarhodi abbatis, electuarij è gemmis ana ℥.ß.passularum paruarum ʒ.ij.specierum electuarij resumptiui ʒ.j.croci grana.vj.bracteolarum auri uumero.xv.omnia concorporentur in formam conseruæ. Odoramenta crebro naribus subijciantur. Nemo nescit,tenuis ille suaue olentis materiæ uapor in intimos uiscerum recessus peruadit,& hic auido rictu à nobis haustus sese liquidis succis insinuat,& incredibilem alacritatem adfert. Ex horum censu præstant rosæ,uiolæ,nymphea,santala,myrtus,caphura,pomum,pyrúm ue fragrās, caryophylli,iris,ambra. Cordi extrinsecus inducantur unguenta,em plastra, cataplasmata,sacculi , infusiones,aut huiusmodi aliud epithema. ℞ aquæ rosarū,melissæ añ ℥.vj.succi pomorum fragrantiū ℥.ij.succi granatorū ℥.j.specierū dia margariti frigidi,diarhodi abbatis ana ʒ.j.specierum electuarij è gemmis ℈.j.camphoræ,croci ana grana.iiij.fomenta præcordijs (auctore Galeno)calida semper applicanda sunt,deinde unguatur unguento quod recipit:unguenti sandalini ℥.j.olei rosarum ℥.ß.florum nenupharis, uiolarum ana ℈.ij.florum anthos,mentæ siccæ, melissæ,thymi ana ℈.j.seminis maioranæ,basiliconis ana ℈.ß.camphoræ,croci ana grana.iij.

Odor suauis animam reficit.

aceti rosati pauculum. Sacculus cōcinnetur pro hac forma: ℞ rosarum rubearum, m.j florum boraginis, buglossi, uiolarum, ana.p.j.florum meliloti, anthos, stichadis ana.p.ß.corticis citrei siccæ, ligni aloës ana ʒ.j.sandalorum ana ʒ.ß.coriandri præparati, seminis oxalidis, citrei ana ℈.j.seminis melissæ, maioranæ añ ℈.ß.cāphoræ grana.iij.spicæ, croci añ grana.ij.fiat sacculus in serico rubro sutura retiformi. Post hæc ipsum caput aggrediantur irrigationibus, emplastris, ceratis, & quibusuis præsidijs humectandi & moderate refrigerandi facultate præditis. Neq; committendum, quod (reclamante Galeno) nonnulli medicorum faciunt, applicantes omni capiti medicamentum, quod ex tapsia, et sinapi componitur, id ipsi quoq; faciamus. Quando si ex calida intemperie caput male habet, talia medicamenta noceant. Neq; huic cucurbitulas, hirudines úe circulatim affigemus, etiam materiam, quæ infestat, ualentiorem, craßioerm, & iam cerebro impactam. Sed expedit hos frequenti balneo potabilis aquæ fouere, quo & calidos uapores, qui in capite sunt, temperato calore euocemus, & quod crassum est, liquidius efficiamus, & totum capitis temperamentum in melius restituamus. Calidarum autem, quæ sponte nascuntur noxius est usus. Siquidem quæ ex his sulphurosæ

Maniacis non conferunt aquæ sponte nascentes.

rosæ, bituminosæ ue sunt, eæ propterea quod calefaciunt inimicißimæ calido capiti sunt. Aluminosæ quoniam angustos meatus claudunt: decoctum uero hordei, uiolariæ, maluæ, cucurbitæ, salicis, nymphea, chamæmeli, meliloti, stichadis, pulegij, senæ, utiliter infunditur. Aut ueruecis caput, ipsis cum pediolis, & semine lini, maluæ, psyllij, discoquatur, eoq; iusculo adhuc suffcruido, nec ualde tepido, bis, tér ue derasum caput quotidie perluatur, nisi uehemēs intemperies ardeat, tempusq; æstuosum sit, tum egelidū esse oportet, ac omnino suffrigidū. A singulis porrò lotionibus circumliniatur butyro insulso, aut oleo amygdalino, aut ranino, aut œsypo, populeo, pingui ue aliquo anseris, seu gallinæ. Id præterea magnopere iuuerit, si quotidie ante epulationem in solium descendant, cuius clemēs, modicusq; sit calor, ex aqua, & oleo, aut ex lacte recens mulcto, & leuiculis frictionibus corpus defricetur, ab imis partibus incipiendo. Viriles globuli linteolo inuoluantur rosacea madefacto, aut aqua solani, cucurbitæ, nymphea, cum aceto. Id tamen non usq; crebro fiat, neq; admodum diu, ne masculum robur periclitetur. Naribus trahant oleum uiolaceum cum succo lactucæ, aut papaueris oleum cum lacte fœmineo. Gargarissent aquam portulacæ, farfaræ, sambu

Viriles testes nō sunt usq; infrigidandi.

ci. Si peruigilio fatigantur, diacodium bibant, aut eorum aliquod, quæ in capite de conciliando somno permulta diximus. Profecto pars est non minima curationis bona quies, ac tranquilla dormitio. Quod si ipsum uitium pertinacius hæreat, neq; ullis remedijs feritas commitescat, in uinculis teneantur, & flagris (si opportunum uidebitur) cogantur attendere, addiscere, & meminisse, ut quos nullum officium inflectere potuit, acrior pœna coerceat. Sed priusquam receptui canam, adhuc habeo quod auribus tuis instillem, & cuius te admonitum uelim. Ne uidelicet inobseruatis propinquior temere aßideas, nisi triste fœdumq; infortunium, imprudentiæ tuæ preciũ auferre uoles. Expertus loquor, memini quo aliquando in periculo fuerim. Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Galenus inquit libro secundo de Respirandi difficultate: ad furore percitos propius accedere non audemus, sed omnibus modis ab illis discedimus, uerentes, ne mali quippiam nobis inferant.

Maniacis non est temere aßidẽdum.

Præter commemoratas insaniæ causas, sunt & aliæ mentem commouentes, nec quis scitè satis coniecerit, qua id facultate perpetrent, nisi in uenenatam, & cæcam contrarietatem tam audax facinus reijciatur, qua probum sanguinis temperamentum, & sanam spirituum constitutionem

Mentem ex cæca qualitate commouentia.

tionem nequiter corrumpunt. Quemadmodum quibusdam naturis quædam familiares sunt, sic & aliæ alijs inimicæ ac perniciosæ inueniuntur. Ex morsu rabidi canis plurimi desipuerũt. Atq; alij commanducato æluri cerebro. Apud Heracliam Arcadiæ uinum (ut ferunt) fit, quod potum uiros insanos agit. Vinum quoq; fulmine gelatum, quum ad priorem habitum redit, potatum aut exanimat, aut dementes facit. Menses fœminarum ab eugio perfosso primi in potu furores gignunt. Nec minorem iniuriam inferunt coriandrum, solanum, hioscyamum, herba sardinia, & ea quæ apud Tegeam gignitur, carduo similis, quam quum Pandius statuarum artifex in templo, suo fungens officio comedisset, mente alienatus est. Theophrastus præterea libro nono de historia plantarum ait: Vesicariæ alterum genus (alij bryorem, alij perissum uocant) constat radice candida, & longa ad cubitum, atq; caua. Dabitur eius radicis drachmæ pondus, si ut quis ludat, seq; pulcherrimum putet, placuerit: at si uis, ut magis insaniat, drachmis duabus est opus: sin autem nunquam insania solui uolueris, tres dabis: & si interimendum sit, quatuor. Quibus uero adminiculis in hunc modum delirantibus succurratur, non est præsentis instituti docere, sed ea ab his petenda sunt, qui de uene-

Pandius mẽte alienatus

Vesicariæ mira facultas.

nis exactius perscripserunt. Dioscorides ait in præfatione libri sexti: In his quæ diutinas ualetudines faciunt, nulla erit ob difficilem ex notis nocentis ueneni depræhensionem in curatione difficultas. Nocendi enim celeritate amissa, in diutinas ualetudines translata uenena, communia aliquibus morbis remedia, & curationes recipiunt, nulla poti ueneni proprietate post hac remanente.

CAPVT DECIMVMOCTAuum de Melancholia.

AFfectus ipse melancholia uocatur, indicante nomine humorem, qui ipsius est causa. De humore paucula præmittere constitui ante ea, quæ de affectu dicturus sum. Hunc nostrum sermonem Aristoteles excipit, qui Probl mate primo tomi trigesimi, melancholicos non nullos adeo ingenij acumine pollere affirmat, ut diuini potius quàm humani, ob raram & admirandam eruditionem uideantur. Viros omnes in quauis disciplina præstantes plurimum melancholicos extitisse fortiter asserit. Quod cum aliquando legisset Cicero eloquentiæ parens, subrisit, & æquo animo se ferre dixit, quod tardior esset, dummodo ab hac naturæ specie omnino abesset

Melancholici an ingeniosi.

Cicero melancholicus non fuit.

abesset. Sed rationem rei propositæ peruestigemus. Et imprimis cogitandum est, duplicem esse melancholiam: altera naturalis, ac ueluti nobis cognata, quæ quum rectè æstimatur, aliud est nihil, quàm sanguinis probè cõcocti sedimentum: aut aptius fortaßis, quæ craßior est, sicciorq; probi sanguinis pars. Porro probum sanguinem nemo eum dixerit, aut qui ab immodico calore superassatus incanduit, aut ob imminutum crudus perfrixit. Vterq; quidem (nec iniuria) uitiosus censetur, & is, qui nimium feruet, is quoque, qui nimium alget. Nihil ergo superuacaneum (ad qualitatem dico, potest autem in quanto, quod bonum est, superfluere) in concocto sanguine à moderato calore reperitur, modo & commoda educatio accesserit. Succus ergo melancholicus, huius pars, non purgamentum erit, nec reiectaneus, sed alendo corpori, magisq; uegetando animo idoneus gignitur: quippe qui cæteri sunt humores præ tenuitate labiles, atq; fugaces transfluunt, nusquam morantur, non subsistunt, & nisi hoc ueluti cogantur, ac uinculo quodam, glutinoq; figantur, usui non queunt esse. Oportet autem hunc nec exuberare multum, nec pauciorem esse, sed eo in numero adauctum, quo hominem melancholicum indicet, et ab eius uocabulo corporis constitutio nomen sortiatur:

Melancholia duplex.

Commoditas melancholiæ.

quæ non ex abundantia calidi, neq; rursus ex incremento frigidi, sed ex propria, moderataq; essentia hunc pro mole, & quantitate reliquorum humorum, nec exiguum, nec superfluum gignit: uti ex ipsis pro æquabili, & iusta proportione cõmistis, corpus unũ resultet. Quale Marsilius Ficinus (inter disciplinarũ proceres nequaquam postremus) auri colore insigniuit, sed ad purpuram uergente. Etenim quando uel proprio sui uigore, uel animi, corporis ue motu accenditur, non alio magis fulgore coruscat, quàm ignitum, rutilumq; aurum purpureo mixtum amabili luce splendescit. Quin iridis instar assumit uarios pulchro de corde colores. Galenus tertio de causis symptomatum, atram bilem sanguine splendidiorem dixit, & plane lucescere: adeo ut sanguis sine huius commistione, obscœno, nigroq; colore præditus inueniatur. Iam si quis acrius expendat, & exacto magis iudicio delibret, solis candore clarius comperiet, quod spiritus ex his concorporatis propterea subtiliores euadũt, quia ipsius compagis spißior, densiorq; materia est. Vnde spiramenta, per quæ spiritibus eluctandum est, angustiora stipantur, minusq; fatiscunt, & omnino crassulentis uiam pernegant. Quare necessum est, qui tenuiores exiliant, & quum quodam ueluti labore excludantur,

Melancholicus sanguis auri colore insignitur.

Spiritus ex compacta materia eluctantes sunt tenuiores.

dantur, magis incalescunt. Calor autem tristes fuligines, si quas tenent, abstergens, claritatem inducit, & quum actuosus sit, pernicitatem addit, atq; in operas promptitudinem. Ipse etiam succus quia stabilis est, firmus, ac solidus, quicquid ex eo manat pro suo genere stabile, firmũ, solidumq́; consistit, ut non facile fatigetur, ac deficiat, sed integrum functionibus diutißimè respondeat. Itaq; animus tam obsequioso, ac fido satellitio fretus uehementer indagat, nec lassescit aliud ex alio quæritans. In hac consectatione, & perpetua uigilantia, planè necessum est, ut inueniat, atq; compræhendat, compræhensa luculenter perspicit, perspecta rectè diiudicat, iudicata fideliter retinet. Quis non hæc omnia ad insignem eruditionem adminicula censet, aut potius pro lectilia, ac uehicula ad summum eruditionis culmen. Aristotelis igitur sententiam ualde probabilem fateri oportet, qui melancholicos ingenio præstare dixit, & clarißimos quosque artifices huius fuisse naturæ. Cæterum huiusmodi sanguis quum accenditur (mirabile dictu) quandam cum ætheris naturà similitudinem habet, unde ex eo scaturiens spiritus cum supernis corporibus quãdam ueluti familiaritatem, ac neceßitudinem trahit: & quemadmodum hæc calore, luce, motu prædita operãtur,

Animus quomodo spiritu utatur.

Melancholicus sanguis, est æthereus.

sic ille quoq; calidus, lucidus, agilis instat: adeo ut ex hoc consensu, dulciq; commercio huiusce sortis mortalibus gaudeant, ac concupiscant cœlestes dæmones uersari, ac sese (quod antiquitas credidit) nimis quàm lubentes immittunt, insinuantq; intimis horum penetralibus, atq; ibi consident, ac deliciantur, tanquam in regione illa clarißimorum syderum uolubili: qui ubi sese commouerint, animam quoq; commouent, & mirabiliter afficiunt, coguntq; furere. O præclarum, atq; optabilem furorem. hunc sonat illud Ouidij: Est deus in nobis, agitãte calescimus illo. furore quidem perciti supra seipsos efferuntur, & quodammodo adorabiles dij efficiuntur, artium, quas nunquam didicere inuentores, legum sanctißimarum conditores, naturalium rerum perscrutatores, diuinorum mysteriorum interpretes, poetæ, Prophetæ, Vates. Nihil tam illatebratum, quod non in lucem perspicaces eruant: nec quicquam tam sublime, quod celeres non assequantur, ut pòst, afflatu destituti, suas ipsi inuentiones uehementer obstupescant, neq; satis intelligant qua ui præstare potuerint, quæ tam clara, & speciosa monumenta ediderunt. Plato ait in Ione: pleriq; uates postquàm remissus est furoris impetus, quæ scripserunt, haud satis intelligunt: quum rectè tamen de singulis artibus

Melancholicis sese insinuant dæmones.

Diuino furore perciti

tibus

tibus furentes tractauerint. Quod singuli harum artifices legēdo confirmant. Hic prolixus, ac perinde amœnus se campus aperit. Sed pro loco satis, quamuis alia etiam ex his hactenus explicatis contemplabilia sese proferant. Aristoteles ait primo de Partibus animalium: Res namq; illas superiores, tametsi leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam amplius oblectamur, quàm quum hæc nobis iuncta omnia tenemus. Quemadmodū quamlibet partem minimam corporis nostrarum puellæ deliciarum uidisse gratius, ac iucundius est, quàm cæterorum hominum membra tota perspexisse, & contrectasse. De ipso affectu nunc dissertandum qui desipientia est, & mentis alienatio, sine febre, intra ineptas cogitationes magis consistens, quàm ad flagitia designanda efficax, cum mœsticia ac metu. Originem ducit ex uitiato sanguine: Etenim sanguis quum pellucidus est, atque serenus, alacritatis, gaudij, bonæq; spei fomes, ac pabulum est: obscurus, ater, & fœculentus affectiones his contrarias gignit, torporem, tristitiam, desperationem. Obscuratur autem, & grauis, turbidusq; redditur, quoties iners multa, atque impura bilis ipsi commiscetur, idq; uel ob adassans calidum, uel congelans frigidum. Non ab uno

Affectus melācholicus.

Causæ.

aliquo ſuccorum, ueluti cholera, aut pituita, ſpiritus animæ inſtrumenta ſuppeditantur, aut emanant, ſed ex eo corpore, quod humores quatuor ſocio confluxu unum conſtituunt, et ſanguinem uocamus. Hoc ergo corpus quum frigidæ, denſæ, ac tenebricoſæ bilis plurimum habebit, cauſa erit huius affectus. Quandoquidem ſpiritus dabit opacos, furuos, & inamœnos, ex quibus inamabiles & terrificæ cogitationes inundabunt. Quemadmodum externæ tenebræ omnibus ferè hominibus pauores inducunt, ſic atræ bilis colos mentis ſedem obtenebrans formidinem efficit. Ad hunc porrò affectum, an neceſſario cõcurrat temerata animalium ſpirituum ſubſtantia, an ſola ipſum euaporatio craſſæ, denſæque fuliginis ingerere queat, non paruo in dubio uerſatur. Galenus in ea ſententia depræhẽditur, & conſectaneos ſecum medicos trahit, qui eum acclamitãt, ex ſolis uaporibus nõ nunquã oriri. Tertio de Affectis locis ſic habet: ſane melancholiæ accidẽtia ſimul cũ dicta uẽtriculi diſpoſitione ſcribere haud ita facile Diocli uidebatur. Id itaq; addere, ac ſimul qualis ſit in huiuſmodi affectibus uẽtriculi diſpoſitio, manifeſta interpretatione enarrare aggrediamur. Atq; uideatur quidẽ in ipſo inflãmatio eſſe. Sanguis autẽ in parte inflãmata cõtentus, et craßior, et atræ bili magis conformis

Spiritus nõ ex uno ſuccorum generantur.

An ex opacis uaporibus oriatur melancholia.

cõformis efficitur. Itaq; queadmodũ elata ex uentriculo ad oculos fuliginosa quadã, aut fumosa dispositione, aut craßis quoq; uaporibus, similia ut in suffusione symptomata cõtingũt: eadẽ ratione sublata ad cerebrũ ab atra bile euaporatione, melãcholica eueniunt in mente accidẽtia. Et libro secundo de Symptomatum causis: quod uero atra bilis rationalis animæ arcem occupans, timorem, mœsticiam, & mortis expectationem inducat, nihil mirandum est, quum uideamus in rebus externis nihil magis, quàm tenebras nos perterrefacere. Si igitur tenebris quippiam simile rationalis animæ parti circunfunditur, hominem semper timere necessum est, utpote qui semper timoris causam in corpore circumferat. Quod enim nobis extrinsecus accidit, quum ambiens nos aër uastißimus tenebris fuerit obscuratus, id melancholicis ab intimo corpore uidetur erumpere, occupãte cerebrum, uel ipsamet atra bile, uel uapore quopiam melancholico. Hæc Galenus ex Hippocrate mutuasse uidetur, nẽpe in libro de Atræ bilis agitatione sic habet: quidam diffidunt, mœstiq; sine ratione, & modo, nec dicere possunt sciũt ue quid sit, quod se molestet. Mortem non pauci, & alia non timenda timent: præterea non nulli sunt qui contrà, mortem optent. Quum igitur bilis atra rationalis

animi principia præoccupat, mortis pauores, expectationes, & optationes fieri mirum, non est. Nam ex ijs, quæ sunt extra nostrum corpus nihil magis timemus, horremús ue, quàm tenebras. Quum ergo quid obscurum, tenebricosum úe rationalis animi prætenditur, necesse est hominem usq; terreri, tanquam causam terroris corpus secum portet. Nam pueruli tanquam in magnis, & altis tenebris sint, perterrentur: perfecti uero & adulescentes, qui rudes adhuc sunt, nec his consueuerunt, tenebras etiam horrent. Sic et atræ bilis color tenebris est similis, quum cogitationis, & imaginationis locum obscurat, & inumbrat, pauorem adducit. Hanc opinionem planè irridet Auerrhous (philosophus quidem celebris) & aduersam fortiter tuetur. Cuius uerba sunt in tertio Colliget, expreßio scilicet timoris fit in anima propter obscuritatem complexionis melãcholicæ. Sed nigredo nõ est causa huius, sicut dicunt medici, quia color nõ est causa substantialis ad corrumpendas uirtutes animæ: sed hæc causa prouenit ab una specie malæ complexionis, sicut & aliæ ægritudines. Et tu scis, quia habitus animæ sequitur cõplexionem corporis in hac coniunctione: & qui dicunt, quod anima terretur propter humorem melancholicum nigrum, sicut terretur homo in obscuro, dicunt

Auerrhous Galeni opinionem irridet.

ro, dicunt uerba cantionum: quia anima non uidet in corpore, ut poßit dicere, quod sentiat terrorem nigredinis. Sed de natura istius humoris melancholici est, ut ipsum sequantur hæc accidentia, sicut de natura sanguinis est, ut ipsum sequatur gaudium. Et dicemus propter hoc, ut sanguis det lumen animæ, & hæc res manifesta est illi, qui aliquantulum de natura gustauit. Hippocrates quamuis in libro (quod diximus) de atræ bilis agitatione Galenicæ opinionis & auctor sit, & assertor, tamen in sexto Epidemiarum aliter, & cum Auerrhoo (si acrius ipsius dicta excutiantur) sentire depræhenditur. Quod & Galenum olfecisse liquido apparet, quum sic habeat tertio de Locis affectis: igitur craßi humores, qui in cerebri substantia abundant, interdũ ei, ut instrumentali, interdum ei, ut similari nocent. In meatuum quidem obstructione, ut instrumentali: in temperaturæ uero alteratione, ut similari. Proinde totus hic sermo in fine sexti libri de Vulgaribus morbis perscriptus est. Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur, & contrà, morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici. Atq; horum utrumlibet magis accidit, prout in hac, uel in illam partem infirmitas redit. Si enim in corpus, epileptici: si uero in mentem, melancholici redduntur. Sed hu-

ius sermonis pars non paruũ contẽplandi locum desyderat. Quippe quum anima sit, aut tempera mẽtum actiuarũ qualitatũ, aut ab ipsarum tempe ratura permutetur, bilem, quum cerebro ueluti parti instrumentali nocet, ad cerebri corpus con uerti ait, id quod in obstructionibus fieri constat. Temperaturam uerò cerebro uti similari nocẽtem, ad mentem eam rapere dicit. Hoc pro blema, quoniam attestante Galenô non paruum contemplandi locum desyderat, & ne plus operæ in corollario, quàm in proposito sumam, qui bus & ocij, deorum benignitate, & ingenij, naturæ cõmoditate, plurimum est, lubens cõcedo.

Affectus melancholici tres species

Ad affectum ipsum properamus, cuius tres constat esse species: prima, quando uniuersum in uenis omnibus sanguinem atra bilis uitiat. Altera, quum reliqui corporis sanguis innocuus est, sed is solus temeratur, qui in cerebro cõtinetur, quod ob proprium ipsius habitũ usuuenire consueuit, nempe id ubi frigidius, sicciusq; fuerit, torpedinis in morem, quicquid influit, suarum qualitatum particeps facit, & sic succum afficit, ut sui similis efficiatur, spiritus quoq; obscœnos & inertes gignit. Quum uero ipsius consti tutio uehementius feruet, affluentem sanguinem adurit, & quod in eo est tenue liquidúm ue absumit, relicta pars turpiter crassescit. Quales in iram

iram præcipites ſunt, magisq; audaces, ac teme rarij, ita ut alios percutiant, multaq; terribilia patrent, præſertim eo ipſo tempore quo ſanguis adaſſatur. Sed reſtincta flamma aut annorum ac ceßione, aut ſui ipſius efflagratione, certe ab incendio mœrentes, triſtes, ac meticuloſi euadunt. Tertia ſpecies ex hypochondrijs male affectis oritur, etenim hæc per conſenſum illico cerebrum labeſactant, graues halitus, dēſosq; fumos ſurſum in mentis regionem tranſmittunt. Nec id ſolum, ſed portionē quoq; noxiæ materiæ. Communicant omnes in pauore, metu, trepidatione, angore, ſolicitudine. A ſonitu frondis uentulo agitatæ diffugiunt, perpetuo lugent, plangunt, queritantur, amicos, & familiares auerſantur, cunctos odiunt, ſolitudines captant, qualem Bellerophontem Homerus deſcribit: Bellerophō melancholicus.

Poſtquam autē inuiſus ſuperis eſt factus, in agro
Errabat miſer ipſe ſuo, ſolusq;, dolorem
Conſumens animi, atq; hominum ueſtigia uitās.

Heraclitus Epheſius totus erat in lachrymis, miſerias & calamitates hominum iugi planctu ſeniculus deplorabat: ſolitudines amabat, impuro, ſordidoq; uictu degebat. Melancholicum fuiſſe Theophraſtus eſt opinatus, quod obſcura, & confuſanea conſcripſiſſet, hydropicus factus interijt. Sunt qui uitam deſpuentes, mortem ex- Heraclitus Epheſius melancholicus.

petant. Quosdam iterum alieno, atq; extraneo uidebis animo, utpote qui simul & mortem horreant, & tamen uitam sibi adimant, in se quàm in alios potius iniurij. Inducibiles sunt huius stultitiæ, atq; insaniæ modi, uarijs, ac multiformibus imaginibus perturbantur. Alius testaceum uas, seu fictile factum se putauit, quapropter obuiantibus de uia cedebat, ne coarctantium attritu in frusta collideretur: alius gallos cantare audiẽs, ut hi alarum plausu, sic latera brachijs quatiẽs, animantium canorem exprimebat: alius metuebat, ne Atlas uniuersum terrarum orbem humeris suis sustinens defatigaretur, & onus ipsum defessus excuteret, cuius intolerabili ruina cuncti mortales opprimerentur: quidam sibi acephali, nec habere caput uidentur. Aduersum hoc phãtasma Philotimus plumbeo pileo caput contegi iubebat, ut pondere admoniti resipiscerent. Alius nasum sibi instar bubuli pedis extare plorabat, quum nihil supra iustum modum excreuisset. Plusculos uidi cibum ac potum pertinaciter recusantes, nisi uictus rationem præscripsissem, qui se grauiter ægrotate somniabant, & reclamante me aut in hydropem, aut in tabem casuros se formidabant. Hos sola mentis trepidatio, & ineptus mortis horror uexabat. Non nulli criminis se reos imaginantur, & pauidi anxijq; ue

Phantasmata melãcholicorum.

xijq; ue

xijq́; uerentur, ne manus ipsis inijciat prætor, & ad tribunalia supplicio afficiendi pertrahantur. Alios tam misere affligit plena scrupulis cõscientia, qui nodos in læui scirpo quæritantes culpam metuunt, ubi nulla subest, & diuinæ misericordiæ diffidentes se orco destinatos fœda lamentatione noctuq́;, dieq́; deplorant.

Iam hoc malum alios per interualla capit, alios habet perpetuo. An uero uniuersum corpus, an hypochondria, an solum cerebrum melancholicus succus occupet, non lubricis notis discerni potest. Quippe quibus in uniuerso corpore, & potißimum per adustionem exundat, macilẽti, nigri, et hirsuti sunt, & laxioribus uenis. Interdum tamen fit, ut rufo colore homines affatim, atque post hos flaui, in hanc intemperaturam incidant, si quando & uigilijs, & multis laboribus, & solicitudine, & tenui uictu fuerint educati. Accedit si hæmorrhoides obstruantur, aut mulieribus menstrua non eant, aut melancholicis cibis usi sint. Ad hanc quoq; notitiam non parum confert anni tempus, ac præterita, præsensq́; constitutio, & regio, & laborantis ætas. Sunt qui & per febriles morbos humorem hunc contraxerunt: quibus semel collectis, quo pleniorem adhuc habeas certitudinem, cubiti uenam secabis, præcipueq́; Signa specierum.

mediam. Quod si sanguis, qui effunditur, melancholicus non sit, actutum obliges, fluxumq́; sistas: si uero talis appareat, confirmatus audenter uacua. Porrò ob affecta hypochondria uitiũ quum exoritur, mox occurrunt symptomata, uentosæ spirationes, turbulenta murmura, cruditates acidæ, eructuationes olidæ, uenter durus & siccus. Quidam insueta mandendi cupiditate molestãtur, nec minus torquentur immodica siti. Alimentum in uenulas ægre distribuitur, hypochondria ardent, & pondere quodam premuntur. Quandoque non nullis uehementes, acresq́; dolores in dorsum usq; extenduntur: uomitus accidunt uel crudi cibi, uel pituitæ, uel humoris amari, sæpe adeo astringentis, ut ex contactu obstupescant dẽtes: quæ sursum sunt, non nunquam inflammatione corripiuntur, conuelluntur, & infestantia quædam, ac uersantia circa præcordia sentiunt. Quidam lieniosi fiunt, & deiectione, uomitu, crebrisq́; ructibus malum leuatur. Affectionem cerebro esse primariam liquido patebit ex ipsius cerebri, capitisq́; constitutione, & hæc ferme continua molestat, nulla hora interquiescens, breues ijs, atq; interrupti somni sunt, somnia uident turbulenta, aurium tinnitus patiuntur, uertiginibus uexantur, aliquibus caput plenum & infactum uidetur,

non nullis

non nullis uacuum, & inane, à cibo abstinent, oris saliua (ex capite uidelicet illapsa) acris, in rem aliquam fixis, ac intentis oculis diutius contuentur. Iam nulla, aut admodum modica indicia sunt, quæ uniuersi corporis uasa noxio succo prægnãtia arguãt, aut oblæsa hypochondria testentur. Diximus de morbo, de morbi causa, de signis, post hæc de curatione dicturi sumus, cuius uictus non minima pars censetur, qui omnino aduersus atræ bili præstituatur. In aëræ uersentur calido, & humido, qui substantiæ puritate, cordis, cerebriq; spiritum nutriat, odoris suauitate recreet, lucis candore serenet. Cibos fugiant, qui suapte natura melãcholicũ sanguinem gignũt, qualis est bubula: cuius Galenus meminit tertio de Facultatibus alimẽtorum: Ipsa, inquit, alimentum non exiguum, nec discussu leue præstat, sed sanguinem craßiorem, quàm par est, gignit. Præterea si melãcholicæ quispiam naturæ in eius cibo modum non seruet, affectu quopiam melancholio tandẽ corripietur: cuiusmodi sunt cancer, elephas, psora, quartana febris, & morbus, qui speciali nomine melancholia uocatur. Hircina quoq; noxia est, & caprina, & taurina & arietina, & caro domestica, permacra, & quæ ex lepore est, sed multo magis ex apris, & ceruis, & ursis, & ex animantibus uastorum Dieta.

corporum, præsertim annosis, ex auibus etiam magnis, quæ magis ambulant, quàm uolant, olorina, anserina, gruina, pauonina, anatina, palumbina, & meleagridum, quæ sunt gallinæ indæ. Aquatilium carnes, ut thunni, balenæ, situli marini, delphini, canis, omniumq; cetaceorum insalubres sunt. Ex oleribus braßica ferè sola huiusmodi sanguinem gignere solet, magisq; cyma eius. Quemadmodum & arborum germina, ubi uel muria, uel oxyhalme condiuntur. Leguminum fere omnium maxime lentes, mox panis furfuraceus, & ex uitiatis seminibus factus. Vina quoq; crassa, et nigra, huic maleficio aptissima sunt, præsertim si quis abunde, ac crebro ea bibat. Aceti meminit Hippocrates tertio Acutorum in hunc modum: Acuta uis aceti (ut summatim dicam) ijs magis conferre solet, quibus amara, quàm quibus atra bilis exuperat: quippe amara ab ipso dissoluitur, & agitatur, ac in pituitam degenerat, atra uero bilis in massam attollitur, & multiplicatur. Nam acetum atram bilem parit. Edulijs uescantur euchymis, & nullum negocium exhibentibus uentriculo, hœdina, uitulina, ueruecina, pullastris, capis, perdiculis, phasianis, turture, gallinis deserti, turdo, merula, & minutis auiculis, nisi per ætatem siccescant. Piscibus præterea petrosis, ouis sorbilibus

bus, pulticulis saccharatis ex hordeo, ex lacte recens mulcto (nisi hypochondria doleant, & metus sit ne flatibus impleantur) ex iusculis carnium, atq; id genus sorbitionibus. Cibos cōdiant hoc puluere: ℞ cinnamomi ℥.j. amygdalarum dulcium purgatarum numero ix. seminis anisi, marathri, ana ʒ. ß. caryophyllorum, maceris, zedoariæ, zingiberis ana ℈.j. mentæ, melissæ, thymi, sampsuchi, seminis pæoniæ, citrei ana ℈. ß. croci, cardamomi ana ℈. ß. margaritarum ʒ. j. hyacynthorum, rubinorum, granatorum ana ʒ. ß. ambræ grana. v. moschi granum unum, foliorum, seu bracteolarum auri numero. ix. sacchari rosati in tabulis ad pondus omniū, fiat puluis in usum dictum. Vinū bibant tenue, album, nec antiquum, nec nouum, nec resinatum. Ceruisiam mediocrem, claram, & defœcatam. Exercitia fugiant laboriosa, moderatis utantur, & multam uoluptatem afferentibus. In balneis frequentes sint, aquæ scilicet dulcis, & tanquam ad æstiuum solem calefactæ. Molliore somno, & longa quiete uehementer opus habent. Venus frigidis & siccis corporibus inimicissima est, & his tantum innoxia, qui calidi humidiq; sunt. Per interualla tamen assuetis haud erit inutilis. Sunt quidem huius palestræ appetentissimi, idq; propter redundantes flatus, præsertim ij, quibus adusta

Melancholici uenerē appetunt.

cholera negocium faceßit. Paulus Ægineta libro primo ait: Neq; uenus utilitate caret, utpote quæ plenitudinem tollit, corpus auctum, leue, uirile reddit, & quod ad animum pertinet, rationis uim impeditam soluit, ingentes iras remittit. Idcirco melancholico aptißimum remedium est, si quicquam aliud, reducit autem ad modestiam uel quouis modo insanientes: nec salubris solum est iam morbo correptis, ut ex Paulo liquet, & Auicenna testatur uicesima phen tertij, sed cauet præterea ne quis in hunc omnino incidat, quod Galenus dixit sexto de Affectis locis. Sunt non nulli, quos protinus à iuuentute concubitus imbecilliores facit. Alij nisi aßidue coeant, capitis grauitate molestantur, cibos fastidiunt, ac febribus obnoxij fiunt, atq; ut deterior est ipsis appetētia, ita & concoctio minor. Hos arboribus immodice fructiferis Plato comparat. Equidem noui quosdam, quibus huiusmodi erat natura, qui præ pudore à libidinis usu abstinētes, torpidi, pigriq; facti sunt. Non nulli & melancholicorum exemplo præter modum mœsti, ac timidi, cibi etiā tum cupiditate, tum concoctione uitiata. Quidam uxoris mortem lugens, & à concubitu, quo antea, creberrime usus fuerat, abstinens, cibi cupiditatem amisit, atq; ne exiguum quidem cibum concoquere potuit.

tuit. Vbi uero ſeipſum cogendo plus cibi ingerebat, protinus ad uomitum concitabantur. Mœſtus etiam apparebat, non ſolum has ob cauſas, ſed etiam ut melancholici, citra manifeſtam occaſionem, modis omnibus conſulentur, corroborentur, in meliorem ſpem erigantur, gaudeant, lætentur, exultent, pſallant. Omnino animi remißione opus eſt, atq; appulſione ad iocoſa & ludicra ſpectacula, ad ſcenicas uoluptates, & quæ in triuijs exhibentur, oblectamenta. Auicenna inquit phen quarta primi: Scias, quod inter cætera optimorum eſt remedium, occurſus rei gratæ, & iugiter uti his, quibus gaudio afficitur. Imò fortaßis iuuabit aßidua conſuetudo cum uiris præſtantißimis, & cum his, quos reueretur. Prohibet enim ægrotum à rebus, quæ nocent ei. Iam his ſi nihil proficitur, non aliud ſupereſt, quam uti acriter increpentur, & diligenter obſeruentur. Curatio quæ medicamentis perficitur, hoc in primis exigit, ſi corpus uniuerſum plenitudine laborat, & obſcuro quodam rubore perfunditur, ſtatim, & ab initio (niſi decocto aliquo ante ipſam ſectionem pro attenuatione utendum cenſuerit) à turgẽtibus uenis ſanguis ducatur, atque ea primitus uulneretur, quæ eſt dextri cubiti media, niſi altera extremarũ multo appareat toroſior, qua ratione ipſam Curatio.

concisionem postulare uidebitur. Sanguinis copia pro modo uirium, & qualitate cœli detrahatur. Illud quoq; contemplandum censeo, Cordis ne regio difflatione, aut humoris noxij uacuatione indigeat, tum in sinistrum cubitum uulnus accidat. Quod si hæmorrhoides suppressæ nihil reddunt, nec muliebris fluxus apte decurrit, omni industria, atq; ingenio percurandum erit; ut hæc uasa superuacaneum reuomant. Iam nisi uotis responderint, quæ iuxta talum perlabitur, aut in magno pedis digito cernitur, feriatur. Melancholicus sanguis (Auicēna inquit phen quarta primi) frequentem uenæ sectionem desyderat, quam statim alleuiatio sequitur. Vbi uero solum cerebrum uitiosum succum continebit, nulla huiusmodi detractione opus erit, nisi multi, & copiosi sanguinis sit is, quem curas. Deinde aluus si astrictior fuerit, neq; diario officio satis faciat, clystere molliatur, pro hoc modo: ℞ decocti carnis uitulinæ, hagninæ, aut hœdinæ. ℔. j. sacchari rubri ℥. ij. caßiæ recenter euulsæ ℥. j. salis modicum. Alius: ℞ mercurialis, uiolariæ, althææ, & maluæ ana. m. j. passutarum exemptis nucleis ℥. ij. glycyrrhizæ ʒ. iij. seminis lini, anisi, marathri ana. p. j. furfuris. m. j. coquantur, adde excolato olei uiolarum, anethi ana ℥ j. ß. diacatholici ℥. j. Alius: ℞ boraginis, buglosi, fumiterræ

miterræ ana.m.j.seminis fœniculi,anisi ana.p. j.caricarum numero.vj.folliculorum senæ ℥.j. coquantur in aqua lactis,& adde colaturæ syrupi uiolarum ℥.iij.butyri recentis sine sale ℥. ij.uitellum oui crudi unum. Aut oleum per se,ac nudum,sine adiecto infundatur. Post hæc abundans bilis commoda deiectione uacuetur, quam prius idoneis medicamētis concoquemus. Quippe quum crassa sit,& pigra,nec admodum tractilis, nisi egregiè malassetur, & præmolliatur ante adhibitam uim, minimè obsequundabit, atque id non prospicientes, nostra incuria ipsum malum exasperabimus, decurrente scilicet liquido, ac tenui, quod in ea erat,reliquum fœculentius,& obscœnius efficitur. Et ob hanc ipsam rationem uigilanter obseruabimus,ne immodice calorificis utamur,ne immodicus calor humori siccaneo siccitatem addat. Humectantibus autem liberaliter inniti decebit. Apozema paretur pro hac forma: ℞ florum boraginis,buglossi, uiolarum,cichorij ana.m.j.summitatis lupulorum, fumiterræ,scolopendrij, scabiosæ, ana.m.ß.radicis buglossi,sparagi,fœniculi ana ℥.ß.glycyrrhizæ ʒ.iij.seminis anisi, marathri ana.p.j.passularum mundatarum ℥.j.coquantur,& bibat huius decocti his quoq; die ℥.iiij. Aliud: ℞ succi endiuiæ,buglossi ana ℥.iij.succi

Melancholia difficulter euacuatur.

pomorum fragrantium ℥.ij.aquæ ſcabioſæ.℔.ß.thymi, meliſſæ, hyſſopi ana.p.j.radicis pæoniæ, capparum, añ ʒ.ij.coquantur, et per fiſcum tranſcoletur, colatura ſaccharo dulcoretur. Aut conficiatur iuleb in hunc modum: ℞ aquæ bugloßi, fumariæ, meliſſæ ana.℔.ß.ſyrupi dinarij ℥.ij.ſcolopendrij, epithymi ana ℥.j.mellis anthoſati ℥.j. Aut ſumat ſyrupum è corticibus citrei, è căpnio, circio, radicibus, ſine ulla aut decocti, aut aquæ diſtillatæ commiſtione. Succus iam ex parte aliqua concoctus leui pharmaco ſubducatur. Veritati non congruit, ut intra pauculos dies uniuerſa morbificæ materiæ moles ſemel, ac tam repente ſubigatur. Quare nec ſtatim præ forti cathartico commouendam cenſemus, ſed ſenſim, ac paulatim per interualla, prout concoctio ſuccedit, uacuabimus. Conferens potio: ℞ ſeminis aniſi ʒ.ij.ſeminis pæoniæ ʒ.ß.contundantur, & bulliant in ſero lactis, quũ ab igne tollitur, in eo etiamnum feruido macerentur conſeruæ boraginis, bugloßi ana ℥.ß.pulueris folliculorum ſenæ ʒ.ij.polypodij ʒ.j.rhabarbari, epithymi ana ʒ.ß.caryophyllorum ℈.j.ellebori grana.iiij.expreſſum propinetur. Aut decoctum exhibeatur pro hac forma: ℞ florum cordialium ana.p.j.radicis bugloßi, ſparagi ana ℥.ß.paſſularum mundatarum ℥.j.pruno

rum nu-

rum numero .ix. folliculorum ſene ℥.vj. corticis myrobalanorum indarum ℥.ij. ſeminis aniſi, fœniculi ana ℥.j. coquantur, & colaturam bibat cum unica recentis caſsiæ. Aſsiccatis myrobalanis perraro utor, quoniam quæ apud nos ueneunt in pharmacopolijs pumicæ torridiores exiſtunt. Aut miles ueteranus gallinacei generis diutino curſu fatigetur, & betulaceis uirgis, donec ſpirat, uapulet. Exenteratus in aula fictili diſcoquatur, adiectis thymo, citraria, betonica, boragine, circio, capnio, uolubili, filicula, ſparago, mercuriali, polypodio, ſena, & paſſulis, iuſculum id bibatur. Hippocrates ait, thymo & aloe purgato, amaraco, cunila, ſero lactis, non eo, quod de caſeo remanſit, defluxitq́;, ſed quod lacte cocto ſupernatat, præſertim equino, quod in ollam nouam, dato, ſurculoq́; ficulneo permiſceto, quumq́; ter quaterq́; ferbuerit, mulſum acetum ſuperaſpergito, & percolato, melleq́; miſto propinato. Ab hac inanitione rurſus ea reuocentur, quæ coquunt, & noxiam materiam adaptant, quo plenius fuſiusq́; præter ullum incommodum exhauriatur: ℞ aquæ inulæ, cuſcutæ ana ℔. ß. ſyrupi epithymi ℥.ij. è radicibus abſinthio ana ℥.j. Aut ℞ fumiterræ .m.j. capillorum ueneris, ſcabioſæ, boraginis, bugloſsi, lapathi ana .m. ß. radicis dentis leonis, aſparagi, bri-

Myrobalani arefactæ inutiles.

tannicæ ana.℥.j.radicis serpentariæ,inulæ,corticis tamaricis ana ʒ.iij.glycyrrhizæ ℥.ß.passularum purgatarum ℥.j.radices aspergantur aceto perquàm modico,& omnia deinde coquantur,decoctum bibat addito melle rosato. Purgabunt confectio hamech,trifera, hiera diacolocynthis,pilulæ indæ,fumiterræ,lapidis armeni. pro hac forma:℞ diasenæ ʒ.iij.confectionis hamech ʒ.ij.diagridij grana.iij.cum diluto fumariæ fiat haustus. Aut ℞ diasenæ ʒ.vj.cum sero bubulo sumatur. Aut ℞ diacatholici ℥.ß.pilularum è fumoterræ ʒ.j.ellebori grana.iij. Aut ℞ passularum enucleatarum ℥.j.polypodij ʒ.vj. hyssopi,cunilæ ana.p.j.seminis anisi,marathri ana.p.ß.coquantur,& in decocto macerentur, folliculorum senæ ʒ.iij.epithymi ʒ.ij.excolato adde hieralogodij ʒ.iij.Catapotia formentur in hunc modum:℞ pilularum indarum ℈.ij.è lapide armeno ℈.j.fiant quinq; cum syrupo epithymi. Aut ℞ pilularum aggregatiuarum,ex ellebo ro ana ʒ.ß.formentur quinq;. Valeschus à Tharāta puluerē Haly miris præconijs effert,cuius uerba subijcere præstat: Posito,inquit,quod aliæ medicinæ non ualeant,ista ualet nutu dei misericordis,& est medicina coronata,quæ secretissimè teneatur,& amplexetur,ut humanus intellectus quasi deperditus cum hac medicina restauretur:℞

Puluis Haly.

tur:℞

tur: ℞ epithymi ℥. ß. lapidis lazuli, agarici ana ʒ. ij. scammonij ʒ. j. caryophyllorum numero xx. puluerescant omnia, & ipsius pulueris scripula quatuor singulis septimanis assumat. Non paucis cyaneus lapis in uenenorum censu supputatur, in ipsius igitur locum armenus substituatur. Quod si hæmorrhoides pro consuetudine non fluant, commodis adminiculis concitentur. Mulieribus uero si menstrua proluuies non excurrit, aptis medicamentis proliciatur. Hippocrates ille omniscius ait: Atra bile uexatis hæmorrhoides si superueniant, bonum. Atq; iterum: Insanientibus si uarices uel hæmorrhoides inciderint, insaniæ solutio fit. Galenus in cōmētario de Atra bile sic habet: Natura subinde sanguinem atro humore uitiatum in crurum uenas reponit, ex quo distentæ, & ampliores factæ, uaricosæ redduntur, & cutis spacio temporis in huiusmodi uenis nigrescit. In quibus autem sanguinis, sed non melancholici, copia in imbecilliores uenas hic emergentes influens, eas incumbendo dilatat, nihil tale accidit, ut in quibus melancholicus sanguis uarices gignit. Periculum enim in his est, ne si uenas affectas incideris, melancholia homo corripiatur. Atque hoc non raro fieri conspeximus, non solum in uaricibus, uerum & hæmorrhoidibus, etiam ab hu-

Hæmorrhoides melancholicis utiles.

more tali cõstitutis. Caium Marium, qui septies consul fuit, ferunt sibi stantem extrahi passum uaricem, sed ex uno tantum crure, ex altero recusasse dicentem, medicinam esse morbo grauiorem. Solo tamen finis desiderio, nemo unquam salutem est consequutus. Balneis crebro utantur, & in natationibus tepentis aquæ frequẽtes sint. Quibus huiusmodi morbos & humido uictu, ac boni succi, nullo alio adhibito præsidio Galenus se persanasse testatur, ubi nondum in longum tempus fuissent protracti, nec altius radices promisissent. Caput ipsum deraso capillitio foueatur decocto hagnini capitis, aut uitulini. Aut huiusmodi paretur: ℞ maluæ, uiolariæ, ungulæ caballinæ, senæ ana. m. j. florum chamæmeli, meliloti ana. m. ß. seminis lini, anethi ana. p. j. ß. radicis buglossi, liliorum, altheæ ana ℥. j. coquantur hæc in iusculo ueruecinæ carnis, aut hœdinæ. Quod si uigiliæ infestant, adde folia, & calices papaueris albi, & hyoscyamum, & nympheam. Hoc fomento singulis diebus bis aut ter caput totum perluatur, & deinde perungatur oleo uiolaceo, anethino, susino, butyro recenti, axungia uituli, anseris, gallinæ, medulla cruris cerui, œsypo, alijsq; id genus. Aut cæratum pro hac forma concinnetur: ℞ olei amygdalarum dulcium, olei lini ana ℥. j. olei uiolarum, sesami-

Caio Mario uarix excisa.

ni ana

ni ana ℥.ß.axungiæ anſeris,gallinæ,butyri inſulſi,medullæ cruris uituli ana ʒ.ij.croci ℈.ß.cæræ albæ quantum ſatis ſit.

Cordis præterea ſingularem rationem habere oportet. Quoniam etſi præcipua huius morbi ſedes non ſit, eo tamen nexu, iiſq́; uinculis utrunq; alteri copulatur,ut fieri nõ queat,quin proſpera cordis conſtitutio,ſecum comitem trahat eam, quæ eſt cerebri. Saltem id uſu uenit,ſi quod uitium alicunde cerebrum contraxit, ab ipſius cordis proba temperatura ſuppetias expectat, atq; etiam adiutatur. Quod ſi cor male afficiatur,ſtatim cerebrum quoq; uacillat. Auicenna(non tam aſpernabilis author,ſi interpres contigiſſet idoneus, quàm hodie petulans quorundam faſtus efflat: Zeno quendam dicentem in multis ſibi diſplicere Antiſthenem, rogauit, num qua haberet Antiſthenes,quæ iuuarent, Ille reſpondit ſe neſcire:hic Zeno, & non te,inquit,pudet,ſi quid ab Antiſthene perperam,aut minus accurate dictum eſt,excerpere,ac meminiſſe. Si quid rectè dictum, id ne animaduertere quidem,nec tenere. Profectò idem morbus nunc plurimos habet,qui in aliorum lucubrationibus ea tantum deligunt,quæ carpant,atq; traducãt, benedictorum neq; ulla eſt gratia, neq; memoria. Galeni candorem imitari debebant,hic Ar-

Cor cerebro communicat.

Auicenna non aſpernandus.

Galeni candor.

chigenem non recta docentem sic corripit, ut ipsius authoritatem non solum non eleuet, sed plane commendet, & clara prædicatione excusabilem scribat: libro secundo de Compositione pharmacorum secundum locos ait: Archigenes, si quis alius, ediscere ita medicam speculationem conatus, merito commentarios insignes plurimos reliquit. Non tamen in omnibus, quæ tradidit irreprehensibilis mihi esse uidetur: sed quemadmodum ipse à quibus uiris adiutus, præstantißimus euasit, horum multa coarguit, ita & ipsum par est aberrantem, à nobis, qui post eum nati sumus, reprehendi. Difficile enim homo quum sit, non aberrare à multis, dum alia in totum ignorauerit, alia perperam iudicauerit, alia negligentius scripserit) Auicenna, inquam, prima phen tertij: Spiritus, ait, animalis continuus est spiritui uitali, et ex substantia ipsius. Nec est poßibile, ut fiat melancholia absq; communitate cordis: imo fortassis magnitudo causæ in ipso erit ex corde, & propter hoc, necesse est ut consequatur cura cordis cũ cura cerebri in hac ægritudine. Magnus quoq; Galenus in eadem sententia totus est, neq; philosophorum quisquam reclamat. Quapropter quanta opera, atq; industria ualemus, cordis ualetudini prospiciamus. Sed tua interest, pro modo peccantis materiæ,

pro lapsus

pro lapsus discrimine, pro habitus uarietate, medicamenta mutare. Hæc literis exactè mandari non possunt, propter numeros, ac proportiones in succorum confusionibus difformiter concursanteis. Sexus præterea, ætas, uirtus, tempus, regio proprias contemplationes deposcunt, ut ridiculus planè, ac ineptus cēseri debeat, quisquis id se assequuturum sperat, qui suis in schedis omne punctum absoluat. Quemadmodum impossibile est quenquam ex libris nauclerum euadere, aut militiæ ducem, aut alterius artis consummatum artificem. Sic nec aliquis quātumuis suæ professionis peritus necessarias sequelas, ut nullæ præterea desyderentur, in suis documentis absoluto sermone unquam tradiderit. Minus semper, quàm plena institutio exigit, propter humanam imbecillitatem authores proponunt. Quod Plato apertè testatur in Phedro, & Lucius Columella capite primo libri de Re rustica sic ait: Hos igitur Publi Siluine priusquam cum agricolatione contrahas, aduocato in consilium. Nec tamen sic mente dispositus, uelut summam totius rei sententijs eorum consequuturus. Quippe eiusmodi scriptorum monimenta magis instruunt, quàm faciunt artificem. Vsus & experiētia dominātur in artibus, neq; est ulla disciplina, in qua non peccando discitur. Nam ubi quid

Nulla doctrina perfecta.

perperam perpetratum cesserit improspere, uitatur, quod fefellerat, illuminatq; rectam uiam docentis magisterium: quare nostra præcepta non consummare scientiam, sed adiutare promittũt. Lucretius libro primo inquit:

Multaq; præterea tibi possum commemorando
Argumenta quidẽ dictis contradere nostris.
Verum animo satis hæc uestigia certa sagaci
Sunt, per quæ poßis cognoscere cætera tute.
Namq; canes ut montiuagæ persæpe ferai
Naribus inueniunt intectas fronde quietes.
Cum semel institerint uestigia certa uiai
Sic aliud ex alio per tute ipse uidere,
Talibus in rebus poteris, cæcasq; latebras
Insinuare omnes, & uerũ protrahere inde.

Quinetiam una in hora, uno in morbo medicamentum feliciter operabitur, & in alia hora ipsum idem effatu dignum nihil efficiet. Quare auxilia mutanda sunt, & ingenio peruestigandum, quod literis reddi non potest. Cordi huiusmodi epithema applicetur: ℞ aquæ bugloßi, melissæ ana. ℔.ß. succi pomorum fragrantium ℥.ij. uini citrei, & malorum granatorum ana ℥.j. zedoariæ, caryophyllorum, maceris, agallochi ana ℈.j. rosarum rubearum ℈.ij. omnium sandalorum, coralli rubei, utriusq; been, seminis maioranæ, basiliconis ana ℈.j. ambræ grana. iiij.

na. iiij. camphoræ grana. iij. moſchi granum unum, croci grana. vj. Ab hac irrigatione inducatur tale linimentum: ℞ olei roſarum ℥. j. olei mentæ ℥. ß. aceti roſacei ʒ. ij. ſpecierum electuarij é gemmis ℈. iij. ſpecierum diarhodi abbatis ℈. j. camphoræ grana. iij. croci, ambræ ana grana. ij. Aut ſacculus conficiatur in hunc modum: ℞ florum nenupharis, uiolarum, boraginis, bugloßi, roſarum rubearum añ p. j. meliſſæ, mentæ, roriſmarini, maioranæ ana p. ß. omnium ſantalorum ana ʒ. ß. ſeminis endiuiæ, acetoſæ, citrei ana ℈. j. ſeminis mari, cunilæ, baſiliconis ana ℈. ß. fiat ſacculus. Malagma pro hac forma apparetur: ℞ ſucci pomorum fragrantium ℥. iij. ſucci mentæ, uini cretici ana ℥. j. in his macerentur cortices citrei recentes, pinſitæ, ab aliquot horulis fiat fortis expreßio, & expreſſo adde olei roſarum ℥. ij. olei uiolarum, nympheæ ana ℥. ß. ferueant ad conſumptionem ſuccorum, & adde pulueris roſarum rubearum ℈, iiij, ſandalorum, utriuſq; corallij, ſpodij ana ℈. ij. meliſſæ, mentæ, thymi, ſampſuchi ana ℈. j. galliæ moſchatæ ʒ. ß. camphoræ grana. vj. ceræ quantum ſatis ſit, expandatur ſupra alutam, & ueletur ſerico rubro. Interim ijs utantur, quæ lætitiam & alacritatem gignunt, pauorem & ignauiam pellunt. Qualia habet plurima, &

t

Auicenna de uiribus cordis elegãter scripsit.

exquisitißima nobilis Auicẽna in suo illo de Viribus cordis commẽtariolo perquàm lepido. Ex quorum censu prædicantur, conserua rosarum, uiolarum, nenupharis, boraginis, circij, cichoreæ, melissæ, calendulæ, anthos, cortex citrei condita, radix helenij, calamus odoratus, myrobalani, diarhodum, dianthos, diambra, diamargaritum, lætificans Rasis, exhilarans Galeni: aut in hunc modum eclegma cõficiatur: ℞ aquæ rosarum ℥. iij. succi pomorum fragrantium, uini granatorum dulcium ana ℥. j. sacchari ℥. iij. conseruæ boraginis, buglossi ana ℥. j. bulliant lento igne ad iustam craßitudinem, & adde cinnamomi ʒ. ij. margaritarum ʒ. j. hyacynthorum, smaragdorum, rubinorum añ ʒ. ß. utriusq; corallij, spodij, rasuræ eboris, cornu unicornis, oßis è corde cerui añ ℈. j. seminis acetosæ, citrei, pæoniæ, rosarum rubearum ana ℈. j seminis maioranæ, cardamomi, basiliconis, thymi, maceris, caryophyllorum, zedoariæ, croci, spicæ ana ℈. ß. amygdalarum purgatarum nume. x. pinearum recentium & lotarum in hydromelle nume. xv. seminum frigidorum mundatorum ana ʒ. j gallıæ moschatæ ℈. j. ambræ grana. iiij. bracteolarum auri. xv. myrobalanorum citrinarum, & indarum confectarum, corticis citrei conditæ añ ℥. j. omnia concorporentur in mortario mar-

moreo

moreo cum syrupo è menta. Postremum haud inutile fuerit Galeni consilium, factumq; laudasse, qui id malum prospicientes ne quotannis recursitet, prudenter sequamur. Hic commento quinquagesimoseptimo libri sexti Aphorismorum Hippocratis, & in libro cui titulum fecit: quos purgare oportet, sic habet: exempli gratia, aliquis singulis annis incidit in melācholiā, nisi purgetur. Et res mira uisu, quomodo morbo inchoāte statim homo præsentit primā eius generationem, et ego aduocatus purgo humores atros, & cessat protinus melancholia. Et huic homini ex purgatione ambo hæc optima eueniūt, quod scilicet superfluitates expelluntur, & quod ex acritudine eorum, quæ excernuntur, paulatim aperitur os uenæ, quam uocant hæmorrhoida, & per eam etiam excernitur pars aliqua sanguinis uitiosi. Cæterum si flatibus distenta hypochondria, & obscœnis succis prægnantia hunc morbum pariunt, confestim cogendus est æger, uti uomat, nec ullum remedium hac conturbatione salubrius adhibueris. Quare huiusmodi medicamentum propinetur: ℞ decocti radicis raphani ℥.iiij. syrupi acetosi ℥.j. olei ℥.ß. capiat ab epulatione tepidum, quod si procliuis est ad reiectionem detur impasto. Sunt (inquit Aristoteles libro primo de Partibus animaliū)

Melancholici singulis annis purgandi.

Curatio melancholiæ ex hypochondrijs.

alui fluentioris ea animantia, in quibus longiora sunt crura. Sed propensiora ad uomitum, quibus latius est pectus. Idq; tum in quadrupedum genere, tum in auium, tum etiam hominum ita esse, magna ex parte perpensum est. Aliud efficacius: ℞ ellebori in linteolo uincti ℈.j. aut ʒ.ß. maceretur in decocto atriplicis, & excolati uncijs quator adde oxymellis ℥.j. dehinc utatur syrupo acetoso composito cum decocto cicerum rubeorum, aut coquantur in aqua pulegium, centaurium, pimpinella, scolopendrium, capillus ueneris, politricum, radices apij, petroselini, dauci, sparagi, rusci, glycyrrhiza, passulæ, semen anisi, marathri, seseli, anethi, & decoctum hoc bibat cum syrupo acetoso. Aceto non nullus hic datur locus. Cui & obsonia licet intingere, atq; ex eo cepulas edere, & rutam, & capparim, & cretam marinam, & nasturtium, & tarcum, & peganum. Clysteres subijciantur ex centaurio, anetho, pulegio, seseli, carthamo, polypodio, sena. Purgatiuũ capiat diacatholicum, diasenam, hieram picram, confectionem hamech, pilulas indas, aggregatiuas. Aut pro hac forma: ℞ diacatholici ʒ.vj. diasenæ ʒ.iij. scammonij grana iij. Aut ℞ hieræ picræ, confectionis hamech an̄ ʒ.iij. mellis rosati ℥.ß. aquæ capnij ℥.iij. sumat. Aut ℞ succi fumiterræ ℥.j. caßiæ recens euulsæ ℥.ß.

sæ ℥.ß.pulueris senæ ℈.j.ellebori grana.iij.seri bubuli ℥.iij. Aut decoctum paretur pro hoc modo: ℞ hyssopi,thymbræ,thymi,centaurij ana.p.j.seminis anisi,marathri,carei ana.p.ß.passularum mũdatarum ℥.j.dactylorum purgatorum numero.iiij.prunorum numero.vj.glycyrrhizæ ʒ.iij.coquantur in aqua absinthij,cuscutæ, & lupulorum,quum ab igne tollitur, in eo adhuc feruido macerentur folliculorum senæ ʒ.vj.corticis myrobalanorum nigrarum ʒ.ij.epithymi ʒ.j.ellebori grana.vj.excolato adde syrupi è fumo terræ ℥.j. A purgatione absinthij cremorem sæpius sorbeat:etenim uentris tormenta,ac flatuosas dispositiones dißipat, lotium cit, & concoctionem mirificè adiuuat. In hunc præterea usum aceto incoquito cuminum,pulegium, rutam,peganum,& uentriculum ipsum foueto. Anethum etiam, & chamæmelum, serpillum, thymum,uiticis semen, lauri frondes,eiusq; baccas oleo & aceto in patella frigito,hypochondrijs admota dolores sopiunt. Aut sacculus applicetur pro hoc modo: ℞ mentæ,absinthij,melissæ,maioranæ,pulegij ana.p.j.florum chamæmeli,meliloti,stichadis ana.p.ß.seminis anisi,carei,anethi,ameos,uiticis ana ʒ.ß.baccarum lauri,cumini ana ʒ.j.spicæ ℈.j.fiat sacculus. Si inflammatio offensam gignit,uena iuxta talum fo-

diatur, cucurbitulæ defigantur, calores comprimantur, & ijs, quæ anodyna dicimus, dolores sopiantur.

CAPVT DECIMVMNONUM de Amantibus.

AMorem inter affectus cerebri annumerant medici, qui plerunq; tragico luctu in maniam, aut melancholiā desinit. Mirabiliter mortalium pectora afficit. Quod hi sermone credibili denarrare queunt, qui eius iugum aliquandiu pertulerunt. Neq; uana sunt testimonia, quæ ueridici uates paßim deprædicant: & nos nō pauca de eo diximus in Commentario de Arcenda sterilitate, et progignendis liberis. Plautinus adolescens. Iactor, inquit, crucior, agitor, stimulor, uersor in amoris rota miser, exanimor, feror, distrahor, diripior, ubi sum, ibi non sum, ubi nō sum ibi est animus. Atq; iterū in Cistella:

Nanq; ecastor Amor & melle, & felle est fœcundißimus,
Gustum dat dulcem & amarum, ad satietatem usq; aggerit,
Nam amorem hæc cuncta uitia sectari solent,
Cura, ægritudo, dolor, nimiaq; elegantia,
(Hæc non illum modo, qui amat, sed quemcunque attigit

que attigit
Magno atq; solido mulctat infortunio,
Nec pol profecto quisquam sine grandi malo
Præterquàm res patitur, studet elegantiæ)
Sed amori accedũt etiã ultra hæc, quæ diximus,
Insomnia, ærumna, error, & terror, & fuga,
Incogitantia, excors, immodestia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia,
Inhæret etiam auiditas, desidia, iniuria,
Inopia, contumelia, & dispendium.

Prima rudimenta affectus hic ex uenustioris formæ conspectu trahit: quo modo Anchisen captum in hymno Veneri dicato Homerus scripsit, quũ ante ipsum staret Iouis filia Venus intactæ uirgini magnitudine, ac forma haud dissimilis: quã uidẽs Anchises perpẽdebat, ac admirabatur formam, proceritatem, et stupendas uestes. Erat enim induta peplo ignis radijs splẽdidiore, habebat quoq; flexiles helicas, ac torques fulgidos, tenerum collum ambiebant monialia perpulchra, aurea, uariegata: ut luna autem, sic molle circum pectus (uisu mirabile) intermicabant. Itaq; huiusmodi formæ exuuiæ, uisu semel acceptæ, intimis præcordijs illabuntur, atq; hæc circum, ut sunt tenues, atq; uolatiles perpetua inquietudine uagantur, & in memoriam assidue transcursant, quæ lasciuienti animo satis esse po-

Anchises captus amore

Amoris rudimenta.

terant, & abunde magnum uideri debebat hisce delicijs tacito frui, ac intus sibi sine inuidia canere: nisi & uisiuus spiritus instrumentum animæ, oculusq; petulcus suas oblectationes quærerent: quæ quidem nullæ constant, nec blandientes pruriunt, nisi sola præsentia expetitæ figuræ: ea enim quum abstrahitur, simul & amouetur pabulum ignis, quo in ipso spiritu, oculoq; alibilis uiuebat. Quapropter nouum rursus desyderium accenditur, & corpus illud intueri cõcupiscunt, à quo primitus simulachrum manauit: neq; conquiescunt, donec pro nutu facta sit tangendi copia. Tria profecto in nobis (quod eleganter Marsilius Ficinus in Platonico conuiuio) esse uidentur, ac omnino sunt, Anima, Spiritus, atq; Corpus: Anima & Corpus natura longe inter se diuersa & (quod dicitur) ex diametro distantia, spiritu medio copulantur. Qui uapor quidam est tenuißimus, & perlucidus, per cordis calorem ex amabilißima parte sanguinis genitus, inde per omnium membrorum lacinias diffusus, animæ uires accipit, nutrit, uehitq;. Idem per organa sensuum imagines, & figuras corporum extrinsecus obiectorum suscipit: quæ in anima propterea figi non possunt, quia incorporea substãtia existit. Quæ corporibus præstantior quum sit, nec mutuam habeant

Spiritus quid.

habeant congruentiam, ab illis informari nequit, nec per imaginum occursantium impreßionem pingi, sed anima suo spiritui præsens abstractas corporum formas in eo, tanquam in nitido, fidoq; speculo collucentes facile contuetur, perq; illas de corporibus obiectis indicat. Et est hæc eius sensus functio quē nos communem dicimus, & Aristoteles centro punctoq; circuli respondere uoluit. Nimirum ut ad ipsum centrum, punctumq; medium, ceu ad finem, ac terminum omnibus unum & eundem cunctæ ab omni circumferentia deductæ lineæ colliguntur: sic ad hunc sensum nobis internum externorum sensuum recepta, tanquam ad communem iudicem, atq; censorem undequaq; perferuntur. Neq; gradus hic sistitur, sed hunc proximè sequitur imaginatrix, quæ similes illis imagunculas, multo etiam puriores, & nulli materiæ subiectas sua ui in se ipsa concipit, retinet, asseruat: ut dilapsis ijs, quæ sensus ciebant, illorum tamen uestigia in nobis hæreant, & demorentur. Quam conceptionem, phantasiam & imaginationem uocamus: per has quidem acies, et inscrutabiles appræhensiones, suprema illa uis, ac regalis potestas (quam cogitatiuam, rationatricem, seu intelligentem appellamus) concitatur, & expergiscit ad speculandas uniuersalium re-

Sensus communis centro circuli respondet.

Munus imaginatricis potentia.

rum ideas, quas in se afflatu cœlestis numinis cõtinet. Sic unum quidem hominem sensu cernit, et imaginatione concipit: intellectu uero rationem, ac diffinitionem omnibus hominibus communem per innatam humanitatis ideam contemplatur, & ex congruentibus indiuiduis speciem elicit. Hæc autem contemplata memoratrix excipit, eaq́; ceu fidißima tutrix seruat, ac condit. Meditatio quidem nouam ac recentem memoriam abolescẽtis loco restituit. Itaq; animo satis esset, amatum semel uidisse, & idolum formosi hominis acceptum, memoriaq́; collocatum. Oculo tamen, ac uisiuo spiritui perpetua corporis præsentia opus est, ut sese expleant, & continua illustratione caleant, luceant, radient. Quando quidem ueluti tersa specula existunt, quæ obiecti corporis defluuia excipiunt, & eo discedente dimittunt. Igitur isti propter egestatem suam, & celerem fugam accepti simulachri, non cessant procaces oblectãtis figuræ præsentiam exigere. Animus quoq; tam importunè lacesßitus plurimum his obsequitur, & eandem cogitur affectare. Affectus hic amor est. Laodomia Protesilaum, quum is in militiam proficisceretur, in tabula ad uiuum graphidis beneficio ductum curauit, ut iconiam imaginem quotidie conspicata, absentis coniugis desyderio minus torqueretur. De-

Munus memoratiuæ.

Laodomiæ amantis ingenium.

tur. Debutadis Sycionij filia, quũ sponsi amore flagraret, & hic ab ea se aliquantisper diuellere statuisset, ne peregrinantis recordatione contabesceret, umbram (ô fœmineum ingenium) ex adamati facie ad lucernam in pariete lineis circumscripsit, sumpto ex igne carbone.

Amorem inter dæmones Plato reposuit, cuius genesim in hunc modum explicat: quando nata est Venus parata conuiuio discubuerunt dij: quũ cœnati essent, Penia (ea est paupertas) mendicatura cibum, utpote epulis illic abundantibus, uenit, & circa fores obuersabatur: Porus quidem (is est affluentiæ deus) Consilij filius nectare ebrius (uinum namq; nondum erat) Iouis hortum ingressus est, & somno grauatus dormiebat. Penia uero inopia compulsa, quo pacto filium, quasi quibusdam insidijs ex Poro conciperet, excogitauit. Quare iuxta illum accubuit, Amoremq; concepit. Vnde natus est Amor, sectator, cultorq; Veneris, propterea q, in Veneris natalibus est genitus. Quinetiam natura, pulchri desyderio capitur, quũ Venus ipsa sit pulchra. Quoniam uero Pori & Peniæ filius est Amor, huiusmodi sortem nactus est. Principio aridus est, et squalidus, nudis pedibus, semper humi uolans, sine domicilio sine stramentis, & tegmine ullo, ad fores in uia sub dio dormiens, naturamq;

Amor inter dæmones.

Amoris natales.

Amoris cõditiones.

matris seruans, semper egenus. Secũdum uero patris stirpem pulchris ac bonis insidiatur, uiribus audax, & uehemens, sagaxq; uenator, noua semper machinamenta contexens, prudentiæ studiosus, facundus, per omnem uitam philosophans, incantator, fascinatorq; potens, ueneficus, atq; sophista. Neq; immortalis omnino secundum naturam, neq; mortalis: sed interdum eodem die pullulat, atq; uiuit, quoties exuberat, interdum deficit, atq; iterum reuiuiscit, ob patris naturã. Hæc Plato. Cæterum neminem ingenij tam retusi existimo, qui non perspiciat hominem ab ipso architecto ex duabus naturis fabricatum, ratione uidelicet, ac sensu: & utriq; sua dedisse pabula, fomenta, iuuantia, quibus alerentur, atque proficerent: addidisse præterea quosdam stimulos, & prolectilia quædam insertasse ad hæc ipsa cognoscenda, & persequenda. Quod quum ita sit, ueritatem hanc adumbrantes philosophi geminum finxerunt amorem, & eum qui rationi adesset, alterumq; sensui aßistentem. Ille cœlestis ueneris sine matre procreatæ indiuiduus comes existit, et ad diuinæ luciscontemplationem, ac puram, castamq; uitam semper attollit, de quo impræsentiarum nullus à nobis sermo proponetur. Hic Veneris est ex Ioue & Dione prognatæ pedissequus, nec amplexu quidem indignus,

Amor duplex.

gnus, quũ intra modũ se cõtinet. Sed ubi procax petulãsq; proiectis habenis, ac deuorato pudore exorbitat, infra hominis speciẽ, ipsum hominem deijcit, et ad ferinas, dãnatasq; cupiditates impellit. Quanquã affectui huic tam perdite lasciuienti magis congruat, & adaptari debeat furoris illud, aut insaniæ uocabulum, quàm amoris nomen magnis, clarisq; philosophis sacrosanctum. Eo tamen, hoc in loco inuidiam declinantes utemur, quo medici quoq; omnes usi sunt. Nec Plato in Phædro aliud usurpauit: Scire, inquit, oportet duas in unoquoq; nostrûm ideas esse dominantes, atq; ducentes, quas sequimur, quocũq; ducunt: altera quidem est innata nobis uoluptatum cupiditas: altera uero acquisita opinio, optimi affectatrix. Hæ autem quandoq; in nobis consentiunt, quãdoq; in seditione ac discordia sunt, & modo hæc, modo altera peruincit. Quando igitur opinio ad id, quod optimum est, ratione ducit, ac superat. Hæc ipsa uiuendi potestas, temperantia uocatur. Quando uero cupiditas absq; ratione ad uoluptates trahit, nobisq; imperat, imperium hoc libido uocatur. Libido autem quum multiformis sit, multas utiq; appellationes habet, & harum formarum quæ maxime in aliquo exuperat, sua illum appellatione nominatum reddit. Nec ullum suis decorum, aut dignum

tribuit cognomen. Circa cibos enim ſuperatrix rationis, & aliarum cupiditatum cupiditas, ingluuies uocatur, & eum, qui hanc habet, hac ipſa appellatione nuncupatum reddit. Rurſus quæ circa ebrietatem tyrannidem exercet, & eum, quem poßidet, hac ducit, patet, quod habebit cognomen. Atq; alia horum germana, & germanarum cupiditatum nomina, ubi aliqua maximè dominãtur, quomodo ponenda ſint, manifeſtum eſt. Nam cupiditas abſq; ratione, quæ ſuperat opinionem ad recta tendentem, rapitq; ad uoluptatem formæ, & à cognatis cupiditatibus circa corporis formam uehementer corroborata peruincit, & ſuperat. Eros (hoc eſt amor) uocatur. Hæc Plato, magnus ſapientiæ antiſtes.

Eros neminem auerſatur.

Eros igitur procax petulanſq; dæmon inter mortales uerſatur, et ſingulis ſeſe inſinuat, neminemq; auerſatur. Non omnes tamen pari ardore, ac ignitis æquè ſpiculis incẽdit. Sed alios, atq; alios numinis ſui cõſortes magis, magiſq; facit. Haud ignauus cenſor deligit, quos ad ſui cultum promptiores fore animaduertit, eoſq; imprimis adoritur, in quibus ſplendida bilis (æthereus humor) dominantur. Deinde eos aggreditur, in quibus ſuccus purpureus (humor aëreus) regnat. Ab his impetit illos, in quibus liquida pituita (aquæ rationem tenens) ſuperfluit. Poſtremum ut per omnia ele-

nia elementa beneficus uagetur, ijs munificum se præbet, quos atra bilis (terreus humor) fermẽtat. Iam quæ stipẽdia suo satellitio è plenó copiæ cornu largiatur, paucis demonstremus. Profecto quos semel sibi in militiam ascripsit, & in miseræ seruitutis iugum uiolentus pertraxit, rectà in certum uitæ discrimen adigit. Nimirum exuccos, atque macilentos efficit, squalidos & aspernabiles reddit, elumbes ac impotentes dimittit. Vti examines tandem, ac deformes potius laruæ quàm homines aspectantibus appareant. Quis non meridiana luce conspectius uidet, omnino esse æquum, ut ea tandem omnia funditus retorrescant, quibus proprius humor perpetuo suctu exorbetur, neq; aliunde alius in extracti locum suppeditatur. Natura quidem imbecillior est, quàm quæ in duas partes restibilis sufficiat, aut quæ geminis simul functionibus par esse queat. Sed quum in unam partem pronior incumbit, necessum est in alteram obtorpeat. Quando igitur tota amantis intentio efflictim uersatur in amati prosequutione, consentaneum est & illuc uniuersum naturalis dispositionis robur transferri. Est autem huiusmodi robur in spiritu, sanguinisq; calore. Quibus uentriculus destitutus (utpote distractis, peregreq; uagantibus) cibum negligenter appetit, & si quis ingeritur,

Amoris stipendia.

hunc ipsum infeliciter concoquit, & minima pars concocti hepar, sanguinis officinam subit, & pars maxima in purgamenta secedit. Iam nec hepar suo satis officio fungitur, nec quantulam accepit particulam in sanguinem prorsus conuertit, ob eandem explicatam causam (roboris scilicet distractionem). Ergo membra egestate, ac penuria alibilis succi emacrescunt, squalent, adarescunt. Quemadmodum hoc ipso Maio propter imbris paucitatem, quicquid in hortulo nostro à facto seminio herbescit, caputq; attollit, nequaquam roborescit, altiùs ue assurgit, sed exile, tenue, gracileq; languescit. Præterea quanto affectus animi flagrantiores æstuant, tanto pluribus egent hi spiritibus, qui addurent, ac sufficiant designato operi. Qui quum sint turba fugax, & uolatilis, ocyßime disparent, aßiduoq; labore soluti dißipantur. Quare subans anima si exorsam telam detexere uolet, nec ab inchoato studio, aut fatigata, aut restituta resilit, necessum erit subsidiarios milites et nouos iterum spiritus, atq; iterum nouos præsto & accinctos accurrere. Qui cum in cordis regia, uitæ sede, ex limpidißima sanguinis parte fabricantur, profecto opus erit inexhausto ac perpetuo fonte, ex quo perpetim scaturiant recentes in defunctorum locum. Et quũ ex his crebris, longisq; ema-

Siccitas aduersa est cremento.

natiouibus

nationibus subtiliores, & lucidiores sanguinis partes tandem absumuntur, nemo non uidet quàm pars reliqua cœnum contrahat, & crassa, & lutulenta, & inamœna euadat. Quumq; pro succis (attestante Galeno) intus cubantibus colos, habitusq; corporis existant: non mirum, si decolores amantes appareant. Ex his ipsis minime operosum fuerit colligere, cur sæpenumero mœreant, suspirent, gemant, lamententur, plorent, eiulent, uagentur, turbentur, nusquam consistant, non conquiescant, aliena, ac male cohærentia loquantur, desipiant, delirent, insaniant, seipsos confodiant, iugulent, interimant. Quippe hæc omnia ex atra bile sobolescunt, quam manifesta ratione in his excrescere docuimus, Hac ergo perciti luctuosas tragœdias ædunt.

Curatio.

Huius tam magni & pœnitendi affectus per Iouem haud leuis, facilisq; curatio existit, non negligenter tractandus, quia hominem in extremum discrimen conijcit. Venenum est tam pellax, & illici dulcore tinctum, ut melleum fel dici queat. Neq; is, quem inescauit (quod non modicam difficultatem addit) pestilentem amarorem sentit. Optimum sane remedium, & longè efficacißimum in mali fuga consistit. Qui ambulat iuxta picem, inquinabitur ab ea. Mulierum ergo consortia, præcipuè lasciuientium, uitare opor-

Optimum remedium.

tet, memores uerbi ſapientis: qui amat pericu-
lum peribit in illo, Lucretius ait libro quarto:

At qui in amore mala hæc proprio, ſumméque
ſecundo
Inueniuntur, in aduerſo uero, atq; inopi ſunt
Pendere, quæ poßis oculorum lumine aperto
Innumerabilia, ut melius uigilare ſit ante
Qua docui ratione, cauereq́;, ne inliciaris
Nam uitare plagas in amoris ne iaciamur,
Non ita difficile eſt, quàm captum retibus ipſis
Exire, & ualidos Veneris perrumpere nodos.

Quod ſi quem minus prouidum, fortém ue inſanus amor corripuerit, & is ſentiat per intimas medullas incendium graſſari, ac formidandum ſit, niſi protinus ſuccurratur, ne ludibrium populo fiat, aut grauiorem aliquem morbum contrahat, nullum præſidium uel Æſculapius ipſe commodius attulerit, quàm ut amanti cedat amatum et pariter torulo bini iungãtur in uno, et pulchro detur Æneæ Lauinia coniunx. Nempe iſtæc copulatio, in fluorem reſoluta tentigine, ardorem mirabiliter reſtinguit, & morbum, ſi quis oriatur, repente comprimit. Antigonus rex cum accepiſſet filium lecto affixum ægrotare, ad eum uiſendum paternæ charitatis œſtro percitus acceßit. Quumq; ante fores cubiculi perueniſſet, formoſißimum ſcortum (cuius amore fi-

Antigoni feſtiua filij increpatio.

re filius tenebatur) offendit, tum ingressus Antigonus postquàm decumbentem salutauerat, & iußisset bona spe, fortiq; animo esset, brachium corripiens arteriarum pulsus scrutabatur. At filius meliusculum se habere ait, quandoquidem paulo añte febris discesßisset. Hic molliter arridens rex, Verum, inquit, ais ô fili, ego enim eam pro foribus cubiculi inueni, festiue significabat se patrem intelligere, quid morbi filium affligeret, & quo remedio alleuiatus fuisset. Lucretius Epicureus philosophus, omnium amatorculorum infelicißimus (hic amore primum, deinde insania uexatus mortem sibi consciuit) nimis quàm eleganter cecinit libro quarto:

Lucretius seipsum cõfecit.

Sed leuiter pœnas frangit Venus inter amorem,
Blandaq; refrenat morsus admixta uoluptas,
Namq; in eo spes est, unde est ardoris origo,
Restingui quoq; posse ab eodẽ corpore flammã,
Nam cibus, atq; humor mẽbris absumitur intus,
Quæ quoniam certas possunt obsidere partes,
Hoc facile expletur laticum, frugumq; cupido,
Ex hominis uero facie, pulchroq; colore,
Nil datur in corpus præter simulachra fruẽdũ,
Tenuia, quæ uento raptat spes sæpe misella,
Vt bibere in somno sitiens qui quærit, et humor
Non datur, ardorẽ qui mẽbris stinguere poßit,
Sed laticum simulachra petit, frustraq; laborat,

In medioq; sitit torrenti flumine potans,
Sic in amore Venus simulachris ludit amantes,
Nec satiare queunt spectando corpora coram,
Nec manibus quicquã teneris abradere mẽbris
Possunt, errantes incerti corpore toto.
Deniq; cum membris conlatis flore fruuntur
Ætatis, iam tum præsagit gaudia corpus.
Ast in eo'st, Venus, ut muliebria conserat arua,
Affigunt auide corpus, iunguntq; saliuas
Oris, & inspirant pressantes dentibus ora.

Demetrij filium seruat Erasistratus.

Nec alio ingenio seruare potuit Erasistratus Antiochum Demetrij filium: quippe quum patri mentem filij indicasset, qua mori constituerat, simulq; fassus esset huius offensionis causam esse amorem: Demetrius, qui adolescẽtem unice amabat, per omnia multis cum lachrymis cœpit obtestari, ut illius incolumitati cõsuleretur. Quum Erasistratus indicasset immedicabile malum esse, quod in ipsius uxorem deperiret. Hoc audito Demetrius multo uehementius cœpit obtestari, ut ob salutem filij cederet illi suam coniugem. Ista, inquit, ô pater tibi facile dicuntur, sed aliud diceres, si tuam coniugem Stratonicen adamaret. Hic quum rex comprecaretur, ut liceret amorem filij cõmutare, et à medici coniuge in suam transferre, nihil se non facturum clamabat, si modo liceret seruare filium. Erasistratus patris

dextrā amplexus: Nihil est, inquit, ô rex, in quo iam Erasistrato indigeas: etenim quum pater sis, & maritus, & rex, optimus eris tuæ familiæ medicus: nō enim in coniugem meam, sed in Stratonicen tuam Antiochus deperit. Post hæc Demetrius edixit, ut Antiochus rex, Stratonice, quam filio ceßit, regina nominaretur. Et tu uide præsentaneum insolentis amoris remedium. Iam ut illud obiter annotem (si te huius sermonis nō tædet, qui & utilis est, nec amœnitate caret) quo pacto affectus hic Erasistrato innotuerit. Galenus narrat Prædictionum Hippocratis libro primo, commento decimo, in hunc modum: non Erasistratus uidens coruos, aut cornices uolantes depræhendit adolescentis amorem, nec (ut quidam dixerunt) amatorum pulsantes sensit arterias adolescentis: nullus enim pulsus proprius amoris est, sed quemadmodum apparuit interdum etiam mihi inijcienti manum uolæ ægri, muliere uero quadam uisa domi, statim iniquus pulsus, atq; inordinatus euasit: paulo uero post ad habitum naturalem simul recedente muliere uisa, redijt. Ita enim mutatus pulsus communem quendam significat perturbationis affectum in animo fuisse ægrotantis. Perturbationem uero talem interstingui conueniet ex ijs, quæ dicuntur ab eo, pariter & uidentur. Etenim rursus di

Erasistrati industria.

ctis quibusdam pulsus uertitur ad iniquitatem, perturbato ægro, ob ea quæ audiuit. Sed non omnibus Iupiter idem, nec expectationi semper sors prospera fauet, ut pro uotis in nostros casses præda petita cadat. Quare proximum fuerit hunc affectum (si fieri queat) in aliam transferre, qua cum prædulces liceat transigere noctes, aut pluribus sese insinuet. Solet profectò amoris distributio, & in plusculas secta propensio minus hominem urere, nec tantis curis conficere. Quandoquidem ad hunc modum amantibus hoc plærunq; usuuenit, si à ferocula quapiam in clementius accipiantur, à benigniore, quod sectantur, impetrant. Quibus si incendium lympidissimi fontis aqua restinguere non datur, incommodum tamen uitant infusa turbulentiore. Horatius habet:

Amor in plures distribuendus

Num tibi quum fauces urit sitis, aurea quæris
Pocula? Num esuriens fastidis omnia? præter
Pauonem, rhombumq; : tument tibi quum inguina, num si
Ancilla, aut uerna præsto est puer impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi
Non ego, namq; placabilem amo uenerem, facilémque,
Quæ neq; cunctetur (postquam est mibi iussa uenire)

In ſaltu uenatores quum grandem uaſtamq; feram perſequuntur, & magno ſtudio anhelantes incumbunt, qui eam ſuis uenabulis transfodiant: hæc ſi aſtu, aut celeritate periculo ſe ſubtrahat, & coruos deludat hiantes, ſi in minorem incidunt, ne dulci omnino laboris precio fruſtrentur, in hanc protinus excurrentes tela obuertunt, cuius cæde cupiditas prædæ mollitur. In piſculento pelago, qui capturæ retia oppandunt, ſi thumnos nequeunt, aut xiphias, ſturiones ue irretire, rhombos, mullos, lupos auferentes haud inanem fuiſſe operam gloriantur. In hac eſt ſententia Ouidius artis amandi doctor, qui ſic habet: Comparationes non inelegantes

Hortor & ut pariter binas habeatis amicas,
Fortior eſt, plures ſi quis habere poteſt.
Secta bipartito quum mens diſcurrit utroq;,
Alterius uires ſubtrahit alter amor.
Paſiphaes Minos in Prognide perdidit ignes,
Ceßit ab Idea coniuge uicta prior.
Amphilochi frater ne Phagida ſemper amaret,
Callirhoe fecit parte recepta tori.
Et Paris Oenonem ſummos tenuiſſet in annos,
Si non Oebalia pellice læſa foret.
Coniugis Odryſio placuiſſet forma tyranno,
Sed melior clauſæ forma ſororis erat.
Quid moror exemplis, quorũ me turba fatigat,

Successore nouo uincitur omnis amor.

Amantium morbus ut pruritus soluitur.

Quod si rem lubet acu tangere, iustaq; trutina librare, comperies hunc morbum haud aliter solui quàm pruritum, cuius & quidam modus, speciesq; uidetur. Aristoteles Problemate decimoquinto, tomi quarti, inquit: Prurigo secessio est humoris spirituosi contra naturam inclusi: genituram uero secessionem humoris huiusmodi esse ad rem naturalem constat. Quum igitur uoluptas similis in libidine, atq; in prurigine sit, efficitur pariter, ut uniuersum corpus gestiat. Cuius porrò ardoris, quem prurigo excitat, molestia nō cessat hominem infestare, nisi tabidus sanguis, qui uredinem, & scalpendi necessitatem gignit, uel perfossa uena, uel admotis cucurbitulis uacuetur. Sic amantium illa inquietudo, & rabiosa in uenereos coitus tentigo non soluitur, neq; consilescit, donec turgens è uenis sanies excernatur. Excretio quidem aut lenit, aut prorsus tollit ægritudinem.

Soporati non nunquam uenerem somniant.

Non nullis accidere consueuit, quum ipsis soporatis illa nimium adamatæ Veneris umbra sese insinuant, ac sensibus internis obuersatur, ut non aliter, nec minore quidem ardore afficiantur, quàm si ipsum corpusculum concupitæ nymphulæ complecterentur. Ex qua plærunq; agitatione riuulos suos genitalia laxant, & humorem petulum euomunt, à qua sta

tim

tim excretione feruor cõmitescit. Huius rei fidẽ facit q; adolescens quidã in Ægypto Theognidem amicam efflictim deperibat. Illa quũ ab homine (quem sui amore irretitum uidebat) multũ auri quotidie peteret: forte euenit, quum adolescenti uisum in somnio esset, cum ea muliere cõmisceri, omnis illa cupiditas, qua antea uexabatur, extincta penitus euanuit. Quod quidem ubi animaduertit Teognides, ob libidinem eius expletam, ab illo præsentem mercedem poposcit. Quam quũ pertinaciter negaret, nec uellet annumerare, adolescentem in iudicium traxit. Audita controuersia Bocchores iudex, subito iussit hominem numerati auri, quantum illa poposcerat, in uase quodam afferre, atq; deinde suis manibus spectante muliere aurum hinc inde uersari. Debere enim censuit, quemadmodum adolescens concupitæ rei opinionem habuerat, sic mulierem exoptati auri fulgorem, imaginemq; referre. Hoc iudicium Bocchoris, quum plures comprobassent, ut iniustum atq; iniquum ea ratione damnasse Lamiam Demetrij scortum perhibent. Quia quum somnium illud adolescentis desyderium sustulisset, non tamen auri fulgor Theognidis cupiditatem restinxerat. Profecto Lamiæ Aristoteles adstipulari uidetur, qui nono Æthicorum sic habet: Est enim simile, ac

Theognidẽ amabat adolescens.

Bocchoris iudicium.

Lamia Demetrij scortum.

ſi nihil fieret, cum non id aſſequitur, quod affectat. Quale fecit, & qui cytharedo pollicebatur, quanto melius cantaret, tanto ſe plura daturum. Poſtridie uero repoſcenti promiſſa, uoluptatem reddidiſſe dixit pro uoluptate. Si igitur uterq; hoc affectaret, ſatis utiq; haberet, ſin uero ille uoluptatem, hic lucrum affectabat, & alter habet, & alter non habet, non bene ſeſe habet ipſa ſocietas. Primũ ergo in fuga remedium conſiſtit, & obfirmandus eſt animus contra huius inſaniæ funeſtas illecebras, neq; laſciuis dictis, factis ue impudicis dandus eſt locus. Zeno ſimul & Cleantes quum aſsiderent Cheremonidæ, ſenties ille affectum amoris, ſurrexit. Id admirante Cleanthe, Etiam inquit, à bonis medicis audio, aduerſus inflationes optimum remedium eſſe quietem. Sic ſurgens periculo ſe ſubduxit. Deinde, ſi malum quempiam corripiat amato iungatur, aut ne altius radices figat, cogatq; inſanire, multifarijs grauibusq; curis implicetur, in metu & labore frequens ſit, ocia fugiat, exercitia ſectetur. Queritur Ægyſthus quare ſit factus adulter, in promptu cauſa eſt, deſidioſus erat. Homerus in hymno Veneri dicato: Tres, inquit ſunt deæ, quarũ animum flectere, ſuaq; fraude conuellere haud quaquam potis eſt, nempe Ceſiam, Mineruam, Iouis filiam.

Zenonis factum, & reſponſum.

Tres deæ amori inuictæ.

Non

Non enim illi aureæ Veneris placuere opera, sed bella semper, ac Martis opera grata sunt, prælia'q; & pugnæ, ac res tractare splendidas. Neq; unquam uenatoriam, atq; aureo insignem arcu Dianam in in amore domat, ridens Venus, etenim hanc iuuat arcus, montes'q;, ferarum cæde inficere, & cytharæ, choreæ'q;, atq; sublati clamores, & opaca nemora. Nec unquam ueneranda nymphea Vestæ opera Veneris accepta fuere. Magnum enim iurauit iusiurandum, quod sane perfectum est, Iouis patris caput tangens, ut perpetua uirginitate frueretur diua dearum. Harum seducere animum non potest, ac in suam transdare sententiam Venus. Verum inter alios nemo est, qui Venerem fugere queat, neq; deorum, neq; hominum. Itaq; animus sic componendus est, ut nullis artibus uincatur, & in uarias curas distrahendus, ne occasio uictoriæ detur. Si quisquam læsus fuerit, nunquam solus sit, inter eos uersetur, quos obseruat, ueneratur, colit, & offendere metuit. Hi salutaria suggerant, & recta admoneant: subinde obiurgent, increpent, probris'q; absterreant, & eum esse paterni fundi calamitatem impingant. Adamatam uel ueris, si sunt, uel commentitis, si profuturæ credantur, contumelijs onerent. Auicenna ait: Et ex eis, quæ ad illud iuuant, est, ut narrent uetu-

Diana.

Vesta.

læ formas eius, quod diligitur, cum similitudinibus fœtidis, & aßimilent membra faciei cum narrationibus horribilibus. Hæc enim sunt ipsarum opera, & sunt prudentiores in hoc uiris, nisi mollibus, his profecto inest ars non breuior arte uetularum. Balneis, & sudationibus crebro utatur, sanguinem sæpe minuat, Vinum fugiat. Vetus est cantio: Sine Cerere, et Baccho friget Venus. Ebrietas quidem ijs incommoda non est, sed inimica uinositas, de qua Ouidius belle cecinit:

Quid tibi præcipiam de Bacchi munere quæris
 Spe breuius monitus experiere meos.
Vina parāt animos Veneri, nisi plurima sumas,
 Et stupeant multo corda sepulta mero.
Aut nullas ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
 Eripiat, si qua est inter utrumq; nocet.

Cibus esto bene alibilis, sed parcus. Auersentur bulbos, erucam, fabas (quibus abstinebant sacerdotes Ægyptij, ut caste uiuerent) salē quoq;, et quicquid uenas flatu distendit, & quicquid sanguinem incendit. Apollo quum grande conuiuium Iunoni nouercæ in domo patris Iouis apparasset, & ipsa auide comedisset lactucas agrestes, factum est, ut uiscera eius commouerentur, & ex illis conciperet, quum usq; in id temporis sterilis extitisset, peperitq; Heben. Quæ ob for-

Apollinis conuiuium.

mæ spe-

mæ speciem ab Ioue constituta est pincerna. Sed heus fermè tacitus præterijssem remedia, quæ Crates Thebanus amantibus præscripsit in hũc modum: amori medetur fames, sin aliter tẽpus, quod si nec his uincitur, laqueus. Nulli dubium est, quin luxus alat amorem. Sapientis dictum est, præstat ire in domũ luctus, quàm in domum conuiuij. Porrò tempus aut omnia tollit, aut certè mitigat. Inde illud natum est: Dies ægritudinem adimit. Quæ remedia si nihil prosunt, & immedibile appareat malum, superest restis, ut ipsum suspendio finias. Iphis puer liberali admodum specie, quum Anaxaretem puellam incredibili amore prosequeretur, neq; eam in obsequium flectere posset, laqueo collum implicuit, atq; onus infelix elisa fauce pependit. Vetustißimi poetæ aiunt Leucatũ æditam, præruptamq́; petram in Leucadia esse, in qua Apollinis fanum cernitur. Illic etiam præcipitem saltum esse dicunt, qui ad sedandos amores plurimum ualet, ex quo Cephalum primũ saltasse tradunt, quum amore Ptarolæ Degeneti filiæ impatienter arderet. Menandro autem Gethæ uidetur, quod Sapho Lesbia Phaonis desyderio perculsa omniũ prima desilierit, cuius hi sunt uersus:

Præruptam nacta in transitu petram
Cupidinis œstro percita, è summo præceps ruit

Crates Thebanus quæ remedia scripserit amantibus.

Iphis puer se suspendit

Cephalus ex prærupto saxo se dedit.

Ex animi tui ſententia rex imperioſe.

Cacodæmones ſeſe uoluptarijs inſinuant.

Incredibile eſt, quàm familiares ſeſe inſinuēt uoluptarijs cacodæmones. Ipſorum corpora haud aliter inuolant atq; euolant, quàm ſoleant apiculæ aluearia. Dæmonibus (inquit Porphirius in libro, quem de Oraculis inſcripſit) prauis referta ſunt corpora hominum, illorum præcipuè, qui delicatis uescuntur edulijs. Veſcentibus enim nobis aduolitant, inhærentq; corpori. Hanc ob rem ieiunium, pudicitiaq; impendio probantur. Nõ quod iſtis deus bonus placetur, ſed quod faceſſant illi, qui ut ſanguine, & immundicia, quibus gaudent, fruantur, corporibus utentium ſeſe inſinuant. Compertum enim eſt, quod uehemens fluxarum rerum libido, & appetentis ſpiritus impotentia, non aliunde, quàm iſtorum præſentia maxime accreſcit. Proinde ſi quando plus nimio inflammatur cupiditas, & uoluptatis ardor, adeouſq; exagitat animum, ut cogitatus omnis ad externa uagetur, tunc dæmones tales præſto adeſſe intelligas. Horum enim præſentia ſpiritus appetitiuus in corpore noſtro multiplicatur. Porrò genus hoc dæmoniorum (iuxta ſeruatoris uerbum) non eijcitur, niſi precatione & ieiunio. Igitur oremus, & ieiunemus, ne nos corripiat, & obſideat Sathan.

Caput

CAPVT VIGESIMVM de Ebrietate.

DE ebrietate nullus mihi futurus erat sermo, quum ad eam curandam nemo medicus hodie accerseatur. Authores tamen aliquot non incelebres, quin Hippocratem ipsum huius uitij in suis Commentarijs meminisse comperio, & Galenus in eo, qui est de Remedijs, facile parabilibus dignatus est mederi doloribus capitis ex temulentia obortis. Quare nos quoq; huic rei temporis dragmulam succidemus. Nec hoc in loco ebriosos (quod alibi fecimus, neq; à quoquam, quamuis diserto satis fieri potest) destomachabor, sed aperiam paucis, & salutaria quædam conferam ad commitigandos fluctus intra uiscera tumultuãtis uini, si quis id forte incautius, aut etiam insolentius ingurgitauit. Neque statim omnes æquè tentantur, sed alijs alij celerius. Plato in Cõuiuio Alcibiadẽ sic loquentem facit: ego bibẽdi principẽ, donec satis biberitis, me uobis propino, ferri iube Agatho, si quod est amplum poculum. Sed nil opus est, imo feras huc, uas illud, quod plures quàm octo pateras capere uidetur. Quũ uas impleuisset, prior ipse bibit. Socrati deinde infundi iußit, & ait: aduersus Socratem, ô conuiuæ hoc dolo nihil promoueo

Ebrietas nẽ ex æquo omnes corripit.

Socrates bibax.

promouco, quantumcunq; quis iusserit, ebibet, nec ebrium unquam uidebitis. Socrates quum in fudisset puer, bibit. Superantur autem à uaporibus uini facile, quibus cerebrum est imbecillum & uentriculus æstuosus, quiq; rarius poculares concertationes celebrant. Aristoteles author est, senes maximè, mulieres minimè temulentia tentari. Cuius rationem naturarum contrarietatem existimare licet. Nimirum fœmina quum humectißimo sit corpore, (quod & lenitas, splendorq; cutis, mollities, raritasq; corporis docent, nec minus menstruæ purgationes humoris exundantiam ostendunt) Vinum ergo in hunc fluuium, oceanum úe cadens, uim suam ac potestatem edomitum exuit, fit quoq; dilutius, nec facile cerebrum ferit. Contrà senibus corpus est aridum, ac siccum, (quod asperitas, & squalor & durities cutis, artuumq; difficilis inflexus commonstrant) quare celerius à uini feruore corripiuntur. Non est alius præter hunc affectus, qui tot, tantaq; symptomata effundit, nullum in hoc membrum sibi constat, cuncta ab officio recidunt. Caput fœdis exhalationibus dirumpitur, cerebrum uertigine tentatur, oculi torquentur, aures undoso spiritu crepant, lingua uacillat, sermo futilis, oris halitus teter, stomachus subuertitur, & reijcit putridam saburram, cordis

Qui facile à uino superantur.

Ebrietatem concomitantia.

ram, cordis palpitatio, manuum inepta, & insana gesticulatio, pedum incertus lubricusq; gressus, inquies nocturna, turpes ronchi, furiales somni, mentis excessus, & (quod dicere pudet) alui, ac uesicæ spurcißima solutio, ut in hac eluuie (quemadmodũ in cœno lutulentæ sues) persæpe uolutantur. Adde subitariam non nunquam mortem (quod est luctuosißimum) pulmones obstruente potu, incidere. Auicenna inquit phen tertia primi: Vehemens repletio in qualibet dispositione est pernecabilis, siue ex comestione, siue ex potu. Quot namq; homines superfluè se repleuerunt, & suffocati sunt. En candide lector, æquitatem tuam appello, si in pluscülos dies hic tam bellus & amœnus habitus porrigeretur, quis de furore, aut hoc etiam nequiore morbo dubitauerit. Quis non mallet perpetuo abstemius undam potitare, quàm ad eum modum uino madere? Profecto illud præstaret, nisi parum mentis quis habeat. Omnino insanus delirat, qui in alia est sententia, & flagitium tam inhumanum non uitat. Aetius uir in medicina celebris, inter manias ebrietatem annumerat. Mania, ait sine febri efficitur, plurimo sanguine incorrupto ad cerebrum fluente, interdum temperato, & exundantia tantum lædente, ut in ebrijs solet. Cambysem regem nimis ui-

Cambyses rex quid designauerit ebrius.

no deditum quũ admoneret ex charißimis unus, ut parcius biberet, turpem esse dicens ebrietatem in rege, quem oculi hominum, auresq; sequerentur. Ad hoc ille, Vt scias, inquit, quemadmodum nunquam excidam mihi, approbabo iam, & oculos post uinum in officio, & manus permanere commonstrabo: bibit deinde liberalius quàm alias capacioribus cyphis. Et iam grauis, & uinolentus, ac uiolentus obiurgatoris sui filium procedere ultra limen iubet, alleuataq; sinistra supra caput, staret. Tunc intendit arcum, & ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit, recisoq; pectore hærens in ipso spiculum ostendit, ac respiciens patrem, an satis certam haberet manum, interrogauit. Quæso te candide lector, nũ hoc clarũ et insigne facinus longe superet omnẽ uel atrocißimæ maniæ nequitiam. Lacedæmonij uiri sancti, quum uernas, mancipia ue inebriari contigisset, illos extrahi iubebant, & temulentos mensis sisti, in quibus ipsi patres cum liberis suis discumbebant: uti tenera, & incorrupta ætas à simili ingluuie absterreretur, quando horrenda hæc, & prodigiosa spectra tam pœnitendis modis delirare conspicerent. Magna profecto uirorum sapientia, qui exemplis uiuis primam iuuentutem erudirent. Dicibile non est, quantam potestatem habeat præ-

Lacedæmoniorũ mos.

Viua exempla quid poßint.

beat præsens obiectio eius flagitij, quod odio, et detestatione dignum existimatur. Efficacius, dico, permouent, ad nefarij sceleris fugam huiusmodi exempla, quàm sine his nudæ, quãtumuis elaboratæ uituperationes. In anniuersarijs olim, & solennibus pompis cum cæteris ridiculis, et formidolosis imaginibus Manduci effigies ire solet, grandibus inflatisq; buccis ac late dehiscens, ingentem quoq; dentibus sonitum crepans. Quo pueri tam fœdam, & inamabilem speciem contuentes ab ipsa crapula abstraherentur. Nec Galenus aliter in iræ (teterrimi uitij) odium peruenit. Is in libro de Propriorum affectuum agnitione, & remedio sic habet: Ego sane adolescens adhuc, quum hominem conspexissem ad fores aperiẽdas festinantem, postquàm res sibi parum cõmodè succederet, clauem mordere, in ianuam pedibus insultare, dijs conuicia dicere, oculos insaniẽtis instar, truces, ferinosq; ostendere, & spumam, ferè sicut apri, ex ore emittere, ita cœpi iracundiam odio prosequi, ut postea nunquam uisus sim propter ipsam impatienter dolere. Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Sed ad curationem propero, aut ad hac priorem, ac potiorem præmunitionem. Non nulla ab rerum naturæ peritioribus produntur, quæ abstrusa ui, & cæca proprietate

Manduci effigies.

Galenus iram auersabatur.

Vini odium gignentia.

mortalibus uini odium gignunt, & efficiunt, ne ipsius cupiditate moueantur, sed auersentur, ac fugiant. Sunt & alia, quæ admiranda facultate pollent, cauentq;, ne etiam liberaliter haustum, quicquam offendat. Quædam uero non occulta, sed manifestaria qualitate temulentiam abcent, aut ne ualidius hominem corripiat, obsistunt. Ex primo genere illud est, quod Iarcas indus apud Philostratum narrat: Vino, ait, abstinendum est pueris uestris, ita ut ne ipsum quidem concupiscant. Si qui igitur posthac nascentur filij, obseruare oportet, ubi noctua nidum faciat, & illius oua mediocriter elixata infanti comedenda præbere. Vinum oderit, & modestius deget. Clitorio etiam quicunq; sitim è fonte leuarit, uina fugit, gaudetq; meris abstemius undis. Hoc ferunt Melampodem clarißimũ medicum consanasse Prœti filias, & ad sobrietatem tẽperantiamq; reuocasse. Itidẽ præstare tradunt uinũ, in quo anguillæ sunt enecatæ, si bibatur. Democritus sanie dixit, uini, desideria aboleri, quæ putatis uitibus emanans, inscio temulento potui fuerit adiecta. Ex secundo genere braßica perhibetur, de qua nouum extat Catonis testimonium: Si uoles, inquit, in conuiuio multum bibere, cœnareq; libenter, ante cœnam esto crudam, quantum uoles, ex aceto, & ubi

Oua noctuæ generant uini odium.

Braßica aduersus ebrietatem

cœnaue-

cœnaueris, comesto alia quinq; folia, reddent te quasi nihil ederis, biberisq́;, bibesq́;, quantum uoles. Quis quæso non rideat tam facetum commentum? Alij efficacem contendunt, si elixa comedatur: sunt qui syrupum conficiant e succo candidarum, & granatorum, & aceto. Auicenna ait phen tertia primi: Syrupus ebrietatem tardans: succi alborum caulium pars una succi granatorum acrium pars una, aceti pars media. ferueant ebullitionibus aliquot, & sumatur uncia una ante claßicum poculare. Theophrastus braßicæ historiam texens, libro quarto inquit: Quædam non necant, sed succi, odorisq́; uiribus reddunt deteriora, ut braßica, & laurus uitem offendunt, olfacere quippe eam, & attrahere dicunt. Quamobrem germen quum illis propinquum fuerit, recedere atq; auerti, utpote inimicum fugiens odorem. Androcides exemplo hoc usus est, de medela contra uinum confecta ex braßica uidelicet, temulentiam posse propulsare. Quippe quum uitis etiam uiua odorem brassicæ fugiat. Hori præterea Aßyriorum regis inuentum dicitur, si hirundinis rostri cinis cum myrrha uino (quod bibitur) inspergatur, securitatem præstat. Qui crocum etiam ante cõgressum biberint, non sentiunt ebrietatem. Acini ederacei succum croci habentes, quum

Aßyriorũ regis inuentum.

præſumūtur, tutos ſeruant. Eſt in Syria oleum, quod elæomeli uocatur, ex ipſis oleis manans, ſapore melleo, ex quo in potoriam paleſtram deſcenſuri cyathum præbibunt. Quanquam & hoc, & quod de croco dixi ad tertium genus referri poſſet, in quo ſupputātur pinguia, oleoſa, & quæ in ſuperno uentriculi oſtiolo ſupernatantia, ueluti ſepimenta impediunt, ne halitus noxij undatim ferantur in cerebrum. Ariſtoteles ultimo Problemate tomi tertij: Cur, inquit, oleum ad arcendam uinolentiam ualet, ſorbitumq; præſtat facultatem bibendi? An quod urinam ciere poteſt, & uino hauſto uiam facit? Amygdala amara ebrietatem prohibere creduntur. Plutarchus narrat quendam medicū apud Druſum Tiberij Cæſaris filium comeſſari ſolitum, qui omnes bibendi certamine prouocabat, & nemini cedebat in uini potu. Is tandem depræhenſus eſt antequàm biberet, quina ſena úe amara comeſſe amygdala, quominus temulentia tentaretur. Porrò quum deuorare uetuiſſent, ne pauxillulum quidem in huiuſmodi potationibus reſiſtebat. Amaritudinis ſane uis humorem reſiccat, & depaſcit. Capparis præterea, & lentes, & olea, abſinthium, pecudum pulmones aſſi, panis bis coctus, halec ſalitum: in ſumma quicquid alligat, reprimit, reſtinguit, aſiccat, abſumit triſtia

Oleum arcet ebrietatem.

Amygdala amara contra ebrietatem ualent.

tristia efferuescentis meri eiaculamenta, mirifice conducit. Hippocrates ait libro quarto (si modo ipsius sit) de Victus ratione in morbis acutis: Allium flatum efficit, pectus calefacit, caput grauat, fastidium parit, dolorem qui antea infestare solebat, irritat, urinam ciet, atq; hæc est eius utilitas. Sed tum maximè succurrit, ubi quis uel potationi, uel ebrietati indulgere proposuerit. Præ cunctis uero saluberrimum in fuga consilium existit, ut huiusmodi potus sapientes uitemus, qui nimium ingesti hominē dementant, & cerebrum, principem illam corporis partem, in qua luxuriatur anima, & præcipuas suas, maximeq; diuinas functiones exercet, turpiter labefactant. Sic habet ille (qui præcellēter omnia) in libro de Sacro morbo: Sciāt homines solo cerebro nobis uoluptates, gaudia, risus ludi fieri, doloresq;, molestiæ, curæ, luctus, quo maxime sapimus, scimus, cogitamus, uidemus, audimus turpia, honesta, mala, bona, suauia, nō suauia dignoscimus. Quædā lege discernentes, quædam utilitate sentimus, quo uoluptates, nō uoluptates temporibus dignoscimus, quo hæc nobis placent, hæc nō, quo furore agimur, desipimus, timemus, metuimus, quædā per noctē, et somnia quædā per diem, non opportunè erramus, curamusq; non curanda. Quædam earum rerum,

Cerebri præcellentia.

quæ consistunt, ignoratione quædam desuetudine, & imperitia. Quæ omnia cerebro, quum non ualet, patimur. Sed quum suapte natura magis calescit, frigescit, humescit, siccescit, uel quid aliud præter naturam, & consuetum patitur. Præ humiditate quidem furore citamur, & insanimus.

Curatio.

Cæterum præsentem ebrietatem leuat uomitio, & eorũ quæ nequiter ingesta sunt, obscœna refusio. Aquam potitẽt. Ab hac enim ueluti contraria curatione auxilij ratio quæritur. Acetum quoq; abunde potum ad sobrietatem reducit.

Vinum defœcatũ magis inebriat

Nec illud latere debet, defæcatum uinum, & à suis fecibus defusum uiribus esse ualidius, sed ad sui conseruationem imbecillius. Quod tam bibentem facile permouet, quàm ipsum si quis diutius uolet asseruare, facile mutatur. Cuius sane ratio talis apparet. Quanto liquidius depurgata fece uinum efficitur, tanto redditur fugacius, & in omnes bibentis uenas penetrabilius: quo fit, ut omnem sanguinem celerius, magisq; incendat, ac mentem excutiat. Sed propterea promptius mutatur, nec genuinam uim retinet ac in uappam ocyus concedit, quia nullo firmamento nixum undiq; & ex occasione quamlibet leui ad iniuriam patet. Fex enim sustinendo uino, & alendo radix est, et stabilimentum, nec ab re uini mater nobis uer-

nacul◦

naculo ſermone dicitur, quaſi nutrix, & altrix ipſius ſit, ſi ueteraſcere debeat. Ebrij cornu ceruinum, aut uerbenacæ rectæ ſemen, aut centaurij minoris decoctum bibant. Viriles ipſis globuli linteo inuoluantur ex aceto & roſacea madido. In ſilenti cubiculo dormiant. Hieram bibāt cum ſucco granatorum, & ſcammonia. Cibentur lentibus, braßicis, pullaſtris, pipionibus, lactucis, intybo, ſpinachijs, uuis acerbis, baccis oxyachantæ (quas uulgo dicimus ſteke beſijen, aut doren appelen) & id genus alijs refrigerantibus. Galenus ait: uinum ſuæ ſubſtantiæ copia neruis conuulſionem adfert, rurſus autem qualitate ſua ſanat eam, quam fecit diſpoſitionem, neruos calefaciendo, atq; exiccando, & ſi hoc aliquando facere nequeat, mortem ſubſequi neceſſe eſt. Ex quo eulogio Salernitanum illud deſumptum reor. Si tibi ſerotina nocet potatio, uina hora matutina rebibas, & erit medicina. Atq; hoc ipſum eſt, quod populariter dicitur: ex eodem criniculo petendum pharmacum. Fugiant lac, lactaria, ſaccharata, mellita, & bellaria quæuis. Sales Manethonis regi Ptolomeo oblati bonam cōcoctionem faciunt, corpus corroborant, amabilem colorem conciliat, caput ſingulariter confirmant, & aduerſus temulentiam potenter muniunt, in hunc modum conficiuntur: ℞ ſemi-

Populare dictum.

nis pastinacæ, ameos ana ℥.j.hyssopi, thymi an̄ ʒ.iiij.origani, pulegij, cymini, silphij, costi an̄ ʒ. ij.salis tosti ℥.iij. Quibus non fuerit inutile addidisse seminis braßicæ, napi ana ʒ.iij. Capiti infundatur oxyrhodinum, & mox ab hoc adhibe chamæmelinum, & susinum. Deinde perluatur formentis discutientibus, in solium quoq; descendant, ac sensum commoueantur. Ipsa protinus tormenta auferunt folia braßicæ in calidam demersa, & fronti alligata, aut corolla nectatur ex binis polygonijs ramulis, aut ex recentibus rosis, ex callitricho ex uerbenaca, cichorio, plantagine, ex floribus & teneris caliculis uiticis: polygomo leuigato ex lactis cremore caput sub uesperam inungito, ac superponito leporis pellem, sicq; in crastinum sinito. Hippocrates libro secundo de Morbis, sic habet: Si quis temulentia repēte mutescat, quem si statim febris corripiat, sanescit: sin minus, tercianarius perit. Quum sic habentem nāciscceris, multa calida lauato, capiti spongias aqua calida tinctus dato, cepam purgatam naribus admoueto. Qui si oculos retendat, aperiát ue, loquatur, resipiscant, non delirat, soporatus eo die iacet, postero sanescit. Et sequitur: si stans bilem uomat, furit, quintoq; die plerunq; perit, nisi dormiat. Cui hæc facito, multa calida do-

calida donec resipiscat, lauato: deinde multo oleo linito, mollibusq; stratis reclinato, plurimis stragulis tegito lumẽ, nec qui loquatur, sit: nam plerunq; post balneũ dormitur, quod si faciat, sanescit. Si resipiscat, tres primos dies, quatuór ue milium tenue, ptisanæ úe succum sorbeto, dulceq́; uinum potato, deinde cibis mollibus, paucisq́; primum utitor. Libro tertio sic habet: Quum grauis capitis dolor derepente per exordia mutum facit, præsertim cum temulẽtia fiat, septimanus hic perit, quod minus temulẽtis euenit, uti muti pereant. Qui si primo, secundo, tertió ue die loquantur, sanescunt, quod ferè temulenti faciunt, & neutri pereunt. Quos ualde sternuere facito, cumq́; his, quæ ualde bilem agunt subluito. Qui si resipiscant, sentiánt ue, tapsiæ succum cum multa aqua calida liquefactum dato, uti quàm primum uomat, septem postea dies emaciato, uinumq́; ne dato, sanguinem de lingua, si uena reperiatur, mittito.

CAPVT VIGESIMVM-primum de Vertigine.

Vertigines proximæ sunt morbis comitialibus, et ijs quos apoplexias nominant. Vertiginosis accidit, ut omnia circumagi exi- Signa.

ſtiment, & ſe quadam rotatione corripi. Quem admodum ebrijs, & multo uino madentibus uſu uenit. Vt non nunquam, ſi uehemens fuerit impreßio, in terram concidant: aut quum eſt mitior, in parietẽ, aut fulcrum aliud forte fortuna obiectum procumbant, quo ſe in pedes ſuſtineant. Naſcitur hic affectus ex uaporibus ac fumis in capitis ſpecu ex imbecilli calore generatis, aut ex ijs aliunde in id ſubeuntibus, qui ſpiritibus uiſiuis cõmiſti, quũ ab aliquo uel extrinſeco uel intrinſeco agitantur, & commouentur, agitati, ac cõmoti digeſtionẽ quærẽtes horſum uorſum trãſcurſant, & in gyrum uoluũtur, ſecum trahentes conſortij lege animales ſpiritus, quibus infuſi ſunt. Quamobrem & uiſus fallitur, & ſenſus communis turbatur, iudicantes mutare loca, quæ foris immota conquieſcunt. Atq; id accidit, quia ipſimet ſpiritus uehicula ſpecierum uiſibilium uacillant, tremunt, diſcurrunt. Iam hi uapores, & opacæ nebulæ quando feruntur ſupra oſcula opticorum neruorum, quos neq; incidẽtes plane obturãt, oboriuntur nõ tenebræ, ſed tenebricoſæ lucis obſcuritates. Quũ uero obiter obnubũt neruos motui obſeruiẽtes, nõ tamen preßius illabuntur, ſed prætermeant ueluti titubantes, momentanea ruina, aut quædam in hanc deuergentia ſuperuenit. Halitus hi aut

Cauſæ.

ex ſan-

ex ſanguinis copia prodeunt, aut ex humoris frigidi, ac lenti exuberantia, aut ex alterutra cholera quum ſuperfluit. Affectus ipſe quando proprius eſt, tum in membranulis, & in cerebri uaſis noxia materia continetur, quando ex conſenſu eſt, tum (quod nemo neſcit) aliunde adreptat. Archigenes libro primo de Longarũ affectionum notitia (atteſtante Galeno) dixit aurium ſonos, & capitis dolorem, grauitatemq́; præcedere, ubi ex primario cerebri uitio uertigo dependet, item olfactus, atq; alterius cuiuſq; ſenſus oblæſionem. Eos ſenſus ſignificare uolens, qui à capite initium ſumunt. Vbi uero ab ore uentriculi oritur, (hic enim præ alijs triſtius uaporat) roſionem ſtomachi (quam cardiogmon Græci uocant) ſimul et nauſeam præſentiunt, et circa ciborum concoctiones, oculos etiam hebetudines occupant, & tinnitus aures, & quum à ſomno, aut ubi cruditate quapiam præcedente ex ſede repente conſurrexerint, inſpectantibus cuncta conuerti uidentur. Cæterum agitantur, & commouentur, quum ob aliquam cauſam caput inceßitur, ueluti ſub Sole æſtuantes, aut quum quempiam ſe crebro circumuertentem aſpectant, aut celerem rotam circumuolui, aut uerſatiles turbines impelli, aut pernices nubes prouolare, aut contortos aqua-

Cauſæ procatarcticæ.

rum uortices protolli, aut aliud quippiam concitatius rapi, & in gyrum, circulúm ue torqueri contuentur. Siquidem animalis spiritus has circumuolutiones celeri motu in appræhensione sequitur, & ob celeritatem in tenuibus angustisq; cerebri canaliculis turbantur, raptantur, tumultuantur, & ipsi sibi festinantes occursant. Vnde facultas corporis gubernatrix concutitur, & consternatur, atq; incidit uacillatio. Etiam laborem hunc calor excipit, calor autem in humore uapores excitat. Nec minus improsperum cedit, quum properanter semet circumagunt, quum caput in terram proclinant, quum è sublimi specula in profundum despiciunt, quum in tergum uiolentius percutiuntur, quum temerariæ caluariæ illapsu priores cerebri uentriculi prægrauantur, quum ualido tubarum clangore, quum horrendo intonantis cœli fragore, quum inexpectato bellici tormenti excussu perterrentur. Vertiginosos in ipsa statim accessione medicamẽtis, quæ odore permouent, suisq; defluuijs caliginosos spiritus discutiunt, excitare conuenit, item frictiones adhibere, & musculorum capita in partibus extremis diligenter funiculis iniectis uincire. Mox ab ipso paroxysmo, aut si morbus percurandus est, sanguis mittatur: si copiosus, exuberat. Id palàm innotescit,

Causæ.

ex floru-

ex florulento corporis habitu, ex rubore faciei, ex arteriarum in temporibus pulsu, ex calore frontis, ex uenarum tumore, ex dulci oris saliua. His igitur confestim (si nec ætas, regio, tempus, uirtus reclamabunt) cephalica fodiatur. Et quia morbus ipse diuturnus est, nec ulla indiget festinatione, non erit alienum per interualla sectionem partiri, præsertim quum propter capitis imbecillitatem, non licebit iustam & magnam satis copiam uniuersim, atque uno ductu extrahere. Quod si hæmorrhoides cõsuetis ita purgari nihil reddunt, nec muliebris uacuatio in menses apte decurrit, omni ingenio adnitendum erit, ut hæ uenulæ resoluantur, aut phlebotomia primitus in pedes cadat. Postea ex nariũ epistomijs sanguis ducatur, quod in morbo hoc singulare præsidium existimamus, aut frontis uena aperiatur. Galenus ait: Non nulli ab arteriarum sectione auxilium petierunt, arterias pone aures ad tantam scilicet altitudinem secantes, ut inter duas partes cicatrix induceretur. Sed constat, non omnes huius auxilij beneficio fuisse curatos, etenim aliæ arteriæ ijs maiores ad cerebri sustentamentum per retiformem uocatam membranam ascendunt, per quas huiusmodi affectionem fieri consentaneum est, elato per ipsas calido uaporosoq; spiritu. Postea cu-

curbitulæ cruribus, natibus, interſcapilio, atq; etiam occipitio cum ſcarificatione affigantur. Sincipiti oxyrhodinum infundatur, aut in ſpongia, aut in ſuccida lana. Aluus clyſtere molliatur, neq; inſalubre fuerit eam leuiculo pharmaco deieciſſe. Pedes fricentur & abluantur decocto florum chamæmeli, meliloti, roſarum: naribus algifica ſubijciantur, cum non nulla digerendi facultate præditis. Cibus ſit facilis concoctionis, neq; multus, neq; ſanguinis multum gignẽs: ſtypticis & aßiccantibus condiatur, ſucco granatorum, arantiarum, citrei, coto neorum, omphacio. Fugiant lac, caſeum, oua frixa, iuglandes, caſtaneas, cepas, raphanum, ſinapi.

Curatio ex pituita.

Si ex pituita infeſti uapores exundent, cuius indicia ſunt, mollis corporis habitus, & ipſius ad motum pigrities, capitis ponderoſitas, aurium tinnitus, & fragor quidam in ipſis, ceu aquarum uiolenter decurrentiũ ſonitus, faciei color albus, oris multa ſaliua, nariũ muccus, oculorum lippitudo, ſomni prolixitas, & in eo imbrium, flatuum, ac tempeſtatum formidines. His ab initio decoctum centaurij, & ſylueſtris cucurbitæ ſubijciatur. Nec eorum mihi ſententia admodum placet, qui in principio ſuadent clyſteres minime acres infundere. Quippe lenti omnes, craßiq; & frigidi humores ab ijs, quæ calefaciunt

Humores frigidi flatulenti.

calefaciunt, nisi etiam ualenter digerant, liquantur, ac in flatum mutuantur. Mox propinandus est syrupus aut calamynthæ, aut marrubij, stichadis, è radicibus, hyssopo, oxymel scylliticum. Aut paretur aposema pro hac forma: ℞ hyssopi, thymi, samsuchi, betonicæ ana p. j. radicis inulæ, acori, pæoniæ ana ʒ. iij. seminis anisi, fœniculi, carei, seseli ana ʒ. j. centaurij, absinthij romani, rutæ, stichadis ana. p. ß. mellis anthosati ℥. iij. coquantur, & huius decocti sumat bis quoq; die uncias quatuor, aut quinq;. Post coctionem catharticum exhibeatur, & glutiat pilulas coccias, aut fœtidas agarici, sarcocolæ, ueratri, in hunc modum: ℞ pilularum aggregatiuarum ʒ. j. trochiscorum alandal grana. iij. fiant quinq;. Aut ℞ pilularum è hiera ℈. ij. agarici trochiscati ℈. j. diagridij grana. iij. formentur septem. Aut ℞ pilularum elephanginarum, ellebori ana ʒ. ß. salis gemmæ grana. ij. Compositio alia insignis efficaciæ, & potens hunc affectum radicitus tollere, caput ualidum efficiēs, & sensus omnes mirifice corroborans: ℞ nucis myristicæ, cubebarum, caryophyllorum, xiloaloes, masticis ana ʒ. j. cardamomi, spicæ, seminis maioranæ, rutæ, pæoniæ, seseli, zyngiberis, asari, piperis ana ʒ. ß. agarici electi ʒ. iiij. colocynthidis ʒ. iij. myrobalanorum chebularum confe-

ctarũ ℥.ij.ſagapeni,ellebori aã ʒ.j.ſalis gẽmæ, nitri ana ℈.ſ.aloes hepaticæ ex ſucco braßicæ duplũ totius,aggregentur,cum benedicta laxatiua in formam pilæ,& ſeruetur uſui. Auicenna inquit phẽ prima tertij, Solutiua facilia ad purgandum caput ſunt aſſaieret,ex quibus ſumitur pilula magna,ut paruum pondus operationem efficiat ſufficientem cum mora,& non noceat propter paruitatem ſuam iteratio,& dormiatur ſupra ipſam,ne destruant motus & uigiliæ operationem eius. Si catapotia horreat,exhibeatur uncia ſemis hieræ picræ cum decocto abſinthij,aut tantundem hieralogodij cum aqua marrubij,aut diaphœnicum , diaturbit,diacarthamum , pro hac forma: ℞ diaphœnici,electuarij indi ana ʒ.iij.diagridij grana.iij. Aut ℞ benedictæ laxatiuæ ℥.ſ.elaterij granum unum,aut duo cum aqua,ſeu decocto betonicæ. Ab hac purgatione ſub crepuſculum diei , ubi cibus erit concoctus,& prope ut digeratur,accipiat drachmam Mithridati,aut theriaces,aut duas drachmas conſeruæ anthos,meliſſæ , ſtichadis,acori aut diamoſchi,diambræ , diacalamynthæ,dioſpolitici,cuius deſcriptio eſt apud Galenum libro quarto de Tuenda ſanitate: ℞ cymini,piperis,rutæ,ana ʒ.j.nitri ʒ.ſ.excipiantur cum melle deſpumato,inula ex melle magnifice conducit my-

cit, myrobalanus condita, nux moſchata, calamus odoratus, zingiber, diatrium pipereum, dia carpeſium. Aut pro hac forma cõficiatur eclegma: ℞ conſeruæ acori ℥. j. conſeruæ anthos, ſtichadis ana ℥. ß. corticis citrei conditæ ʒ. vj. zingiberis uiridis, inulæ conditæ ana ʒ. iij. ſpecierum diambræ, diacinnamomi ana ʒ. j. cum ſyrupo calaminthæ concorporentur. Aliquando (inquit Galenus libro ſecundo de Cõpoſitione pharmacorum ſecundum locos) adeo uehementer in anguſtijs meatuum flatus uaporoſus infarcitur, atq; eo adhuc magis uiſcoſus, ac craſſus humor, ut multo tempore opus ſit ad curationem: etenim quæ ſic infarta ſunt attenuare oportet, meatusq; dilatare, per quos excernantur. Sincipiti ergo infricetur oleum laurinum, coſtinum, rutaceum. Conferunt aſpergines ex decocto maioranæ, pulegij, uerbenacæ, chamæmeli, ſertulæ campanæ, ſenæ. Aut ſacculus concinnetur pro hoc modo: ℞ florũ chamæmeli, meliloti, anthos, ſtichadis añ. p. j. betonicæ maioranæ, frondium lauri ana. p. ß. milij toſti, furfuris macri, ſalis arefacti añ. p. j. caryophyllorum, maceris, xiloaloes, cinnamomi ana ℈. j. ladani, ſtyracis, benzoi ana ʒ. j. conterantur, & fiat ſacculus interſutus. Auribus indatur oleum caſtorei, ſpicæ, roriſmarini, rutæ. Sternutamenta conciten-

tur cum semine ozimi olfactim per nares attracto, nec minoris est efficaciæ ipsa herba. Odorent nigellam, peganum, mentam, thymum, cunilam. Naribus inijciatur succus anagallidis, ciclaminis, betæ, eut elaterium ex lacte. Masticent pyrethrum, tarcum, agaricum, struthium, & alia quæ saliuam mouent. Aut ℞ agarici ʒ. ij. pyrethri, staphisagriæ, struthij, zingiberis, mastiches ana ℈. j. cum oxymelle scyllitico, aut enucleatis passulis aggregentur in formam cicerum, & masticentur, à masticatione, aut inter masticandum pituita liquefacta diligenter expuatur. In hunc usum utilis est & hic gargarismus: ℞ hyssopi, cunilæ bubulæ, rutæ, ana. m. ß. glycyrrhizæ ʒ. ij. passularum mundatarum ℥. j. radicis iridis recens erutæ, pæoniæ, pyrethri ana ʒ. j. sinapi, staphisagriæ, zingiberis ana ʒ. ß. mastiches ℈. ij. coquantur, & decocto adde mellis rosati ℥. iij. Aut ℞ pyrethri ʒ. ij. sinapi ʒ. j. ß. seminis pæoniæ ʒ. j. radicis acori ʒ. iij. contundantur, et ferueant in duabus, tribus úe libris aquæ, & adde colaturæ syrupi è prasio ℥. iij. oxymellis scyllitni ℥. j. In aëre uersentur calido & lucido, loca fugiant humida, uliginosa, subterranea, frigida, obscura. Haustrinos flatus meminerint inimicos, lunares quoq; radios, ac phœbeos, diurnum somnum, omnemq́; prolixum, exercitia laboriosa,

Dieta.

boriosa, potißimum in quibus caput in terram proclinatur. Galenus ait libro quinto de Tuēda sanitate: quos ex leui causa uertigines (scotomata Græci uocant) comitiales morbi, grauis ophthalmia, uel auriū dolores male habent ijs, inclinato capite, dorso úe, aut humi uolutatis exercitari non expedit. Imò tum ambulatione sæpe, tum cursu mediocri, tum gestatione in uehiculis citra fatigationem uti. Cibus nullum negocium exhibeat stomacho, calidum præbeat sanguinem, celeriter digeratur, nusquam obhæreat. Ex olerum genere uitent lactucas, spinachium, atriplicem, portulacam, intybum. Ex fructibus cerasea, mora, persica, melones, cucumeres, citrulos, cucurbitas. Vinum bibant tenue, non resinatum, non fumosum. Potus parari potest in hunc modum commodißimus: ℞ mentæ, maioranæ ana. p. j. radicis iridis, calami, zingiberis, nucis moschatæ ana ʒ. j. seminis anisi, fœniculi, carei ana. p. ß. glycyrrhizæ ʒ. iij. mellis electi ℥. v. bulliant in aquæ libris octo secundum artem, & excolato utātur. Si cholera maleficium gignat, & ex ea infestæ fuligines consurgant: quod non obscuris notis colligere licebit, siquidem ijs & gracilentum est corpus, & hirtum, & ad motiones impigrū, frons calida, nares aridæ, spiritus oris feruidus, saliua amara, multum uigilant, in

Curatio ex bile.

cendia, fulmina, & tempestuosas contentiones somniant, animo sunt præsenti, ac intrepido. Quibus nisi admodum pauci sanguinis sint, ex re fuerit externam secuisse in flexura brachij. Ab hac sectione scapulis, & occipitio cucurbitulæ affigantur. Aluus si astrictior erit, clysteribus eluatur, aut balanis irritetur. Deinde syrupis, et potionibus concoctio procuretur, in hũc modum: ℞ syrupi uiolarum ℥.iij. acetosi simplicis ℥ j. Aut ℞ syrupi nenupharis, rosarum ana ℥.ij. aut iuleb apparetur: ℞ aquæ acetosæ, farfaræ ana. ℔. ß. conseruæ florum intybi ℥.ij. conseruæ buglossi ℥.j. à modica ebullitione frigefactum coletur. Aut ℞ hordei. m. j. endiuiæ, lactucæ ana. m. ß. petroselini. p. j. coquantur in aqua, & adde colaturæ syrupi cichoreæ ℥.iij. papaueris ℥.j. Vbi ex lotio, & non nulla remissione symptomatum concoctio significabitur, purgatiuum pharmacum propinetur: quale est rhabarbarum, manna, caßia, myrobalani, pruna, capnium, aqua lactis, diaprunum simplex, diaphœnicum, oxyphœnicum, electuarium è succo rosarum, è psyllio. Aut in hunc modum: ℞ fumiterræ. m. j. florum uiolarum. m. ß. hordei ℥. j. glycyrrhizæ ʒ. iij. passularum mundatarum ℥. j. prunorum numero. x. fiat decoctio, in huius decocti uncijs quinq; macerentur tamar

Indorum

Indorũ ℥.ß.rhabarbari ʒ.j.agarici ʒ.ß.ſpicæ, zingiberis añ grana.v.expreſſum propinetur, aut adde diapruni ſimplicis ℥.ß.capiti infunda tur oxyrhodinum,& mox chamæmelinum,ane thinum. Naribus trahant oleum uiolaceum cum ſucco lactucæ,aut lacte fœmineo. Gargariſſent aquã ſolani,ſeu tribuli cum ſucco granatorum. Pedes lauẽt decocto ſalicis,maluæ,pampinorũ. Vitent cibos calorificos,uehementes labores, æſtũ ſolis,balneũ,uinum,uenerẽ,fumũ,ignem, graues,acresq; odores. Si atra bilis uitium pariat, non erit caput ſine manifeſta grauitate, frons tenſa, oculi ſicci,exiles arteriarum pulſus,multæ uigiliæ,imaginationes laruarum,& ſimulachrorum terribilium, cogitationes corruptæ. His in primis offerantur ſyrupi e fumoterræ, boragine,circio,bizanzijs, epithymo, aſpleno. Deinde uacuentur cum dia ſena,& elle bori pilulis. Caput perfundatur oleo roſaceo, & chamæmelino,anethino,ſuſino. Sumant con ſeruam anthos, meliſſæ,mithridatum, theriacam,fugiant melancholicos cibos,et triſtes ani mi affectiones. Vinum bibant dilutum, aut hydromel. Si ex uentriculo affectus prodit, quod quidem perſæpe contingit. Nempe Galenus ha bet quarto libro Aphoriſmorum Hippocratis commento decimoſeptimo: Vertigo eſt,quando

Curatio ex atra bile.

Curatio ex uentriculo prodeuntis

simul uidentur circumuolui, hoc est, circunstantia moueri, quæcunq; conspicimus, & sensus uisus repente destruitur, quum uideantur tenebræ circumfusæ. Fit autem hoc, ore uentriculi à malis humoribus morso. Nam propter neruorum magnitudinem, qui ad ipsum à cerebro ueniũt, hac parte patiente, animæ opera detrimentum patiuntur. Vomitus (si quid aliud) ijs cumprimis confert, quem pulchre concitant, semen anethi, genistæ, atriplicis, raphanus, scylla, ueratrum, mel, oleum, butyrum, aqua egelida, seu tepida. Id tamen remedij maiori cum emolumento ijs adhibetur, qui ex consetudine facile uomunt. Humor si uiscidus est, tenuetur, & incidatur, syrupo è marrubio, hyssopo, è radicibus, melle rosato, oxymelle scyllitico. Deinde pilulas uorent coccias, aggregatiuas, elephanginas, agarici. Aut bibant diaphœnicum, diacarthamum, benedictum, hieras. Caput diligenter corroboretur, ne obnoxium iniuriæ statim afficiatur. Pedes fricentur, ac lauẽtur decocto saluiæ, rorismarini, lauri, ederæ, ebuli. Stomachus ungatur nardino, masticbino, mentæ, absinthij. Aut apparetur scutum: ℞ olei cotoneorum, mentæ añ ℥. ß. emplastri stomachalis ℥. j. specierum aromatici rosati, diagalangæ añ ʒ. ß. galliæ moschatæ ℈. j. cum cæra extendatur supra alutam.

Ab epulatione sumat diacydoniten cum specie bus. Si bilis in uentriculo ebullit, necessaria est, nedum utilis reiectio. Hippocrates ait: Si quis febrem non habens abstineat à cibo, & cordis morsum, seu uertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, purgatione indigere per superiora significat. Iam ne in uentriculum humor is plurimum confluat, tempestiuius cibum exhibere oportet, malum hoc mirifice exasperat inedia. Conducunt acida, atq; acetosa, succus granatorum limonum, arãtiarum, citrangulorum, ribes, uuæ acerbæ. Auicenna inquit phen prima tertij: Quum corpus cerebri uis confortare, & prohibere humores cholericos ne à stomacho ad caput ascendant, & ab eis, quæ sequuntur ipsum. Oportet tu ipsum cibes fructibus acetosis, & granatis acetosis, & pomis, & pyris, & agresta, & proprie post cibum. Crebro utantur conserua rosarum, florum cichoreæ, ceraseorũ nenupharis & diarhodo Abbatis. Purgentur caßia, manna, rhabarbaro, capnio, diapruno, oxyphœnico. Si quod aliud membrum noxam afflat, hepar, lien, loci, aut uermium copia, primigenium uitium, primitus tollatur, deinde capiti succurrendũ.

CAPVT VIGESIMVMSE-
cundum de notitia Comitialis.

Comitialis multis nominibus appellatur.

MVltis nominibus hunc morbũ multi medici appellauerunt, et suam cuiq; appellationi causam dederunt. Non nulli sacrũ dixerunt, quòd quid diuinius sacratiusq; cæteris habeat. Quibus nõ sine stomacho Hippocrates in sensus apertè reclamat: Mihi, inquit, hi homines qui hoc malũ primi cõsecrauerunt, fuisse uidentur, quales nũc sunt circulatores, expiatores, excantatores, ostentatores, arrogantes, talesq́; homines, qui se sanctos, religiososq́; admodũ fingunt. Siquidẽ mãdabãt ijs, marinis piscibus, mulo, melanuro, mugilli, anguilla, tãquã incõmodis abstinerent. Carnibus uero capræ, cerui, porci, suis, auibusq́; his, pullastris, colũbis, turturibus, auritis. Holeribus autẽ mẽta, cepa, allio, nihil enim acre nõ ualenti cõducit. Vestimentum præterea nigrũ ne uestirent, nec in caprino corio cubarent, nec pedẽ gestarent, super alterũ, manúmue supra alterã. Quæ cuncta diuino prætextu proponebant. Dicebant præterea, si capras imitentur, balent, mugiánt ue, uel in dexteram conuellantur, Matrem deorum esse causam. Si uero grauius, contentiusq; clament, equo comparantur, Neptunumq́; auctorẽ esse uolunt. Sin autem

Sacer morbus.

quid ole

quid oleti compareat (quod sæpe morbi'ui plerisq; cadit) nullum tortuosum nomen ponitur. Si uero tenuius, crebriusq; gallinæ modo demittant, Apollo Nomios auctor est, Si spumam ore mittant, calcibusq; terram feriant, Mars causam habent. Si qua somnia, terrores, metus, cæteraq; talia per noctem in cubili patiantur, siue ex eo fugiant, & exiliant, Hecates insidias, & heroum insultationes dicunt esse. Quum hic morbus pituitosis fiat, & non biliosis, qui si diuinior, sanctiorq; cæteris esset, omnes æquo modo corriperet, nec pituita, bilis ue discrimen faceret. Hæc ueteris medicinæ parens Hippocrates. Ast alij malum hoc existimant sacrum, quod in capite nascatur, domicilio ac sede diuinæ mentis. Nec desunt, qui hanc appellationem in affectus magnitudinem reijciant: Quemadmodum Homero, piscis sacer dicitur, & Vergilio Auri sacra fames, medicis quoq; sacer ignis, & in posteriore homine os sacrum, quod sub spina magnum incipit, qua parte uertebræ finiunt. Hippocrates etiam aphorismo nono particulæ sextæ Epidemiarum ait, à quartana correpti, magno morbo non capiuntur. Alijs præterea dictus est comitialis, quoniam ijs interdum accideret, quibus in comitijs suffragia negabantur, pudore, simul & indignatione consternatis. Aut

Homero piscis sacer.

quòd comitia uitiare uideretur, ea nimirum intermittebantur, quo die aliquis concidisset, Serenus cecinit:

Est morbi species subiti, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia iusta recusant.
Sæpe etenim membris acri languore caducis
Consilium populi labes horrenda diremit.

Herculeus morbus. Sunt qui Herculeum nominent, aut eo quia uexatus est Hercules, attestante Aristotele in Problematibus: aut quod inuictus sit, & difficulter superabilis, qualem fuisse Herculem prædicant. Pedicus. Puerorum affectio, pedicus úe ob id nuncupatur, quia pueros: utpote imbecilles, plærunq; capiat, Epilepsia. Epilepsiam Græci dicunt, quod sensus capitis, & præcipuas animi functiones intercipiat. Lunaticus. Lunaticus non nullis scribitur, quoniam interlunio natis frequenter incidit. Serenus habet:

Hunc quoq; commemorant dubiæ per tempora lunæ,
Conceptum talem, quem sæpe ruina profudit.

Sed hæc tam curiosa nomẽclatura, etsi non omnino superuacua uideri poßit, parum tamen in rem conducit, ea neminen seruauit unquam. Præstat ergo ipsum malum succisis infrugiferis preßius scrutari, ac diffinire, Quid Comitialis. quod subita sit totius corporis conuulsio, qua homo instar mactatæ pecudis,

tæ pecudis, in terram sternitur, quamq; ualida sequitur noxa sensus, atq; intellectus, quorum omnium color est reditus. Neq; potest diutile ipsius materia in maleficio propterea hærere, quia in principe membro, & primaria uitæ regione conflictus committitur, ut necessum sit eam protinus uictam exturbari, aut uincentem ipsam properiter interimere. Verum interposito tempore atq; eo non nunquam breuiore, interdum etiam longiore recurrit. Et proprium hoc ex obseruatione is morbus habet, quum humidior est materia, tum increscente luna, quum uero frigidior, tum ea inclinante recrudescit.

Huius mali tres differentias Galenus constituit. Aut enim statim nascitur in ipso cerebro, & ipsi proprium ascribitur. Aut aduenticium est, & ab ore uentriculi (quid stomachum Græci uocant) lege consortij superuenit: tertium genus, quum ab externa aliqua corporis parte, cui noxium quid transscribile insidet, originem trahit. Tale inquit Galenus primum uidi in puero, qui tertiumdecimũ ætatis annũ agebat. Quum equidem adolescens etiamdũ, cum optimis eius tempestatis medicis conuenissem ad idoneam ipsius curationem inueniendam: audiui tum narrante puero dispositionẽ ipsam à crure initium capere, mox illinc recta ascendere per femur, et

Tres species comitialis.

imminentes illi lumbos, ac per latera ad ceruicem, donec ad cerebrũ perueniret, quod quum primum tangeret, ipsum haud quaquam sibi constare. Interrogantibus autem medicis, quale esset id, quod ferebatur ad caput, nihil habuit puer, quod responderet. Alius deinceps adulescens compos mentis (quippe qui satis poterat & sentire quod fiebat, & alteri enarrare) dicebat ueluti frigidam quandã auram esse, id quod ascẽdebat. Vnde ex duobus alterum Pelopi præceptori placuit, aut quod qualitas quædam alteratis per communicationem partibus, aut spiritualis quædam substantia trãsmitteretur. Neq; mirandum esse dicebat, tam ualidam uim esse humori, qui in affecta parte præter naturam genitus esset, ut perniciosarum ferarum uenenis posset comparari. Cæterum differẽtijs ipsis hoc accidit commune, quod in unaqualibet ipsum cerebrum offendatur. Quocirca quanto nixu ualet, offensionis materiam proturbat, instar uentriculi sese ad reiectionem commouentis, quum uel à ciborum mole grauatur, aut ab eorum prauitate eroditur.

Causæ. Causæ morbi multiplices sunt, quem non nunquam multa sanguinis copia gignit, sæpe exundantia phlegmatis, nec rarenter melancholici succi multitudo, & est, quando ab humore perniciosa

niciosa qualitate prædito excitetur. Hippocrates ait in libro de Flatibus (uideor mihi operæprecium factitare, si non tantum nuda annotatione locos indicem, quibus grauis quispiam auctor id agit, quod nos tractamus, sed ipsius etiam uerba, & quomodo sententias dixit, plenius denarrem) Sacrum morbum, comitialém ue sic fieri dico: quum spiritus multus per corpus totum & sanguinem currit, & miscetur multifariàm, uenæ sepiuntur, & obturantur: quumq; spiritus multus, aër úe crassas uenas, multiq; sanguinis perrupit, & petiuit, illicq; remansit, sanguis prodire, & discurrere prohibetur. Hac quidem permanat, hac uero languide, ac tarde prodit, hac celerius. Dissimili iam uia per corpus facta, dissimilitudines iam multæ fiunt. Corpus enim undiq; totum contrahitur, & afficitur, partesq; corporis sanguine huic turbæ, & commotioni subministrante perturbantur, sanguinisq; diuersatione, corporis undiq; diuersationes fiunt, temporeq; hoc sine rerũ omnium sensu sunt, surdi eorum, quæ dicuntur, cæci eorum, quæ fiunt, doloresq; nullos sentiunt.

A cholera uero hic affectus rarissime gignitur, qui à pituita plurimum, quod uidere est in animantibus huic è natura uehementer obnoxijs, in ouibus dico, & capellis: nam si quis ca- *Cholera comitialem raro gignit.*

rum capita dissecet, humidum cerebrum, et muccosum, olidumq́; comperiet. Cum attonito magnam habet similitudinem, si causam libeat, ipsiusq́; causæ operationem expendere. Hoc interest, quod in apoplexi maior est, magisq́; pertinax obstipatio. In omni etiam epilepsia (quod in attonito non fit) cerebrum se contrahit, ac totum corpus conuellitur aut leuiter, aut acriter, prout morbi omnes maioris & minoris rationem suscipiunt. Ipsam porrò contractionem non efficit obstructio, sed tristis sensus pestilentis obiecti. Quale (id undecunq; obrepat) quum membranulas, sensilesq́; particulas cerebri, & ipsum quoq; cerebrū pungit, stimulat, lancinat, protinus percussum contrahitur, sese colligit, et nerui omnes in stirpem reflectuntur, hæc reflectior miram corpori concußionem parit, qua concußione animans in terram sternitur. Hic quis fortaßis rogauerit: an cerebrum per se sentiat? Difficilis est huius quæstionis enucleatio, propter auctorum, qui eam pertractant, dissentionem. Galenus in ea deprehenditur hæresi, quod quum omnis sensus principium sit, æquum esse ut eo minime careat. Quippe quod cæteris in causa est, ut sint talia, maxime tale esse, est necessarium. Quasi aliud alij aut potestatem, aut naturam, aut actionem, aut qualitatem eam communicare

Comitialis ab attonito differentia

Cerebrum ne sentiat.

munica re

municare ſeu infundere queat, quam ipſum non dum receperit. Neruis prætereа ſimillimum eſt, aut potius quia nerui cerebro aßimiles ſunt, organa ſeu inſtrumenta ſenſuum deſignantur. Eiuſ dem enim cum illo ſubſtantiæ ſunt, ſiccitate uero & craßitudine tantum diſcrepant. Quemad modum fila ex appenſo in colu lino quæ nẽtur, ipſius lini ſubſtãtia ſunt, octauo de Vſu partium habetur, Omnes ſenſus recipit, omnes phantaſias phantaſiatur, omnes intelligentias intelligit. Quod enim facile alteraſcit, in omnibus huiuſmodi operationibus, et paßionibus idoneum eſt maximé, facilius autem alteratur, quod mollius eſt, quàm quod durius. Et libro de Plenitudine ait: Ex oßibus quædam ſenſu carere uiden tur, ad hæc adeps, & quædam glandulæ, prætereа medullæ omnes ex inſenſibilium numero cen ſentur. Cerebrum tamen, & ſpinalis medulla quibuſdam auctoribus ſenſu fruuntur. Locis tamen aliquot alijs aliter pronunciare uidetur, ut in libello de Virtutibus, noſtrum corpus diſpenſantibus, & quarto de Accidente. Ariſtoteles item tertio de Hiſtoria animalium, capite decimonono, & libro ſecundo de Partibus, tactum non ſentire contendit. Iam agitatio hæc ſeu con uulſio in ſternutatione quoq; accidit, ſed minor multo propter imbecillitatem irritantis mate-

riæ, quæ, opinor, si & leuiori apoplexi accederet, non aliter fortaßis & ipsa solueretur. Morbus, ait Galenus, comitialis proximus quodammodo est morbo, quem apoplexiam uocant, quum idem locus in utroq; patiatur, & idem humor in causa sit. Verum apoplexia ob omnimodam carentiam illius potentiæ, quæ ad neruos defluit, morbus autem comitialis propter motum uitiosum generatur, frigidus autem & crassus ambobus humor est. Vitiosus hic motus non nunquam tam uehemens est & uiolentus, qui per se, sine acceßione craßioris materiæ obstipationem facere queat, nimirum astringens, & coarctans itinera spirituum, tum casus omnino momentaneus sequitur, & à ruina celerior est erectio, quàm si uiscidus succus interuenisset. Quod spuma plerisq; circa os ebulliat, est æstus pituitæ ex cerebro cadentis, ob iustã ualidamq; expultricis facultatis indignationem.

Ex spasmo oppilatio.

Cæterum quibus primogenio affectu cerebrum labefactatur, ijs caput graui pondere premitur, perpetuò dolent, uertigine tentantur, facies obscuratur, oculi tenebrescunt, olfactus hebetatur, auditus obtunditur, sermonis plectrum titubat, cogitationes turbantur, mœstitia, pauor, obliuiscentia, grauis sopor, uana & terrifica somnia, in iram procliuitas, & animus minime

Signa specierum.

nime

nime ſui arbitrij. Nec aliunde aduerſum quid in ferri ſentiunt. Quibus ſtomachus morbum parit, ipſius palpitatio præcedit, triſtis quoq; ſenſus, tumultus, eroſio, ſubuerſio, & præſertim quum epulatio differtur, tum in hanc regionem cholera, prauiq; ſucci celerius influunt. Galenus cuiuſdam Grammatici meminit, qui quum diutius ieiunaret, in comitialem incidebat, & promptius, ſi dolor interim, ira ue intercideret. Cuius corporis habitum contemplanti, & de hac ipſa re ſciſcitanti, ſtomachum aſsiduè bili urgeri eſt faſſus. In hoc euētu, quàm primum inuadit, ægri concidunt, & conuelluntur, atq; impotens quædam uox (atteſtante Paulo) interdum eliditur, ob angorem uidelicet uicini cordis. Quum hypochondria offendunt, ij ructus acidos eiaculantur, crudis flatibus diſtenduntur, inteſtina murmurant, à ſumpto cibo interſcapilium dolent, uomitione fatigantur, incocta reijciunt. In ipſa exacerbatione, uentris onera egerunt, lotium exturbant, è ſeminarijs uaſis genituram excernunt, & hæc propter laborem muſculorum circum hypochondria cubantium. Si ab hepate, liene, utero, membrorum ue aliquo originem trahit, non erit difficile idoneis ſignis colligere, quodnam id ſit. Proprias enim ualetudinis ſuæ notas ſingulatim

Grammaticus epilepticus.

quodq; membrum ædit. Si à uermibus, si à putri ac pestilente succo alicubi delitescēte, si ex acri dolore, si ex percußione, aut alijs id genus occasionibus aduenerit, non admodum obscura fuerit inuestigatio, ut opus non sit hic longos logos attexere. Præsens quidem malum (undecunq; aßiliat) apertè declarant conuulsiones, ronchi, uociferationes, tremores, in gyrum circūactus, in terram ruina, sensuum sublatio, oris spuma, lotij, stercoris, aut genituræ inuita excretio. Galenus in eo, qui est ad introducendos in agnitionem pulsuum, inquit: Quādiu mediocriter duntaxat turbatur, neq; adhuc natura affectui magnopere succubuerit, tantisper nullam pulsus mutationem in magnitudine ac uehementia, celeritate, frequentia, ac duritie inuenias commemorabilem, sed solum uelut tensa est in utranq; partem arteria. Quod si affectus fuerit ualidus, sic ut uires aggrauet, inæqualitatem quandam asciscit, ac tensionem fortem, longiorq; fit, languidior, & rarior. Sin uires admodum presserit, pulsus efficiet languidos, frequentes, ac celeres. Lucretius admodum graphicè hunc morbum descripsit libro tertio:

Signa presentis morbi.

Quin etiam subito ui morbi sæpe coactus
Ante oculos aliquis nostros (ut fulminis ictu)
Cōcidit, et spumas agit, ingemit, et tremit artus,

Desipit

Desipit, extentat neruos, torquetur, anhelat,
Inconstanter & in iactando membra fatigat,
Nimirum quia uis morbi distracta per artus
Turbat agens animã, spumãti ut in æquore salso
Ventorum ualidis feruescunt uiribus undæ.

CAPVT VIGESIMVMTERtium de retegentibus Comitialem.

MIrum est in rebus naturæ ea esse, quibus luculenter deprehendere licet, si quispiam huic morbo obnoxius degat, aut si quam curam sanationi impendit, num operam luserit, suaq; spe frustratus, necdum sit assecutus, quod optabat. Quippe qui naturalium rerum peritiores habentur, in suis literis decantant, idq; obseruatum perhibent: quum quis caprina pelle contegitur, & aqua marina conspergitur, si comitiali tenetur, euestigio concidit, ac se prodit. Idem ijs quoque euenit, qui caprinum iecur assatum edunt, aut quibus nares huius nidor perculerit, aut succensi cornu suffitus. Certum est, neque ambiguis testimonijs asseueratum, hoc pecu nunquam febri carere, & sacro morbo turpiter laborare. Quamobrem alienum non fuerit, si & hanc luem ijs impartiat, qui ipsius aliquid in aliquem

Caprina pellis comitialem detegit.

usum trahunt. Hircinum quoq; hepar nota eadem insignitur. Gagates lapis ab igne statim naribus subiectus conuulsionem concitat. Nec aliter naptha quum olfactatur. Sulphur igni iniectum comitialis deprӕhendit. Sunt qui mirrham huic maleficio opportunam rentur. Dioscorides eam calefacere, astringere, glutinare, siccare, & profundiore somno sopire scripsit.

Apium an comitialem excitet

Apium quadam abdita ui, & singulari facultate paroxysmum exciere non uno in loco Auicenna testatur, & Alexander affirmat. Id tamen Galenus (cui primas deferimus) non usq; horruit. Consultus enim à parente epileptici pueri, qua cura uteretur ad profligandum morbum, respondit, ante prandium aliquid subducentium uentrem olerum assumat. Ex hoc genere sunt malua, blitum, braßica, sed non nisi modice gustentur. Similiter & porro, & apio, & smyrnio non nunquam uti conducit. Plinius libro uigesimo, capite undecimo sic habet: Non aliud erutum terra in maiore sententiarum uarietate est: distinguitur sexu. Chrysippus fœminam esse dicit crispioribus folijs & duris, crasso caule, sapore acri, & feruido. Dionysius nigriorem breuioris radicis uermiculos gignentem. Ambo neutrum ad cibos admittendum, imo omnino nefas: nam id defunctorum feralibus epulis dica

lis dicatum esse, uisus quoq; claritati inimicum, caule fœminæ uermiculos gigni. Ideoq; eos, qui ederint, sterilescere, mares, fœminasq;. In puerperio uero ab eo cibo comitiales fieri, qui ubera hauriunt, innocentiorem tamen esse marem. Iam & capitis lotio, & uapor calentis aquæ, si quid huius uitij intus illatebratur, in lucem protrahunt.

Nocturnūq; recēs extinctum lumen, ubi acreis
Nidore offendit nares, consopit ibidem
Concidere et primos qui morbos mittere sueuit.

Comitialem scienter ac docte poeta Lucretius libro sexto primum appellat, quod scilicet primam ætatem, quæ est infantilis, sæpius oppugnet. Ex terrore præterea ingentis uociferationis, ex stridore serræ, mugitu boum, excussu tormentorum, fragore tonantis cœli, ex ictu fulguris, ex despectu præcipitis loci, ex inclinatione uerticis in terram, ex labore mox epulationem consequente, ex æstu solis, ex lunæ radijs, ex Venere, ex aquilonibus, ex austris, hæc quidem omnia epilepsiam degunt.

Primus morbus.

Cæterum in ipsa accessione, quæ membra torquentur, ac rigore contracta circumuersantur, ab ijs continuo, qui spectaculo adsunt, eximia diligentia dirigi debent, & in rectum extendi. At que id quo promptius minoriq; negotio succe-

Curatio paroxismi.

dat, ea pingui aliquo perungantur. Deinde effracto ore, & diductis maxillis digitus linteolo obuinctus ad extrahendam pituitam intromittatur, & penna irino oleo, seu narcißino illita uomitus concitetur, si commode fieri queat. Dentes, lingua, fauces, totumq; oris cœlum confricentur theriaca, mithridato, confectione anacardina, & glutiat oxymel cum castoreo & asa. Ex ijs uero, quæ olfactu sensus expergiscunt, torporemq; discutiunt, sunt ruta, eruca, pæonia, thymus, peucedanum, sagapenum, galbanum, peganum. Cuius post aliorum ueridica testimonia, admirãdam potestatem nec uanus præco perlibenter effero. Quippe qui de periculo uotis promptißimè respondere comperi. Nec profligando tantum paroxysmo conducit, quin & morbum ipsum potenter tollit. Quæ naribus insufflantur, sunt colocynthis, elaterium, nigella, elleborus, piper, struthium. Non nulli in aurem religiosuli aßibilant hunc uersiculum: Gaspar fert mirrham, thus Melchior, Balthasar aurum. Alij admurmurant: purget, & mundet, & muniat uos titulus triumphalis, Iesus Nasarenus crucifixus rex Iudæorũ. Valeschi à Tharanta præstat subijcere uerba, qui sic habet: In paroxysmo dicat aliquis in aure eius ter, purget, & mundet, et muniat uos titulus triumphalis Iesus

Pegani facultas.

Valescus.

lis Iesus

lis Iesus Nasarenus crucifixus rex Iudæorum. Et statim surget iussu Dei. Vel dicatur iste uersus: Gaspar fert mirrham, tus Melchior, Balthasar aurum. Hæc tria qui secum portabit nomina regum, Soluitur à morbo, Domini pietate caduco. Et his in aure ter dictis surget statim. Experta sunt per me, & per multos, & scribantur in charta uirginea, & in collo portentur. Fiat etiam consilium Gordonij, quod ponit de Euangelio, quod cantatur in tempore uindemiarum post festum crucis, hæc Valescus. Quæ ridicula planè, & inepta mihi fabulamenta prorsus uidentur. Quis quæso sanæ mentis anilibus his, et fatuis sermunculis assentiatur, qui nulla ratione consistunt, sed apertæ uanitatis, & damnatæ superstitionis Christianis uiris exibilantur? Beatus Augustinus in euangelium Iohannis tractatu septimo sic habet: Illi qui seducunt per ligaturas, per precationes, & per machinamenta inimici, suis precationibus miscent nomen Christi, ut lateat ipsa seductio. Et libro secundo de Doctrina, capite decimonono, & uigesimo: Ad genus superstitiosæ doctrinæ pertinent omnes ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina cõdemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, (quas catharacteres uocant) siue in quibusdam rebus suspendendis, atque

Aniles nugas confutat auctor.

ligandis, uel etiam ſaltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, ſed ad quaſdam ſignificationes, aut occultas, aut etiã manifeſtas. Quibus adiunguntur milia inaniſsimarum obſeruationum, ut quum dicitur ſingultienti, ut dextera manu ſiniſtrum pollicem teneas, aut ut ad lectum redeas ſi te calcians ſternutaueris. Profecto admirandum non eſt, minusq́; diuinum ſi poſt certa aliquot uerbula, bis ac ter repetita epileptici reſurgant. Primùm non confeſtim, & eueſtigio parati aßiſtunt, qui ad aurem accidãt, & inſufflent præpotentem illum oris ſpiritum. Deinde in ea tẽporis mora, quæ ſatis ſit tot uerſuum prolationi, natura ipſum affectum diſcũtit, ut ipſa reſtitutio non uerborum inanium, ſed uincentis naturæ opus exiſtat. Attamen uiros aliquot acres (ſed à cultu ueri dei alienos) has ineptias non horruiſſe comperio. Pericles ſumma fortitudine, & eloquentia uir, quum grauiter ægrotaret, & ab inimicis inuiſeretur, quaſdam ijs à collo ſibi pendere muliebres incantationes oſtendit, quo tutius ac celerius reualeſceret. Iulium Cæſarem dictatorem ferũt poſt ancipitem uehiculi caſum, ſemper ut primum currum conſcenderet, carmine ter repetito itineris ſecuritatem impetraſſe. Cleomenes Alexandridæ filius diutino morbo uexatus, expiatoribus ac diuinis

Pericles incantationibus auſcultauit.

Iulius carmine itineris ſecuritatem inuocauit.

Cleomenes ægrotãs expiatoribus ſe dedit.

ac diuinis auscultauit. Cato quoq; grauis admodum auctor luxatis membris carmen auxiliari prodidit. Sed uero propius accedit, imò à magnis philosophis cõfessum, quòd morbidum corpus non nunquam reficitur, atque alteratur ex appensa aliqua materia, cuius defluuia inspirantes haurimus. Quæ quum aqualia non sint, in uisceribus excepta operantur, qualiter ea nata sunt operari, à quibus defluxerunt. Picturis uero, uocibus, ac sibilis nihil deciditur, quod suppetias adferre queat, nisi quis dæmon operam suam intermisceat. Antoninus Caracallus imperator (attestante Spartiano) eos damnari iußit, qui remedia quartanis, tertianisq; annexa gestarent. Et Galenus nostræ familiæ columen libro decimo de Facultatibus simplicium medicamentorum: Substantia est, ait, quæ suspenditur, non uoces, ut quidam facere præstigiatorum assolent. Theophrastus quoq; libro nono de historia plantarũ: Oenotheræ, inquit, radix data è uino mitiores, hilarioresq; mores reddit. Nec id absurdũ appareat, fit enim quasi recreatio quædã ex uiribus, quas radix ipsa uinaceas habet. Sed potius absurda illa putentur, quæ alligata, & ueneficiorum aduersantia uocitãtur, et tum corporibus, tum domibus unicè opitulari creduntur. Sunt præterea asseruantes, quum quis cor-

Ex appensa materia corpus alteratur.

Caracallus uetuit annexa remedia

reptus concidit, statim illi magnus pedis digitus ensiculo pungatur, & cruore ex uulnusculo delachrymante frons, atq; labia inungantur, protinusq; consurget. Xenocrates in hirundinum pullis binos calculos reperiri dixit. Alter rufus, & hic collapsum in pedes reuocat: alter candidus, qui in pelle adalligatus ac gestatus morbum finit. Lapis Iaspis capnostes nuncupatus, à collo gestetur. Iaspis alius calamo similis annulo inclusus. Idem præstat chrysolithos, corallium, pæoniæ, & solani radix. Pythagoras dixit non corripi in manu habentes anisum. Ioannes Agricola in libro, quem de Herbis inscripsit, cuiusdam aquæ meminit ex ceraseis, ipsius uerba subijciam: Ex seraseis distillata aqua certißimum statim adfert remedium, quàmprimum in os epileptici iam paroxysmo correpti inditur. Vnde ilico reuiuiscit, & eodem temporis puncto surgit liberatus, neq; ullo spasmo amplius conuellitur, donec per crementum noua materia aucta, ut fieri solet, alius paroxysmus oriatur. Elicitur hac arte: in uas extillationi accommodum imponuntur cerasa non multo ante decerpta, adhuc succi plena, fiat humoris intra cerasa contenti ex igne mediocri eliquatio, quem diligenter ut rem preciosam, atq; ære multo uix redimendam, curalis asseruandum, de quo in os epileptici

Aqua cerasorum.

leptici paroxyſmo laborantis coeffundas drachmas quatuor, aut plures, & ſtatim inhibebis impetum uiolenti morbi. Conſiderabis tamen ex tribus ceraſorum generibus, ea eſſe ad hanc diſtillationem eligenda, quæ Germanis priuatim ceraſa, hoc eſt, kyrshem appellantur, dulcia quidem illa plusquam alia duo genera, quorum alterum magis rubrum, alterum magis nigrum. Hæc Agricola. Plinio libro decimoquinto, capite uigeſimoquinto tradit, Apronia ceraſea maximè rubere, nigerrima eſſe Actia. Luſitanis colorem eſſe è nigro, rubenti, ac uiridi. Aquulam hanc qui uolet, experietur.

CAPVT VIGESIMVM-quartum de morbo Infantili.

IN pueris promptiſsime hic morbus uenit, eosq́; lactentes potiſsimum inuadit, non minimè propter uſum lactis, magisq́; quoties id craſſum fuerit, aut etiam coagulatum, tum propter immoderatas uigilias, ob immodicum fletum, ob acres in dentitione dolores, ob cerebri debilitatem, ob neruoſi generis mollitiē, et quia plurimo, ac inopportuno alimento utuntur. Nihil aliud uiuere exiſtimant, quàm edere, nec præter eſitandi uoluptatem quicquam ſequuntur.

Caligula epilepticus.

Quapropter pedicus, seu infantilis morbus appellatur. Quo Caligulam in primis unguiculis correptum historia testatur. Hippocrates ait: Morbus hic in matris locellis existenti principium sumit: Cerebrum enim, priusquam ędatur, (sicuti cętera membra) purgatur, floret, crescit. Quod bene, modiceq́; purgabitur, nec plus, nec minus quàm oporteat, defluat, caput sanißimum hic habebit. Si uero plusquam oportet, cerebrum deliquet, morbosum: Si uero non purgetur, sed in cerebrum relabatur, pituitosus erit necessario. Quibus autem pueris pustulę, ulcerá ue per caput, aures, corpus úe pullulant saliuosa, mucosaq́; sint, melius ęstate procedente degent. Pituita enim hac emittitur, & purgatur, quę in matris locellis debuit. Qui sic purgantur, morbo hoc fere non corripiuntur. Qui uero puri, mundi, nitidi úe sunt, quibusq́; nullum ulcus, nec saliua, muccus úe prodit, neq; in matris locellis hęc purgatio facta fuit, periculum est, ne hi hoc morbo corripiantur, & plęrunq; pereunt, si multa pituita superfluat, & huda. Tenues enim uenulę, paruęq́; eam prę copia, atque craßitudine non capiunt. Quare sanguis refrigeratus in unum cogitur, ac perimit. Sed si pusilla, paucaq́; sit, per utrasq; uenas defluit. Et tum aphorismus locũ habet: In morbis mi-

bis minus periclitantur ægrotantes, quorum naturæ, aut ætati, aut tempori magis congruit, quàm quibus nihil istorum. Curationis ratio eo nomine difficilior uidetur, quoniam recens æditorum, & adhuc in cunis uagientium pharmacis ac medicamentis minus opportuna sunt. Quare si sanari debeant, nullo remedio commodiore iuueris, quàm qui industriam omnem, atq; operam ad ipsius nutriculæ curationem conuertas. Huic igitur eam uictitandi formam præscribemus, qua & ipsa prosperè ualeat, & salubre lac puellulo præbere queat. Non rarenter ex usu nobis compertum, & omnino rationi consentaneum est, quod aduersa lactantis ualetudo corrumpat, temeretq; eam, quæ bona lactentis erat. Vt parui momenti censendum nequaquam sit, ad hanc functionem sanam, atq; integram deligere, et exquisito uictu præstare, ne in uitiũ cadat. In primis summa cura adniti oportet, ut eius lac, quam infantes bibituri sunt, egregie sit temperatum. Quale certè erit, si sanguis eius, quàm optimus sit. Porrò is talis est, qui nec flaua abundat bile, nec atra, nec pituitosus est, nec serosus, nec aquoso liquore permixtus. Nascitur autem huiusmodi sanguis à cibo boni succi, tum iusto tempore, modoq; assumptis. Præterea potione tempestiua modiceq; sumpta, de quibus in

Dieta.

eo libro, cui titulū fecimus de Tuenda ſanitate, abunde diximus. Sed ut in pauca contraham, quæ & hic locus poſtulat: altricula eos cibos fugiat, qui glutinoſum, craſſum gelidumq́; humorem generant. In quorum cenſu & bubula eſt, & ſuilla, & agnina, auisq́; in aqua degens, & grandis omnis, pauo, grus, cycnus. Conducunt ueruecina, uitulina, hœdina, & gallinaceum genus, præſertim in temperatura aridiore. Conferunt cāpeſtres, et montanæ uolucres, phaſiani, perdices, merulæ, turdi, turtures, galeritæ, gallinagines, præſertim in humecta cōſtitutione. Galenus ait tomo tertio Artis paruæ: Cuius propoſitum fuerit in eodē, quo acceperit, corporis ſeruare temperaturam, ſimilia ſimilibus afferet: quod ſi permutare, atq; ad melius traducere ſtatuerit, alterum eſt hic ſalubrium cauſarum genus, his quidem quas diximus, contrarium. Modis omnibus officiunt caro uetus, permacra, ſalita, infumata. Meminerint ingluuiem ſubſtringere citra ſaturitatem, neq; cum fame colluctentur. Tantum edant, quantum ſtomachus facile concoquit. Piſces nocent magni, & præpingues, & qui in turbidis aquis, ac cœnoſis degunt. Innocentiores ſunt boca, ſolea, aſellus, menulæ, molitor, paſſeres, lucius, gobio, perca. Quibus uertigines moleſtæ ſunt, & mens uacillat, co-

lat, cochleæ ſalutares creduntur. Oſtreas, chamas, mitulos, leunculos raro attingant. Ex olerum genere ſpinachijs, atriplici, malua, lactuca, portulaca non utantur. Beta, fœniculum, aniſum, origanum, roſmarinus, eruca, tarcum, hyſſopus commendantur ijs, quibus denſum, frigidumq́; lac fuerit. Rapum cum porris Trallianus conferre putat. Galenus ait, abſtineat à rapis, & cunctis quæ comeſtibilem radicem habent: Craßi enim, & digeſtu omnino difficilis ſucci ſunt, præter ea quæ calorem atq; acrimoniam ſapiunt, ut raphani. His ex interuallo uti conducit. Allium quoq; ſumptum iuuat. Ex fructibus, aßiccatæ ficus, amygdala, piſtacea (niſi ueſtutas ea uitiet) utilitate non carent, Capparim comeſſe licet, iuglandes non edant, nec melones, cucurbitas, fungos, bulbos. Offendunt uetus caſeus, lactaria, bellaria. Alexander ait, pari modo interdicenda ſunt legumina, præcipue lenticulæ. Ceruiſiam bibant mediocrem, aut dilutum uinum. Meracius ſanguinem incendit, & lactentibus conuulſionem adfert, magisq́; nigrum, quàm album. Nutriculis nihil æquè incommodat, ac profluuium alui, peruigilium, multa ſudatio, immodicus labor, ſolicitudo, luctus, angores. Venereum congreſſum prorſus auerſentur: is uehementer ſuccum uitiat, & à bonitate lac

deducit. Optimi lactis significatio olfactu, gustu, & uisu depræhenditur, quibus uini quoque probitatem exploramus. Præter hæc minime obfuerit, si qua collecta erit redundantia, quam concoquere nequeat tempestiua ciborum parcitas, aut discutere suauis exercitatio, ut eam leui cathartico uacuemus. In quem usum simplicia medicamenta bibant, aut composita corpus non insigniter commouentia. Ex quorum classe sunt caßia, manna, pruna, mercurialis, capnium, myrobalani, rhabarbarum, agaricum, sena, diaprunum, diacatholicum, diaphœnicum, & alia alibi sæpe relata. Postea sumant mithridatum, theriacam, conseruam anthos, inulæ, acori, melissæ, diambram, diamoschum, diacarpesium, diacastoreum, oxymel scyllinum, aut aliud aliæ pro constitutionum differentia. Quod ad infantulos ipsos attinet, nimia fartura somnolentos facit, & morbis plærisq; alijs nedum comitiali obnoxios reddit: Nimirum si modus non seruetur, teneræ uires fatiscunt, & flatuosa cruditas oritur. Quare nõ plus lactis sugant, quàm ob ætatulam imbecillis uentriculus bene suffert, ac prompte potest conficere. Si amplius ingurgitant, in perniciem uitiatum cedit. In eo euentu ex re admodum fuerit, digito linguam comprimere, aut pennam oleo litam in gulam demittere, quo

Lactis boni significatio

Pueros somnolentos facit plenior suctio.

re, quo reijciant congestæ pituitæ copiam: id nisi fiat, metus imminet, ne omne lac his purgamentis commistum uitietur. Cuius tum fuliginosus uapor diro morsu molliculum cerebrum lancinabit. Quapropter haud inscite faciunt, qui recens in lucem æditos tris, quatuor úe dies cibant oleo amygdalino, butyro, & saccharo in eclegma subactis, aut mel lingendum præbent, quod uentriculi illuuiem, & sordeculas in utero contractas pulchrè abstergit. Sunt qui eximium præsidium aduersus pedicum prædicent, si uulpino cerebro fauces puerulis subinde fricentur. Non nulli capræ cerebrum in eum usum præferunt, sed (quod uanum est) traiectum per argenteum annulum. Alij syrupum è cichorea propinant. Nec desunt, qui semen lini, & urticæ cum melle subigunt, & lingendum offerunt. Id efficacius reddetur adiectis aliquot pæoniæ granulis. Non pauci cardamomum præmansum osculo indunt, quod in asteris flosculis (herba est in sepibus frequens) purpurescit (attestante Dioscoride) comitialibus infantibus prodesse creditur. Eadem facultate pollere nigræ uiolæ flores præter Dioscoridem, Plinius, Macer, Serapion scripserũt. Haud mediocrẽ attulisse opẽ experimento certo compertum est, si radix pæoniæ recens eruta his à collo suspendatur. Idem quoq;

Cibatio recens æditorum.

præstant pyrethrum, peganum, tarcum, ruta, coralium, sapphirus. Ipsæ cunæ coronentur thymo, calamynthe, sampsucho, & pedum plantulæ castoreo perungantur. Hippocrates in eo, quem de Salubri dieta inscripsit: Infantes, ait, diu calida sunt lauandi, ijsq́; uinum dilutum est exhibendum, quod prorsus tamen frigidum non sit. Idq́; offerendum, quod uentrem minimè attollit, & flatum cieat. Atq; hæc facienda sunt, quominus tentent conuulsiones, ipsiq́; crescant, & melioris coloris fiant. Spartiatis olim is mos fuit, ut iamiam æditos uino abluerent, quo periculum facerent habitudinis ipsorum, & quænam spes esset futuri roboris. Siquidem affusum merum acribus fumis sensuum organa implet, neruorumq́; uigorem debilitat, ut statim sacro morbo corripiantur, qui hoc genus minus bene constitutum habent. Cæterum lauare tenellulum oportet, uacuo, & inani uentriculo, neque dum inconfectum lac adhuc obhærescit. Discrimini coniunctum est, & quidem magno, si pleno uentre infrices, lauesq́;. Cõmodißimum porrò tempus fuerit, post profundißimum somnum, & altam quietem. Sub id tempus planè digestum offendes, quod multo antè sumpserat. Caput uero non lauabis, neq; sines turbidum halitum feruentis aquæ per nares, ac cætera spiramenta

Spartiatarum mos.

menta

menta in hudum cerebellum peruenire. Sed corpus reliquum in ſolio demergere licebit, & clementer defricare. Nunc & diligens cura rei, quàm ſum dicturus, impendatur. Ne ſcilicet delicatus puſio pauore aliquo repentino exterreatur, aut inſtrumenta ſenſuum terribile quid ſubitaneo impulſu conquaſſet. Quod ſolent efficere incondita hominis uociferatio, aut obſcœnus animantis mugitus, ſeu grauis cœli tonantis fragor, uel perſtrepens clangentium tubarum ſonitus. Ioãnes Mattheus à Gradi in capite de Phrenitide ſupra nonum Almanſoris, filium ſuum epilepſia correptum ſcripſit ex inopinato huiuſmodi tubarum increpitu, pòſt occubuiſſe intra decem horas. Curandum præterea ne inſomnijs, ac peruigilijs uexetur. Nec ſoporiſeris iterum ſomnus ſtatim conciliandus, ſed adulabili cantu, & leni ſuccußione grabatuli, aut crepitaculis tinnientibus, aut aquæ illiſu guttatim in peluim ſtillantis aduocetur. Quippe quum hæc audiunt, nouæ rei inſuetudine ueluti obſtupeſcunt, ac ſeſe colligunt, colligendo admirantur, admiratio quum motus quidam ſit, calefacit, calor in humido euaporationem facit, euaporatio ſomnum gignit. Iam ſi per ætatem dulcis puſio gradi non queat, in ulnis ipſum nutricula geſtet, & à calore, frigore, uento, & imbre probe

Pueri exterrendi nõ ſunt.

Ioannis Mathei à Gradi filius epilepſia mortuus.

Somnum alluit ſuauis modulatio.

communiat. Hactenus quæ dicta sunt ad primos omnino unguiculos, & adhuc à matre rubentes pertinent.

Quamuis eorum non nulla maioribus quoque annis obseruanda monemus. Antiquus magister, ut minime uanam nobis sanationis spem inierit, ita & rectæ curationis rationem in ætatis mutatione docuit: Quicunq;, ait, morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis. & temporum, & locorum, & uictuum liberantur. Et alio loco: Quibuscūq; morbi comitiales ante pubertatem fiunt, mutationem accipiunt. Quibuscunq; uigesimoquinto, commoriuntur. Siquidem craßi, frigidi, ac pituitosi succi plærunq; hos efficiunt. Natiuus calor à pueritia cum ætatis acceßione, donec in summum uigorem conscenderit, quotidie augetur, fortescit, intenditur, qui tandem potis fiat frigidum morbum ab incunabilis contractum soluere, ac discutere. Quod si secus eueniat, & morbus ipse in accremento caloris non dißipatur, sed difficilis, ac contumax obhæret, caditq; in uetustatem, núlla deinceps salutis spes relinquitur, sed in mortem comitatur. Quare si quenquam anno uigesimoquinto corripiat, ex ætatis mutatione nullum auxilium expectatur. Quandoquidem ab eo anno calori naturæ nihil accedit, cu-

Comitialis cum ætatis mutatione sanatur.

dit, cuius acceßione euictionem speremus. Galenus ait Prædictionum libro tertio, commento trigesimo: Primus terminus conuersionis ad habitum frigidiorem trigesimus est annus, nouißimus uerò trigesimusquintus. Ab anno ergo uigesimoquinto nihil caloris accedit, & post trigesimum plurimis imminuitur, & fit habitus frigidior. Quibus tardißimè frigescit, est annus trigesimusquintus. Verum puerulis pedico laborantibus circa pubertatem natura promptè opitulatur. Quippe qui ex augmento ætatis potens, validusq; calor increuit, noxium succum attenuat, concoquit, digerit. Neq; est unus omnium certißimus terminus pubertatis, propter caliditatem & frigiditatem temperaturæ. Calidi enim citius, frigidi uero tardius pubescunt. Galenus ait tomo quinto Aphorismorum, commento septimo: Vnde liquet, quod pubertatis tempus usq; ad uigesimumquintum annum extendi arbitratur, sumens initium in secunda septimana. Et paulopost: Tempus autem pubertatis est, post quartumdecimum annum, usq; ad uigesimumquintum. Hac itaq; ratione uia nobis pãditur probæ curationis, nisi succlusis oculis, Andabatarum ritu, pugnare uelimus. Constat enim ex prægreßis calorem glutinosam, frigidamq; huius affectus materiam uincere ac su-

Annus trigesimus gradus est in habitum frigidiorem.

perare. Quocirca pro uiribus annitendum erit, ut res omnes, quas medici nõ naturales uocant, non ſolum à frigefactione declinent, ſed euidenter, ac ſtrenue calefacient. Ex quarum cenſu, loca, tempora, & uictus perhibentur. Quare non ab re ſenex alibi dixit, Febrem ſuperuenire conuulſioni melius eſt, quàm febri conuulſionem. Atq; iterum illud: Naturarum hæ quidem ad æſtatem, hæ uero ad hyemem bene aut male ſe habent. Poſt hæc ſi ferant anni, ut purgatiuo pharmaco redundantia uacuetur, id maximè tentandum erit ſub uernum tempus, quo morbus hic potiſsimum commouetur. Hippocrates ait: Vere etenim furores, et atræ biles, & morbi comitiales. Sed ſyrupum aliquem præparãdæ materiæ præmittere oportet. Qualis eſt, è marrubio, calamyntha, hyſſopo, ſtichade, è radicibus, oxymel ſcyllinum. Deinde exhibeantur pilulæ elephanginæ, aut hieræ, et ſaccharo ueſtiantur, aut puluere glycyrrhizæ, ne amaritudine percutiantur. Lucretius inquit:

Nos ueluti pueris abſinthia tetra medentes
Quũ dare conamur, prius oras pocula circum
Inficimus mellis dulci, flatuoq; liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur,
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthij laticem, deceptaq; non capiatur,

Sed po-

Sed potius tali facto recreata ualescat.

Conficiatur huiusmodi syrupus: ℞ saluiæ, rorismarini, betonicæ ana. p. j. radicis pæoniæ ʒ. iij. radicis acori, inulæ, ana ʒ. ij. carpesij, xiloaloes, nucis myristicæ ana ʒ. j. radicis filiculæ ʒ. vj. coquantur, & in decocto macerentur agarici ʒ. iiij. rhabarbari ʒ. iij. pulueris folliculorũ senæ ℥. j. epithymi ℈. vj. à maceratione distringatur per colum, & adde mellis rosati quantum satis sit, cuius cochlearia duo accipiat. Aut ℞ syrupi è cichorea ℥. iij. mellis rosati ℥. ij. specierum hieræ simplicis ℥. ß. capiat ex interuallo cochlear ieiunus. Puluis quo sæpenumero utor: ℞ turbith ℈. iij. agarici ℈. ij. rhabarbari ℈. j. zingiberis, cinnamomi, nucis moschatæ, seminis pæoniæ, caryophillorum ana grana. vj. galangæ ℈. ß. capiat ʒ. ß. aut ℈. ij. pro modo sumentis. Ab aliquantula purgatione, grauiorem enim non sustinent, quotidie os colluant, decocto pulegij, thymi, rorismarini, & mandant calamum confectum aut inulam, aut zingiber conditum, pyrethrum, myrobalanum chebulum. Sed præstat Galeni medicamentum laudare, quod in hũc modum narrat: Pharmaco scillæ post uacuationem quotidie filius utatur. Et sane nisi uehementer grauis, induratusq; sit morbus ille spero me quadraginta dierum spacio illum perfectè hoc

Pharmacũ Galeni ex scilla.

pharmaco sanaturum. Sic etenim innumeros ipse pueros curaui nullo usus ueratro. Post purgationem uero priusquam hoc pharmaco utatur, bibere semel, atque iterum absinthium debet. Scyllitici pharmaci præparatio talis est: Melitera uasa (sic enim Græci ea, quæ melle sunt euacuata uocant) apparans, scyllam inijcio, manibus antea tenuiter contritam, deinde angusto cooperiens operculo, & extrinsecus toti pellem uasi circundans, diligenterq́; obturans in locum meridiem uersus spectantem repono, bene tamen à septentrionalibus uentis munio, tegoq́;, ne perfletur. Illud autem circa id anni tempus facio, circa quod canem oriri à Græcis omnibus est receptum. His igitur diebus paulatim situm aliquando uarians, alia, aliaq́; parte uas soli obuerto, ut undiquaq; similiter incalescat. Post id uero tempus aperiens, in uase scyllæ substãtiam coctæ similem inuenio, effluentem præterea humorem ex ea excipiens optimo melle edulco. Eius autem deinde cochleare plenum quotidie indigentibus præbeo, pueris quidem paruum, adultis uero magnum. Superstitem scyllæ materiam diligenter tundens melle etiam subigo, & huius similiter cochleare trado. Habet autem hæc alterum à priore gradum. Qui uero scyllam aqua coquentes subigunt, omnem eius uim soluunt.

ſoluunt. Quemadmodum qui aceto tantum præparant, forte quidem efficiunt pharmacum, ſed neruis non innoxium.

CAPVT VIGESIMVM-
quintum de curandis Epilepticis.

HIs morbus quia pertinax eſt, & difficulter ſuperabilis, nõ iniqua ratione nomen ab ipſo Hercule ſumit, diciturq; Herculeus. Hippocrates ait libro ſecũdo Prædictorũ: Sacro comitiali úe morbo correpti difficillime liberãtur, præſertim quibus de pueritia ad uirilitatẽ uſq; creuerit una, deinde quibus in adoleſcẽtia uigenti corpore ualido, et ætate fiet, fueritq; de uigintiquinq; annis uſq; ad quadragintaquinq;. Poſt hos, quibus malum hoc, qua parte corporis incipiat, nõ præſignauerit. Quare enixius elaborãdum, et omnis mouendus lapis donec ſuperiores uincamus, et ab anima noſtra tam infeſtũ hoſtem procul arceamus. Profecto ipſius appræhenſio, quũ in corpus incidit alioqui incolume, nec uſq; imbecillum, magnopere formidabilis nõ eſt, nec hominem protinus è medio tollit, aut tranſmittit in lõginquam regionẽ. Sed hoc habet eximium nimisq; terrificũ, quod inopinato nihil ſuſpicantem, aut præſentientem inuadit: Vt ſi quis ſolus

Comitialis appræhenſio nõ uſq; formidabilis.

(quod euenit) foculo aßideat, in eum occupatus nemine succurrente corruat, aut si in ripis fluminis incomitatus obambulet, incogitans in aquas concidat, ac suffocetur. Quamobrem consentaneum nullus inficiabitur (nisi is, quem subitaria, ac miserabilis mors non exterret) quin diligentia quauis, omniq; opera annitendum erit, ut ab importuno morbo liberemur.

Dieta. Cruditas in primis fugienda est, crudos enim ac pituitosos succos gignit. Quod si qua huius uitij significatio apparebit, confestim epulationi non nihil subtrahere oportet, & ingluuiem substringere citra saturitatem. Expedit naturæ non plus tribuere, quàm prompte conficere queat. Sufferunt hi uictum, si modo ulli alij, frugalem. Neq; inutile fuerit longi piperis aliquid in cibo dare, atq; utilius diospolitico uti. Cuius cõpositio apud Galenum est in libro de Tuenda ualetudine, ex paribus omnibus, ruta modicè arefacta, pipere, cumino, & nitro. Sunt qui perhibeant Cæsarẽ comitiali (quo correptus primum Cordubæ cecidisse dicitur) per sobrietatẽ remedium adhibuisse, ut uictus parsimonia, & durissimis laboribus, uigilijsq; euaserit.

Cæsar epilepticus.

Nihil funestius, quàm concoquentem stomachum merenda turbare. Quod permulti cum suo malo ridiculum, nugaxq; putant. Cassandræ uaticinatio

Cassandræ uaticinatio inutilis.

patriæ propterea nihil profuit, quia contemnebatur. Et ad Hebræos illud est Apostoli. Non profuit illis audisse sermonem, quod is non esset cum fide coniunctus ijs, qui audierant. Sic multi quoq; medicis præceptis non obtemperantes, eaq́; pro fabulis anilibus surda aure auersantes in pœnitendos laqueos corruunt. Hora cibationi apta ex consuetudine ducitur, quumq́; inanis allatrat uenter. Cum quo nec temere colluctandum censeo. Fames enim & mora, bilem in nasum concitant. Hippocrates ait in libro cui titulum fecit de Prisca medicina: Si prandere quis consueuit, & non prandeat, quum primum hora transit, protinus uehemens debilitas, tremor, animi defectus, lutei fiunt oculi, lotiū crassum, calidum, feruens, os amarescit, intestina lancinantur, hypochondria suspenduntur, percitur ira, difficulter spirat, languidus efficitur. Carnes uitent bubulas, suinas, ouillas, hagninas, hyrcinas, ceruinas, ursinas, Auicēna caprinas non inutiles putat. Quū tamē id animās hoc morbo sæpius tentari cōpertum sit, Galenus praui esse succi dixit. & Hippocrates sic habet libro quarto de Ratione uictus in morbis acutis: Caprinæ carnes magis conducere uiderentur, nisi omnia bubularum carnium uitia haberent. Nam & concoctu difficiles sunt, & flatum magis susci-

tant, et ructum, bilemq; pariunt. Conferunt uervecina, & quæ est iunicum, hœdina. Campestres aues, & montanæ, magis quàm altiles, & cohortales. Quæ in aquis degunt, & uastæ magis ambulant, quàm uolant, insalubres reijciantur. Heliogabalus esitare solebat calcanea Camelorum, & cristas uiuis gallinaceis demptas, linguas pauonum, & lusciniarum, quod qui ederet, epilepsia tutus crederetur. Pisces præterea grãdes, aut præpingues, aut ex magnarũ ciuitatum fluuijs, aut stagnis, inertibusq; aquis ductos nequaquã attingãt. Ceruisiã bibant nec prætenuẽ, nec præpotẽtẽ. Hæc craßis uaporibus cerebrũ opplet, illa flatũ, ac cruditatẽ gignit. Vinũ ijs (nisi aliquid consuetudini dandum sit) inimicum esse constat, præsertim nouum, ac resinatum. Paulus inquit, ægrotos diu aquam bibere oportet. Aëtius ait, expedit ægros intra longam aquæ potionem exerceri. Commodius quidem existimo, si uinum afferre ueremur uti in hac nostra regione propter penuriam, & egestatem salubris aquæ, & quia nullam bibere assueuimus, hydromel potent, potißimum si piperis non nihil indatur. Ab epulatione sumant huius tragematis cochleare, nec superbibant: ℞ panis bis cocti ℥.ij. cinnamomi ℥.j (Galenus ait libro primo de Antidotis: Sermoni de optimo cinnamomo habito

Heliogabali cibus aduersus comitialem.

Galeni cinnamomum

bito, aliquid necessarium cogito adijcere, ut sit odoratissimum, indicibilem quādam odoris gratiam super alia omnia referat, gustanti calidum admodum percipiatur, non tamen ut moleste rodat, colore autem tale, ueluti si quis lactis colorem giluo admiscuerit cum modico cæruleo nuncupato) seminis anisi, fœniculi, coriandri præparati ana ʒ. ß. mentæ, sampsuchi, thymi, rorismarini, betonicæ, ana ℈. j. macis, nucis moschatæ, cariophyllorum, cardamomi, seminis pæoniæ, maioranæ, rutæ siccæ ana ℈. ß. puluerescant in usum dictum. Quibus uero impendijs facultas par nō est, à pastu sumant bucceam panis bis cocti, aut morsulum aromatici rosati, aut diacotonei. Postquam exempta fames epulis, & mensa remota est, non statim saturi, tanquam fuste abacti, ad cubiculum deproperent. Periculosum est, & in hanc nassam cumprimis hominem compellit, cibis nondum in imum uentrem delapsis sese componere somno. Validum exercitium, si plenum est corpus, nemo nescit officere. Neq; expedit ijs inclinato capite, dorso úe, aut humi uolutatis excitari. Caput quoq; cōfricandum erit, nisi post aliarum partium fricationes. Nullo pacto (ait Galenus libro de Venæ sectione aduersus Erasistratum) epilepticum quempiam balneis euacuare attentabimus: id quod tu quoq; Erasi

ſtrate cauendum rectè putas. Sanguis ſcilicet in calido lauacro in uapores reſoluitur, ac in ſpiritus redigitur, proptereaq; ad motum incitatur, & in tumorem attollitur. Ad hæc corpora calidis lotionibus mollia, debiliaq; efficiuntur.

Curatio. Curādi ratio multiplex eſt, pro inſalubrium cauſarum uarietate. Nam ſi quis non graui uſq; uertigine tentatur, nec etiam uehementius conuelletur, neq; profundus ſtupor ſenſus occupat, ſed mox euaneſcente fumo conſurgit, atq; omnium meminiſſe poteſt, quæ geſta ſunt, ingens erit fiducia ipſum malum per alimenta commoda, & probam uictus obſeruationem ſuperari poſſe. Quod ſi maior ſit offenſio, atque acrior, quàm quæ dieta tolli queat, protinus contemplandum erit, num facies multo rubore perfundatur, num auditus hebeſcat, oculorum uenæ promineant, arteriæ temporum fortius pulſent, num quæ ſecundum collum (Græcis carotides, latinis dictæ ſoporariæ) pleniores tumeant, oris ſaliua dulceſcat, cor angatur, num cruētū quid appræhenſis ex ore elidatur, aut membra ſudore laxentur. Hæc profectò calidi ſanguinis abūdantiam teſtantur. Quibus phlebotomia apprimè conducit ex uena iuxta talum procurrente, aut in magnum pedis digitum. Deinde ex cephalicis, & ijs quæ ſub lingua, aut in naribus ipſis

conſpectio

conſpectiores apparebunt. Attamen quies non nulla interueniat, nec uno, alteró ue die omnes ſine maiori intercapedine ſodiantur. Sanguinis tantum detrahatur, quantum natura benè fert, & inaucta moles exigit. Aut quid aliud agendum, quod tantundem ualeat. Sanè tantundem poſſunt hæc, quibus præter conſuetudinem hæmorrhoides reſtrictæ cubant, ſi has in fluorem concitaueris. Mulieri menſtrua purgatio ſi conſiſtat, ut ea proturbetur. Galenus ait libro de curandi ratione per ſanguinis miſsionem, Menſes abunde prouocant, & nepita, & pulegium, exhibebis ea in melicrato cocta, ſed antea contuſa, arida, cribroq́; ſubtili diſcreta, ac rurſum trita, uſq; dum pollinem tenuitate referant, ita deniq; melicrato inſpergi. Atque hæc quidem medicamenta mitia ſunt. Valentiora ſunt ſabina, & dictamum, optimum eſt ubi cinnamomum acceperit. Sed hæc, quo tempore oportet, propinanda memineris, quando ſcilicet menſtrua proluuies in expectatione futura eſt. Iam ſi uotis non ſucceſſerit, nemo ignorat uenas pedis percutiendas. Poſtea & malleolos ſcalpello incidere expedit, & hypochondrijs cucurbitulas affigere, & tandem occipitio. Aluus deijciatur clyſmate, aut balanis, quod ſubſidium crebriter tentandum erit. Clyſter: ℞ boraginis, circij, fumiter-

Muliebrem fluxum concitantia.

ræ, mercurialis ana. m. j. ſaturegiæ, thymi, hyſſopi, betonicæ ana. p. j. ſeminis aniſi, fœniculi, pæoniæ ana ʒ j. ſeminis cartami ʒ. iiij. paſſularum mundatarum, polypodij quercini ana ℥ j. coquantur, & excolato adde diacatholici ℥ j. olei camomillæ ℥. ij. mellis roſati ℥ j. ſalis ʒ. ij. infundatur. Deinde *æſtuoſi ſanguinis feruor aſſicantibus & refrigerantibus medicamẽtis comprimatur, & huiuſmodi ſyrupus concinnetur: ℞ ſucci fumiterræ, farfaræ, plantaginis ana ℔. j. ſucci boraginis, bugloßi, uini malorum granatorum ana ℔ ß. in his ſuccis macerentur per noctem & diem radicis inulæ, pæoniæ, britannicæ, ana ℥ ß. roſarum rubearum, florum nymphеæ, cichoreæ ana. m. j. florum anthos, ſtichadis ana. p. j. omnium ſandalorum, ſpodij, terræ ſigillatæ ana ʒ. ß. ab ipſa maceratione coquantur, & decoctum cum ſaccharo roſato ſyrupiſetur.* Solutiuum *pharmacum offeratur, quale eſt diacatholicum, diaphœnicum, diaprunum, electuarium lenitiuum, pilulæ è hiera, fumoterræ, rhabarbaro, ſine quibus eſſe nolo.* Purgationi *ſuccedat fricatio, initium ſumentes à thorace, brachijs, ſpina, & tum ad crura, poſtremum uero ad caput perueniemus.* Prima *fricatio eſto lenta, leuisq́; ſecunda concitatior, duriorq́; donec corpus plane concaleſcat, & floridum efficiatur.* Hip-

tur. Hippocrates ait in libro de Ventosis flatibus: Quando autem, qui hoc morbo corripiuntur, molestia hac liberantur, dicam. Cum laboribus corpus exercitatum, & uexatum calefit, sanguis etiam calefit, qui calefactus spiritus calefacit, qui calefacti dissoluuntur, sanguinisq; statum, cõsistentiám ue dissoluunt, qui partim cum sanguine, partim cum pituita prosiliunt, spumaq; non amplius feruente, sanguineq; consistente, quieteq;, & tranquillitate facta in corpore morbus cessat, & sedatur. Interdum assumat conseruam rosarum, nenupharis, cichoreæ, capillorum Veneris, calendulæ, melissæ: aut eclegma conficiatur in hunc modum: ℞ conseruæ rosarum, & florum cichoreæ ana ℥. j. myrobalanorum flauorum conditorum ʒ. vj corticis citrei, & rantiarum conditarum ana ℥. ß. conseruæ anthos, stichadis ana ʒ. ij. specierum diarhodi abbatis, diamargariti frigidi ana ʒ. j seminis pæoniæ grana. xv. cum syrupo è menta concorporentur. Si pituita morbum gignit, hisce indicijs non obscure colligitur, facies albet, oculi fluunt, nares mucco scatent, saliua in ore multa, caput pondere premitur, uita sedentaria, uictus plenior, isq; frigidæ ac humidæ materiæ, lotium quid liquato uitro aßimile habet, regio algida, tempus hybernum, in paroxysmo alben- Curatio ex pituita.

tis spumæ copia egeritur. Hi in aere uersentur calido, lucido, ac sereno, tenuem dietam obseruent, uentriculum nihil onerent, cibos uitent crassum, gelidum, ac glutinosum succum gignentes: labores, & exercitia fugiant, nisi probe inanito corpore. Aluus clysmate eluatur in hunc modum: ℞ hyssopi, thymi, centaurij, stichadis ana. m. j. seminis anisi, seseli, carei ana p. j. seminis carthami ℥. ß. polypodij quercini ℥ j. colocynthidis ℈. iij. passularum mundatarum ℥. j. radicis pæoniæ, inulæ, acori ana ʒ. iij. coquantur, & excolato adde olei absinthij, rutæ et chamæmeli ana ℥. j. mellis rosati ℥. j. salis ℈. v. submittatur. Ipsa pituita morbum concilians coquatur syrupo è prasio, stichade, calamyntha, hyssopo, è radicibus, melle rosato, oxymelle. Aut talis apparetur: ℞ saluiæ agrestis, betonicæ, primulæ ueris, thymi ana. m. j. radicis sparagi ℥. j. radicis pæoniæ, inulæ, acori ana ℥. ß. seminis rutæ, baccarum lauri, seseli, pæoniæ ana ʒ. ij. seminis agni casti, cubebarum, cardamomi, nucis myristicæ, xyloaloës, piperis longi ana ʒ. ij. passularum mundatarum ℥. ij. glycyrrhizæ ʒ. iij. coquantur secundum artem, & decoctum syrupisetur cum melle. Aut iuleb exhibeatur pro hac forma: ℞ decocti hyssopi, & betonicæ ana ℔. j. syrupi è marrubio, oxymellis compositi ana

ti ana

ti ana ℥.ij.sumat bis quoq; die ℥.iiij. Post haec proprio cathartico extrahatur, in quem usum ualent pilulae aggregatiuae, foetidae, cocciae, elephanginae, agarici, hierae, colocynthidis, ellebori. Elleborus in Anticyra tuto, sumebatur, & ipsius praesertim fructus, quem sesamaceum fert. Liuium Drusum Tribunum plebis, quum comitialem pateretur, in hanc insulam nauigasse, & elleborum bibisse, morboq; liberatum historia testatur. Cōfert huiusmodi pilularum compositio: ℞ pilularum è hiera ℈.ij. agarici recens trochiscati ℈.j. trochiscorū alandal gra. v. cū melle anthosato formentur quinq;. Aut ℞ pilularum assayeret ℈.ij. cocciarum ℈.j. elaterij granum. j. aut grana duo. Quod si hoc genus praesidij horreat, nec catapotia uorare uolet, decoctum paretur pro hac forma. ℞ hyssopi, satureiae, thymi ana p.j. florum rorismarini, stichadis, añ. p. ß. passularum enucleatarum ℥.j. polypodij ʒ. vj. seminis cartami ʒ.iij. seminis paeoniae, urticae, seseli ana ʒ.j. coquantur in aquis betonicae, & melissae: in colatura per noctem macerentur agarici trochiscati ʒ.ij. ellebori grana. vj. mellis rosati ℥.j. facta expreßione propinetur. Aut ℞ diaphoenici ʒ.iiij, hieralogodij ʒ.ij salis gemmae grana quatuor. Vtilis est et hiera Hermetis, Archigenis, Ruffi, & oxymel Iuliani, cuius

Liuius Drusus elleborum consanatus.

compoſitio eſt apud Æginetam libro ſeptimo: Purgationi ſuccedant exercitia, fricationes, uincula, cucurbitulæ, olfactent rutam, peganum, ſaluiam agreſtem, thymum, maioranam, nigellam, Gargariſſent decoctum roriſmarini, tarci, pyrethri, raphani, pæoniæ, oxymel ſcyllinum. Naribus trahant ſuccum betæ, ederæ, auriculæ muris, aut in eas inſerantur ſurculi cunilæ bubulæ, aut ſylueſtris nepitæ, aut radices betæ in expreſſo herbæ ſuæ ſucco maceratæ. Aut ſcrypulus elaterij diſteratur in uncia fœminei lactis. Paulus inquit: Medicamentum quod naribus inditur, ad ueteres cephaleas, lippitudines, & morbos comitiales, nigellæ pōdo ℥. viij. ammoniaci, elaterij ſingulorū ℥. iiij. tunſa, oleo ſycionio, uel irino uel cyprino excepta, ut cærati fiat ſpiſsitudo, naribus demittuntur. Aut ℞ nucis moſchatæ ℈. iij caryophyllorū, macropiperis an̄ ℈, j. ellebori, euphorbij an̄ ℈. ß. in tenuiſsimum puluerem atterantur, & cum penna inſuffletur, ſcrypulum unum. Maſticent pyrethrum, agaricum, maſtichen, ſeſeli. Scribonius Largus compoſitione nona: Si per os, inquit, magis detrahere materiam uiſum fuerit, quia non ſine tormento per nares ea deducitur, ſuadebimus pyrethri radiculam commanducare, atq; ſubinde hiantem pati flere ſaliuam, uel uuam paſſam cum piperis albi gra-

albi granis totidem dabimus commãducandam, & expuendam, æque enim & hæc deducunt pituitum. Aut ℞ seseli ʒ. j. mastiches ʒ. ß. nucis moschatæ, cubebarum ana ℈. j. agarici trochiscati ℈. ij. pyrethri ℈. iij. staphisagriæ, nigellæ ana ℈. j. salis ammoniaci ℈. ß. elaterij grana. vj. cum passulis enucleatis conficiantur formulæ planæ ʒ. ß. ponderantes, & unam altero quoq; die, aut tertio ieiunus dentibus molat, & affluentem saliuam diligenter expuat. A primo sono experrectus sumat auream Alexandrinam, mithridatum, theriacam, myrobalanum chebulum, zingiber uiride, pyrethrum melle exceptum, calamum odoratum, inulam, nucem myristicam, aut quid tale, quod cerebrum calefaciat, sensus corroboret, torporem discutiat. Galenus ait: Noui quosdam nostræ ætatis homines ossa humana usta comitialem, & articularem morbos patientibus propinasse, nescientibus ægris quid biberent, ne forsan abominarentur, & multos hoc remedio curasse. Mox iterum recurratur ad clysteres, balanos, syrupos, aposemata, pilulas, potiones. Vsurpentur pilulæ conscriptæ in capite de uertigine, aut quæ in hunc modum conficiuntur: ℞ aloës electæ ℥ ij. agarici recens trochiscati ℥. ß. salis gemmæ ʒ. ij. infundantur in succis betonicæ, & braßicæ, & soli exponantur, idq;

fiat bis, aut ter ab areſactione renouatis ſuccis, tandem adde ameos, anthos, ſtichadis, ſeminis pæoniæ, aſari, nucis moſchatæ, galangæ, cubebarum, caryophyllorum, xiloaloes ana ℈. ß. trochiſcorum alandal ℈. j. elaterij grana. ix. maſtiches, ſpicæ ana grana. v. cum hiera picra aggregentur. Sunt qui ſacram anchoram exiſtiment, deraſum caput ſynapiſmo emplaſtrare, aut ſcylla, lepidio, tapſia exulcerare, Hiberidis radix emplaſtri modo cum ſalſo ſuillo adipe quatuor horis illita calefacit, & urit. Auicenna inquit phen prima tertij: Et quandoq; fient emplaſtra capite prius abraſo ex medicamentis ſoluentibus genus humoris, qui eſt in eo, quum non timuerimus ex illis corruptionem complexionis, & confiſi fuerimus, quod materia effuſa ad euacuandum facilis erit. Non nulli candens ferrum aduſq; ſincipitis os demittunt. Profecto ad ultimos morbos ultima remedia exquiruntur. Nec poteſt uehementi malo, niſi æquè uehemens auxilium ſuccurrere. Si cætera minus reſpondent, nequaquam prætermittendum cenſeo huius modi præſidium. Cuius & ego non ſine fructu operationem cenſeo. Saltem ſcapulæ urantur, aut circa tertiam, & quartam ceruicis uertebram cauſticum applicetur, quod pro hac formula concinnetur:

In mor-

In mortariolo tritum bene pone ſinapis
Semen, iungatur panis huic candida mica,
Sic ut tertia pars ſit panis iuncta ſinapi,
His ficus ſiccas, & mel, iungas & acetum,
Ætatis quantum, uel morbi cauſa requiret:
Nam quo plus ficus ſiccæ, uel mellis habebit,
Ille ſinapiſmus, tanto ſolet acrior eſſe,
Debilior, quo plus panis mittes, & aceti.

Cuius uerſiculi ſint, non uenit in mentem.

Aut ℞ fermenti acris ℥.iij. mellis anacardini ℥.j. cantharidum ℈.ij. aceti quod ſatis ſit. Aut ℞ nitri ℈.ij. calcis uiuæ ℥.j ſaponis nigri ℥.ij. euphorbij grana. vj. cum modico oxymellis ſcyllitici aggregentur. Aut folium braßicæ cum lixiuia tundatur, quæ prima extillat in cõfectura ſaponis. Ioannes Arculanus ſupra nonum Almanſoris: Inter cætera, inquit, duo ſunt ultima curantia epilepſiam cerebralem, ſi manu humana poteſt curari. Vnum eſt, ut fiat contractio materierum de profundo capitis ad cutim, ita quod in cute fiant alſahafati: ad quod faciendum, ponatur ſupra magnam partem capitis, & propriè ſupra commiſſuram coronalem, & ſagittalem hoc emplaſtrum capite deraſo, ℞ ammoniaci diſſoluti cum pinguedine anatis, aut miluij, quæ magis propria eſt, ℨ.ij. fermenti ℨ.j. ſinapi ſubtiliter pulueriſati ℨ. ß. cantharidarum ℥.ß.

pæoniæ ʒ.ij.fiat emplastrum, & dimittatur supra locum, donec rubefiat, & ueßicas faciat, et crustas, deinde remoueatur, & cum pinguedine miluij fiat inunctio, postea iterum emplastrum apponatur, & sic toties fiat, nunc cum uno, nũc cum altero, donec crustæ, & alsahafati in capite accidant, & sic per longum tempus usq; ad duos menses, plures úe conseruentur. Reliquum est, ut fiat cauterium actuale, aut potentiale, in commissura coronali, usq; ad oßis superficiem, & ita ulcus per duos menses, aut plures conseruetur apertum. Hæc Arculanus. Sacculi conficiantur ex floribus chamæmeli, meliloti, anthos, stichadis, sampsucho, saluia, ruta, pæonia, thymo, pulegio, sale, uernice, milio, cinere caulium braßicarum, sarmentorum uitium, ex scobe guaiaci, alijsq; id genus aßiccantibus, corroborantibus discutientibus. Confecto sublimis, & aduersus morbum Herculeum planè herculea: ℞ conseruæ anthos ℥.ij.corticis citrei conditæ, myrobalanorum chebulorum conditorum ana ℥.j.zingiberis uiridis, nucis moschatæ confectæ ana ʒ.vj.radicis inulæ conditæ, calami confecti ana ℥.ß.contundantur in mortario lapideo, & adde pulueris humani cranei usti ℈.vj. margaritarũ ʒ.j.hyacinthorum, sapphirorum, utriusq; corallij ana ʒ.ß.maceris, cubebarum,

cardamo

cardamomi, caryophillorum, piperis ana ℈.j. seminū maioranæ, citrei, nigellæ, seseli ana ℈.j. ambræ grana quatuor, foliorū auri numero. ix. cum aqua lauandulæ, cui granum unum moschi intabuit incorporentur, addendo seminis pæoniæ numero. xxx. Aut ℞ rutæ. m. j. pegani. p. j. pyrethri ʒ. iij. seminis pæoniæ ʒ. ij. castorei ʒ. j. cum melle fiat eclegma. Aut ℞ pyrethri, costi, stichadis ana ʒ. iiij. agarici trochiscati ʒ. ij. ß. castorei, seseli, agni casti, assæ fœtidæ, aristolochiæ rotundæ ana ℈. iij. seminum pæoniæ numero. xv. cum melle scyllitico commisceantur. Sed non nulli tam sunt teneri sensus, & imbecillis cerebri, ut non ferant citra noxam ipsa aromata, præsertim calidiora, & odoratoria. Quare in hoc euentu ab his temperandum censeo, & remißioribus utendum. De laborantis profecto natura coniecturam facere oportet, & rationem habere idiosyncrasiæ. Galenus ait libro primo Artis curatiuæ ad Glauconem: Quod non communem solum omnium hominum naturam ô Glauco, sed & cuiusq; propriam nosse medicus debeat, & ab Hippocrate olim recte traditum est, & à nobis ipsis in artis operibus, ut nosti, studiose obseruatum. Fieri tamen non potest, ut propria cuiusq; perinde atq; communis scribatur. Sed opposito se habent ordine scripta &

opera. Cholera quum epilepsiam gignit (quod etsi raretèr eueniat, quia calidus, tenuisq; succus est) hisce notis depræhenditur: Conuulsio breuis est, sed acrior, & organa sensuum, mentemq; tristius perturbans, clamitant, uociferantur, calcitrant, amaros succos reijciunt, oculi flauent, tempora pulsant, caput feruet, corpus gracilentum. Fugiant calorifica, solem, ignem, laborem, iram, tristiciam, pertinax studium, Venerem, sarcophagiã, piperata, alliata, salsamenta, bellaria, et quæcunq; sanguinem incendunt, & bilem adaugent. Confert uenæ sectio, si sanguis biliosus est, eius uidelicet, quæ cephalica, seu humeraria dicitur. Qua nimirum refrigeratio conciliabitur, æstus reprimetur, simulq; uapores, aut nunc arcem occupantes, aut in eam conscensuri uacuabuntur. Galenus inquit libro quarto de Medendi methodo: Quum triplici genere morbus quisq; sit grauis, aut propter præcellentiam partis, aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipsius cacoethian. Omnium horum meminit Hippocrates, ubi de purgatione egit. Quid igitur dicet aliquis? Nunquid etiam sanguinem detrahi interdum suadet, propter has ipsas causas? Mihi profecto id quoque iubere uidetur. Aluus deinde molliatur: ℞ hordei. m. j. tamarindorũ ℥ j. passularum mundatarum

Si ex cholera fiat curatio.

datarum ℥.ij.ſeminis melonum ℥.ß.ſeminis maluæ ʒ.ij.furfuris.m.j.coquantur & decocto adde olei uiolarum ℥.iij.olei lini ℥.j.ſalis ʒ.j.ſubijciatur. Aut ℞ iuſculi gallinacei ℔.j.ſacchari rubri ℥.ij. diapruni ſimplicis ℥.j. Aut ℞ maluæ, altheæ, uiolariæ ana.m.j ſeminis maluæ, pſyllij ana p.j.paſſularum purgatarum ℥.j.prunorum, dactylorum ana numero.vj.florum chamæmeli, meliloti ana.p j.ſeminis aniſi, fœniculi añ.p.ß.coquantur, & adde excolato olei roſarum, butyri recentis ſine ſale ana ℥.j.ß. diacatholici ℥.j. Cholera ſyrupis, ac decoctis commitigetur, in quem uſum præſtant ſyrupus uiolarum, roſarum, nympheæ, endiuiæ, cichoreæ, è bizanzijs, oxyſaccharum. Aut pro hoc modo: ℞ endiuiæ, cichoreæ, farfaræ ana.m.j. ſcolopendrij, capillorum ueneris, petroſelini añ m.ß.ſeminis endiuiæ, acetoſæ, ſcariolæ ana.p.j. hordei ℥.j.radicis ſparagi ℥.ß.radicis pæoniæ, inulæ ana ʒ.ij.coquantur, & quum ab igne tollitur, appone roſarum rubearum, florum nenupharis, cichoreæ ana.m.j.frigefactum coletur, & ſumat huius decocti bis quoq; die uncias quatuor. Poſtea exuberans materia idoneo cathartico extrahatur, et hac facultate pollent pilulæ aureæ, è rhabarbaro, capnio, myrobala-

nis, aſſa-

nis, assayeret, diaprunum, diacatholicum, electuarium è succo rosarum: ℞ pilularum è rhabarbaro ℈.ij. è hiera ℈.j. scamoniæ grana.ij. formentur quinq;. Aut ℞ conseruæ uiolarum, electuarij è succo rosarum ana ʒ.iij. rhabarbari ʒ.ß. fiat bolus. Aut ℞ caßiæ recens euulsæ, diapruni simplicis ana ℥.ß. diagridij grana.iiij. Aut ℞ rhabarbari ℈.iiij. agarici trochiscati ℈, ij. macerentur per noctem in aqua fumariæ, & expresso addatur diacatholici ℥.ß. Diximus hunc morbum primo congressu inuincibilem, attamen animum, ne desponderis, sed iterum, atq; iterum ad eadem reuertere, aut congruentia noua comminiscere. Auicenna inquit phen quarta primi: Caue ne ab eo, quod agere conuenit, declines, quamuis impreßio tardauerit. Nec persistas in errore aliquo, etsi eius nocumentum non apparuerit, nihilominus non permanes in unico remedio in eadem curatione, sed ad aliud transeas: quoniam corpus non afficitur re consueta. Quodlibet præterea corpus, quodlibet membrum, imò idem corpus, idemq; membrum in diuersis temporibus proprietatem habet, ut poßit ab aliquo remedio affici, ab aliquo uerò non. Id nec ipse Peripateticorum princeps subticuit, qui libro secundo Æthicorum sic habet: Actiones autem, & ea quæ prosunt

ſunt, nullam habent ſtabilitatem. Atq; quum ta lis ſit ſermo uniuerſalis, multo minus is ſermo certitudinis habet, qui de ſingularibus eſt. Nam neq; ſub artem, neq; ſub præceptionem ullam cadunt. Sed oportet ipſos agentes ea ſemper con ſyderare, quæ ad tempus accommodantur. quemadmodum & in medicina fit, & in guber nandi etiam arte. Enitendum eſt tamen opem, & auxilium ferre. Vtiles ſunt conſerua roſarum, nenupharis, boraginis, bugloßi, fumiterræ, cichoreæ. Aut in hunc modũ paretur eclegma: ℞ conſeruæ florum cichorij ℥.ij. corticis citrei conditæ, conſeruæ roſarum ana ℥.j. diarhodi abbatis, diamargariti frigidi ana ℥.ß. oßis humani cranei uſti ℈.iiij. ſeminis pæoniæ mundati ℈.iij. raſuræ eboris ℈.ij. ſpodij ℈.j. concorporentur cum modico aquæ mentæ, Capiti infundatur oxyrhodinum, & mox camelinum. Naribus trahant ſuccum cucurbitæ, ſolatri, cum momento nigellæ, & pæoniæ. Si melancholicus ſuccus, qui fœcibus uini non abſimilis eſt, negotium exhibet, hic (ut craſſa pituita) comitialem quoq; efficere ſolet, quoties in meatibus uentriculorum retinetur, ſiue is medius ſit, ſiue poſtremus. Diuturna eſt his mentis ac intellectus alienatio, multa effutiunt, uociferantur, baubant, ululant, hinniunt, præſertim ſi ea me-

lancholia de genere sit adustæ bilis, & tum breuis est neruorum retractio. Hippocrates ait: Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur, & contrà, morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici.

Si uniuersum corpus sanguinem, melancholicum continet, curationem à uenæ sectione incipere oportet, eaq; statim perforetur, quæ media est, & communis. Si uero solum cerebrum hunc habet, neq; omnino exuccum est corpus cephalica fodiatur. Quare in primis uniuersi corporis habitum contemplari conducit, nempe molles, candidi, obesi hunc succum minime tenent. Macri uero, & nigri, & hirsuti, & quibus latæ sunt uenæ, aptissimi sunt, ut huiusmodi in ipsis humor accumuletur. Ab hac autem & deriuationes per narium epistomia fieri possunt post aliquantulam attenuationem, & concoctionem. Aluus laxetur infuso ueteris gallinacei decocto cum sena, polypodio, thymo, epithymo, thymbra, hyssopo, passulis, caricis, semine lini, pæoniæ, seseli: postea sumāt dies aliquot mane, & sub uesperam syrupū è fumoterræ, boragine, buglosso, aspleno, epithymo: aut huiusmodi aposema conficiatur, ℞ boraginis, circij, capnij, lupulorum, ana. m. j. absinthij romani, centaurij ana. p. j. corticis radicis fœniculi, sparagi, cap

ragi, capparũ añ ℥.ß. ſeminis aniſi, marathri, ſeſeli, ameos, pæoniæ añ ʒ.ij. paſſularũ enucleatarũ ℥.ij. glycyrrhizæ ʒ.iij. coquãtur, et colaturæ adde ſyrupi epithymi ℥.iij. oxymellis ſcillitici ℥.ij. Ab ipſa cõcoctione atra bilis expurgetur, pilulis è lapide lazuli, aut è lapide potius armeno, quoniã ille uehemẽter infamis eſt, et à multis inter uenena reijcitur, iã rarus admodũ eſt armenus, quare pilulis utãtur è fumoterræ, aut aggregatiuis, & diacatholico, diaſena, cõfectione Hamech. Pilulas ellebori deſcripſit Haly, mire efficaces, quibus aliquando non ſine fructu ſum uſus, eas narrat Meſue in ſuo de Simplicibus capite de ellebero, in hunc modum: ℞ hieræ picræ ʒ. xij. ellebori nigri, polypodij ana ʒ.v. epithymi ſtichadis ana ʒ. vij. agarici, lapidis lazuli, (aut ipſius loco armeni) ſalis indi, colocynthidis ana ʒ.iij. dentur duo, trés ue ſcrupuli. Sunt qui addant ſucci eupatorij, ſpicæ ana ʒ.ij. caryophyllorum ʒ.j. & ſuperadde ſeminis pæoniæ numero.xx. Quod ſi catapotia horreant, bibant confectionem Hamech cum decocto hyſſopi, aut hieralogodium cum decocto centaurij: admonendus non es, ipſa res loquitur, & me tacente clamitat, uti modo concoctio, modo excretio, per interualla iterentur: annitẽdum eſt præterea, ne iſtos (alioqui ex qualibet occaſione pa

Pilulæ Hali ex ellebo-ro.

uentes) metus aliquis perterrefaciat, & formidine recursus morbi crucientur. Solet huiusmodi expectatio hominem tabefacere, & ab omnibus iucundioris uitæ munijs turpiter abstrahere: neq; uanum est illud populare, Imaginatio facit casum. Sumant mane expergefacti lætitiam Galeni, aut exhilarans Rasis, theriacam, mithridatum, electuarium é gemmis: aut tale paretur ℞ conseruæ melissæ ℥ ij. conseruæ anthos, corticis citrei conditæ ana ℥ j. conseruæ buglossi, myrobalanorum nigrorum conditorum ʒ. vj. specierum aromatici caryophyllati, diamargariti ana drachmam. j. seminis pæoniæ mundati ℈. iiij. cum melle scyllitico misceantur. Fugiant cibos melancholicos, multam inediam, multas uigilias, æstus, labores, iram, tristiciam. Conducunt cibi euchymi, moderata epulatio, tempestiuus somnus, temperatum cœlum, mite exercitium, alacritas, & bona spes.

Ex uentriculo prodeuntis curatio.

Ventriculus quum male affectus hunc morbum gignit, acri speculatione dispiciendum, quisnam succus in eo redundet, cuius aspiratione cerebrum tentatur. Vapores ex oppleto uitiosis humoribus stomacho sursum conscēdunt, & sese insinuant cerebro, ipsiusq; membranulis, & prauitatem secum deferentes, à qua stirpe sobolescunt, cerebrum, ipsas ue membranulas, quæ

las, qua parte sentiunt, nequiter feriunt, lancinunt, contundunt, quam conturbationem protinus totius corporis conuulsio excipit. Non nunquam primum mali sensum os uentriculi subit, deinde per consensum, & arctam societatem ipsum transuolat, & cerebrum impetit. Quo concusso necessum est, et corpus reliquum concuti. Itaq; non procrastinantes noxium succum è stomacho pessum dabimus, ipsumq́; emplastris, cæratis, linimentis, embrochis, sacculis, modisq́; omnibus corroborabimus. Galenus ait libro quinto de Affectis locis: Grammaticus quidam iuuenis quoties uel nimis uehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam sustineret, ut irasceretur, comitiali capiebatur. Perpendi equidem in hoc, os uentriculi, utpote quod facile sentiret, affectum esse, & totum cerebrum, & corpus uniuersum conuulsione concuti. Cui probam concoctionem accurate procurare, ac deinde uel tertia, uel quarta hora panem optimè præparatum præbere iußi, atq; hunc quidem solum, si nõ sitiret, si uero siti cruciaretur, ex uino madidum, & quidem albo, atq; subacerbo. Itaq; quolibet anno bis, aut ter medicamentum amarum ex oleo ei exhibui. Purgatis deinde ex uniuerso uentre excrementis, resumptisq́; ad proprias functio-

Historia Grammatici epileptici.

nes uiribus, uir ille uiginti annis, quibus ille superstes permansit, integra inculpataq; ualetudine uitam exegit. Alios quoq; plurimos ob oris stomachi uitium correptos uidimus, quum aut non probè concoxissent, aut meracioris uini plurimum bibissent, aut ubi Veneri immodicè operam dedissent. Et quosdam etiam per febres correptos, qui bilioso superueniente uomitu, protinus ab omni noxa liberati fuerunt. Et hoc modo affectorum alij res quasdam fustas, alij humorem porri succo similem, alij uitiosos cibos reiecerunt. Quòd si ex splene, hepate, utero, uermium copia morbus oriatur, ut suas quodq; notas malum singulatim ostendit, sic & pericularem curationis rationem postulat. Quas uti denarrem, locus minimè exigit.

Ab extremo aliquo membro epilepsiam prodire plane constat, quum in eo humor aliquis gignitur, qui perniciosarum ferarum uenenis comparari poßit. Galenus sexto de Patientibus locis sic habet: Facile intelligitur à canibus quantam habeat uim afficiendæ rei aptitudo. Quum enim reliquorum animalium nullum rabie capiatur, solus canis eo affectu corripitur, atque tanta fit in ipso humorum corruptio, ut solum eius sputum, si humanum corpus contigerit, rabiem excitare poßit. Vt igitur ab exiguo initio, sputi

tio, sputi uidelicet qualitate, aucta quædam in corpore dispositio, quando ad magnitudinem notatu dignam peruenerit, discerni potest: idque post sex menses, quum non nũquam ante id tempus nulla nota depræhendatur. Sic eodem modo, uitioso humore in animalis corpore genito, paulatim tractu temporis principalium partium aliqua consentit, à qua deinde uniuersum corpus celeriter alteratur. Quibusdam istud à magno pedis digito euenit, atq; alijs uel ab alio digito, aut crure, aut manu, aut brachio. Et hi per neruosas partes quid sursum ferri, & in cerebri regionem subrepere manifesto sentiunt. Imprimis conferunt uincula, quibus superna pars affecti membri diligẽter uinciatur, ne morbi incitamentum non intercepto itinere, sursum conscendat. Deinde aluus clysteribus eluatur, & uniuersum corpus, si qui succi abundabunt, idoneis pharmacis perpurgetur. Mox ipsius membri labefactata constitutio opportunis præsidijs restituatur, & sinapismus applicetur, & cucurbitulæ, & palustres testudines obscœnum uirus extrahentes affigantur. Galenus ait libro tertio de Sedibus affectis: Ad hanc rem in primis conferunt uincula superioribus partibus iniecta, ab ijs enim præsentaneum auxilium expectatur. Id quod in uiperarum, scorpionumq; icti

Curatio ex aliqua extremarum partium.

bus, item aspidum quoq;, quod propter subitariæ mortis periculum magis incredibile est, expertus sum: sic puerum quoq; cuius morbus comitialis à crure oriri consueuerat, medici, qui tunc ad eius curatiouem conuenerant, sanare sperabant. Si in primis uacuato uniuerso corpore, medicamentum ex tapsia, aut sinapi adhiberent, ligato in medio membro supra eam uidelicet partē, quæ primaria dispositione erat affecta, atq; hoc pacto accesionem reuerti prohibuerunt, quamuis antea quotidie puerum infestare consueuisset.

CAPVT VIGESIMVM-sextum de Ephialte.

EPhialtes nocturnum est ludibrium. Græcis dicitur ab eius nominis homine. Aut quod hoc malo correpti sentiant se, quum in somnum delabuntur, grandiore quadam mole opprimi, & tristi incubitu irruentis phantasmatis (unde & Latinis Incubo scribitur) pulsari. Appræhensio hæc animam uehementer attonitam reddit, & terrificis imaginibus percellit, ut afflicti sese non nunquam exaudire innitentem
Signa. incubum credant, Veneremq; ex ipsis exigere. Paulus in describendis ægritudinum notis mirus

artifex beneq; peritus, ait: Comitatur eo detentos difficilis motus, torpidus in somno sensus, suffocationis formido (quam ob causam Themison Pnigalionem appellauit) & hi quandam ueluti ingruentis alicuius occupationem fatētur, ipsa quoq; præcordia arctius stringi, uocem supprimi, & si uociferari conentur, altumq; inclamare, dubiam, incertam, atq; indiscretam elidunt, quin sæpius omnino, quantumuis moliantur, nullam. Omnium experrecti meminerunt, non nullis ob angorem sudor erumpit. Virgilius hunc descripsisse uidetur duodecimo Æneidos de Turno loquens his uersibus:

Ac ueluti in somnis oculos ubi languida presßit
Nocte quies, ad quicquam auidos extendere cursus
Velle uidemur, & in medijs conatibus ægri
Succidimus, nec lingua ualet, nec corpore notæ
Sufficiūt uires, haud uox, haud uerba sequūtur.

Nuperrimè sacrificus quidam me conuenit, Domine inquit, nisi succurras misero, & afflicto, actum est, & prorsus perij, Tabes me habet, Vidén' quàm sim emaciatus, quàm exanguis, uix tenui pelle contegor, succulentus esse soleo, speciosulus, & bene habitus, nunc fœdum spectrum uideor, hominisq; manis imago. Quid, inquam, te cruciat, & quam affectus tui

Sacrificus uexatus in cubone.

causam opinaris? Dicam, ait, intrepide, & ualde admiraberis. Sub quamlibet ferme noctem ad me commeat muliercula mihi non ignota, & pectori meo illabitur, illapsa uiolenter comprimit, atq; coarctat animæ meæ uias, ut ægrè respirare queam. Quin clamitare cupienti uocis iter præcludit, ut quantam præ pauore nitor attollere, minime queam. Nec manus ad propulsandam iniuriam, nec pedes ad capessendam fugam expedire ualeo. Vinctum me, & affixum tenet. Heus, inquam, surridens, nihil admirandum prædicas (ex narratione Incubonem intelligebam) merum est phantasma, merū ludibrium. Nec plura moratus, Phantasma inquit, ludibrium inquit, profecto nō est, ita me Deus amet, quæ hisce oculis conspicatus sum, & quæ hisce manibus exercui, denarro. Equidem uigilans, mentisq; compos, eam uideo coràm, & inuadentem accipio, conorq; obluctari, sed præ languore, metu, angustia, & impacta ui, nihil efficio. Hac de re horsum uorsum amēs cursitaui unum quemlibet percunctans, posset ne succurrere miserabiliter pereunti. Minoritam cōsului (quem callidum ueteratorem dicunt) ab hoc præsentaneam opem sperabam. Sed spe mea plane frustratus sum, nullam is salutem attulit, tantum monebat Deum optimum, maximum, (quem iampridem preci-

dem precibus fatigaram) strenuè adorandum, ut dignaretur infestam uexationem auertere. Adij uetulam quandam pro fama populari, sagam atq; uersutam. Hæc aiebat, qui sub crepusculum diei statim ab excreto lotio matulã obturarem dextra caligula, & fore, ut eoipso die malefica me inuiseret. Id & si uanum uidebatur, nec parum me ab experimento absterreret religio, uictus tamen impotẽtia, & diuturni laboris tædio, tẽtaui. Et per Iouem accidit uaticinium, ueniens in domum meam ueßicæ cruciatum querebatur, nec potui ab illa aut preculis supplex, aut contentione minax impetrare, ne sub noctem ad me terrifica commearet, sed implacabilis ueterem morem asseruat, semelq; constituit me fœdo angore conficere. Hominem hunc uix quiui ulla oratione ab insania reuocare, sed à secundo, tertio úe congressu hilarior factus morbum agnoscere cœpit, & sanationis spem fiduciamq; concipere. Theodorus Bizantinus in ea est sententia, qui existimet simulachra hæc, & has nocturnas apparitiones, sapientibus, fortibusq; uiris nunquam apparuisse, sed pueris, muliercculis, uecordibus, mollibus, atq; ægrotis, qui propter imbecillitatem animi & corporis aßidua formidine, uanisq; insomnijs quatiuntur. Sunt qui ephialticos noctu eadem pati arbitren

Ephialtes quibus accidat.

tur, quæ comitiales interdiu Galenus ait libro de utilitate ſpirationis: Apoplexia ex humore plurimo, ac craſſo gignitur: Epilepſia nec tam multo, nec uſq; craſſo, interdum quoq; ex ſolo fumo ab ipſo uentriculo, pede, alió ue membro, ceu frigida aura caput conſcendente. Somnus à multo tenuiq; uapore eſt, qui diuturniorem, ſed minime difficilem obſtructionem facit. Quamobrem non nulli ſoporati ſentiunt, mouentur, loquuntur, imaginantur, quod & epilepticis quibuſdam euenit. Eſt & ephialtes comitialis quædam in ſomno.

Cauſæ. Originem uitium hoc primitus trahit ex ingluuie, & plurima ſtomachi cruditate, ex cacochymia, & in uenis uniuerſi corporis prauorum ſuccorum abundantia: de quibus uapores, fumi, halitus, denſi, opaci, craßi ſurſum in arcem, & officinam ſenſuum turmatim conſcendunt, et opplent cerebrum, eiuſq; uias obſident, animales ſpiritus conturbant, & inamœna internis ſenſibus ſimulachra ſuggerũt. Quemadmodum ſub ueſperam nõ nũquã, aut ipſius diei crepuſculum oculos in cœlum attollentes, innumeras, & admirabiles rerum ſpecies ex ipſis nubibus (quæ uapores ſunt ſubter mediam aëris regionem illati) fabricamus. Nunc caſtra, nunc urbes, montes, ſaltus, paſcua, oues, & boues, ſerpentes,

Nubes uarias imagines reddẽt.

pentes, leones, dracones, & quiduis aliud, propter uarium, & ambiguum indigestæ materiæ confluxum.

Lucretius inquit libro quarto:

Vt nubes facile interdum concrescere in altum
Cernimus, & mundi speciem uiolasse serenam,
Quæ multis formata modis sublime feruntur,
Aëra mulcentes magnorum sæpe gigantum
Ora uolare uidentur, & umbram ducere late,
Interdum monteis magnos, auolsaq́; saxa
Montibus anteire, & solem succedere præter,
Inde alios trahere, atq; inducere bellua nimbos,
Nec speciem mutare suam liquentia cessant.

Haud aliter hæc idola, & occursacula in cerebro excitantur. Vnde pauor, metus, anxietas, et plurima mortis imago. Sed tandem post terribilem luctam, & difficilem laborem attenuantur, soluuntur, dißipantur, & euigiliat homo, etiamnum horrens, & perpessæ erumnæ memor. Galenus ait uigesimoquarto Aphorismo tomi tertij: Pauores per somnum infantibus adsunt, ijs præsertim, qui sunt natura edaciores, quando loca ad uentriculum pertinentia sensum quidem uigeant, sed imbecillia existant, cibus uero corrumpitur. Nos siquidem obseruauimus non in tantillis solum, sed in ætate quoq; perfectis terribiles fieri per somnos imaginationes. Quando

multi,& uitiosi humores grauant,ac mordent uentriculum,præsertim ipsius os. Quibusdam ex frigore externo accidit,quum retecto capite dormiunt. Alijs ex imminentibus lunæ radijs. Non paucis ex diurnis affectibus.

Huic malo celeriter occurrendum est, nec procrastinari curatio debet,ne de uetustate uires accipiat,& domesticum efficiatur. Non solum enim,si perseueret,crebriusq; ingruat,grauiores morbos prænunciat,sed eos etiam labefactato cerebro,ac sensim collecta in eo uitiosorum humorum copia, gignit apoplexiam,epilepsiam,maniam. Moderato uictu utantur, & qui facile à uentriculo superetur, & confectus prompte digeratur,non fumosus,nec flatulentus,nec ob iter obhærens. Conducunt caro ueruecina,uitulina,hœdina,aues montanæ ac campestres,oua recentia, pisces saxatiles,capparis ex oxymelite. Comedant latrante stomacho. A pastu sumant diacotoneum,aut coriandrum in aceto maceratũ,aut huius tragematis cochlear: ℞ panis bis cocti ℥.ij.cinnamomi ℥.j.seminis anisi,fœniculi ana ʒ.j.rosarum rubearum,coriandri præparati ana ℈.ij.mentæ siccæ, rutæ arefactæ, cubebarum, caryophyllorum,nucis moschatæ ana ℈.j.sacchari infusi in decocto betonicæ ℥.iij.fiat tragema. Vinum bibant dilu-

Dieta.

tum,aut

tum, aut mediocrem ceruisiam, aut hydromel. Fugiant longas uigilias, longos somnos, & labores longos. Dormiant cibo in imum uentrem delapso, nec in spinam supini. Moderato exercitio se commoueant, frictio à scapulis ac thorace incipiat, in crura, pedesq; procedat. Caput membrorum omniũ postremum fricetur. Pedes subinde lauent decocto foliorum lauri, mentæ, saluiæ, rorismarini. Vitent solem, æstum, gelu, uentum, ignem, fumum, Venerem. Animum à lascinis fabulis & cogitationibus auertant, sese oblectent, tempusq; fallant cantu, ac lepidis commentatiunculis. Si sanguis exundat, protinus expedit mediam pertundere uenam, aut cephalicam, si ea facere satis potest. Quod si hæmorrhoides suppressæ nihili reddunt, confestim aptis subsidijs concitentur. Aut menstrua proluuies si cessat, idoneis medicamentis proliciatur. Et in hoc euentu præstat uenam iuxta talum decurrentem perfodere. Cucurbitulæ sub poplitibus, & nisi malum leuetur, sublato spatularum osse defigantur. Hippocrates dixit in eo, cui titulum fecit, de Natura uirginum: sunt terrores imaginosi, qui tam uehementer homines territant, uti desipiant, sibiq; spectare laruas quasdam infensas, dæmonasq; uidentur, modo nocte, modo die, modo utroq; tempore. Sed sæpius fœ

Curatio ex sanguinis copia.

minæ, quàm uiri, & magis uirgines patiuntur, quibus nuptiarum tempus aduenit, maturæq; iam uiro sunt, præsertim quum menses descendunt. Nam ante hoc non admodum male afficiũtur. Postea enim sanguis in locellos liquitur stillat úe, tanquam defluxurus. Quum enim os non patet, quo defluat, sanguisq; ob cibaria, corporisq; incrementum plurimus illic cogitur, tuncq; quum quo defluat, non habeat, præ copia cor, septumq; transuersum petit, & quum hæc plena sunt, cor languescit, marcescit, torpescit, delirat, desipit. Sed equidem hortor, mandoq;, quum sic uirgines patiuntur, quàmprimum cum uiris coniungi, & commisceri, sanguis quoque mittatur, nisi quid uetet. Nam si concipient, sanescent, sin minus causa pubertatis, uel paulo post cessabunt. Quod si quis se uel propter ætatem, uel timiditatem permittere me dico ad sanguinem ullo modo detrahendum nolit, aut non tantum sanguinis ducere licebit, quantum morbus exigit, neceßum erit uel clysmatibus, uel catharticis, uel inedia, uel frictionibus, uel sudoribus, copiam exhaurire. Clysma aluum eluens: ℞ mercurialis, betæ, maluæ, altheæ ana. m. j. florum chamæmeli, meliloti ana. m. ß. seminis anisi, fœniculi, pæoniæ ana. p. j. passularum mundatarum ℥. ij. folliculorum senæ ℥. j. caricarum

Phlebotomiam recusantibus aluus soluatur.

caricarum numero. vj. furfuris. m. j. coquãtur, colaturæ adde diacatholici ℥. j. olei uiolarum, anethi ana ℥. j. ß. salis modicum, infundatur. Per dies aliquot sumant syrupum è cichorea, aut è bizanzijs cum decocto florum boraginis, circij, radicis sparagi, locustæ, dentis leonis, seminis marathri, melonum, & pæoniæ. Deinde uacuentur caßia, manna, rhabarbaro, capnio, diapruno, electuario è psyllio, è succo rosarum, in hunc modum: ℞ caßiæ recens euulsæ ʒ. vj. electuarij è succo rosarum ʒ. iij. diagridij grana. iij. cũ aqua bugloßi fiat haustus. Aut ℞ rhabarbari ℈. iiij. maceretur in aqua fumiterræ, & expresso adde diapruni simplicis ℥. j. Sub noctem dormituri sumant conseruam boraginis, bugloßi, calendulæ, melissophylli, diarhodum, diamargaritum. Aut huius eclegmatis cochlearium: ℞ corticis citrei conditæ, myrobalanorum citrinorum conditorum ana ℥. j. conseruæ rosarum, bugloßi ana ℥. ß. diacotonei ℥. j. specierum diarhodi abbatis, specierum diamargariti frigidi ana ʒ. j. coriandri præparati, seminis pæoniæ mundati ana ℈. j. galliæ moschatæ ℈. ß. foliorum, seu bracteolarum auri numero. v. incorporentur, cum syrupo è menta.

Ex phlegmate curatio.

Quod si phlegma in uentriculo, capite, aut in uenis uniuersi corporis abundans morbum fa-

ciat, quod albidus, plumbeusq; color indicabunt, qui sunt (auctore Galeno) crudorum humorum indices: His statim concitandus est uomitus, & aluus clysteribus expurganda. Vti quoq; debent extenuantibus, & incidentibus medicamentis. Cuiusmodi sunt syrupus è marrubio, calamyntha, thymo: è radicibus, oxymel scylliticum, in hunc modum: ℞ syrupi acetosi compositi ℥.iij. mellis rosati ℥ j. decocti hyssopi et thymbræ. ℔ j. Aut ℞ camedreos, camepitheos, pulegij, melissæ ana. p. j. seminis anisi, fœniculi, seseli, pæoniæ ana. p. ß. radicis inulæ, iridis, corticis citrei siccæ ana ʒ.iij. maceris, caryophyllorum, nucis moschatæ, cardamomi ana ℈. j. coquantur secundum artem, & excolato adde syrupi stichadis ℥ ij. hyssopi, & marrubij an̄ ℥. j. Pòst si qua apparebit concoctio, catharticum propinetur, aut diaphœnicum, aut electuarium Indum, aut hiera diacolocynthidos, Archigenis, Ruffi, oxymel Iuliani. aut pilulas uoret pro hoc modo: ℞ pilularum cocciarum ℈. ij. è hiera ℈. j. elaterij granum. j. Aut ℞ pilularum elephanginarum, aggregatiuarum ana ʒ. ß. diagridij grana. iij. Aut ℞ pilularum assayeret ℈. ij. è elleboro ℈ j. salis indi grana. iij. formentur. v. & dentur à modica cœna: aut à primo somno. Si gustum pilularum horreant, & earum

earum amaritudine terreantur, inuoluantur saccharo, aut cinnamomo, aut glycyrrhiza. Habet prouerbium, quum molestiæ aliquid nobis perferendum obuenit, ut dicatur id deuorandum, ceu solemus catapotia, raptim scilicet, ne nos tristi sensu commansa torqueant. Aut hanc potionem bibant: ℞ diaphœnici ʒ.vj. cum decocto hyssopi misce. Aut ℞ diacnici, diaturbit cum rhabarbaro ana ʒ.iij. cum aqua absinthij, aut ipsius diluto fiat haustus. Cubitum concedentes sumant conseruam anthos, stichadis, melissophylli, mentæ, aut nucem myristicam confectam, aut inulam, aut huius tragematis cochlearium: ℞ seminis anisi, fœniculi confectorum ana ℥.j. aromatici rosati, electuarij è gemmis, diamoschi dulcis ana ℥.ß. rosarum saccharo confectarum p.j. coriandri præparati. p.ß. fiat tragema. Circa lectum sternantur ruta, peganum, sampsuchus, pulegium, thymum, pæoniæ radix. Cuius quindecim quoq; grana continuè danda sunt ex aqua. Per interualla sub auroram confecto cibo capiant mithridatum, theriacam, auream Alexandrinam. Quinetiam utiles erunt gargarismi, apophlegmatismi, errhina ad detrahendam pituitam. Sacculus conficiatur pro hac formula: ℞ rorismarini, sampsuchi, pulegij, calamynthæ ana. p. j. florum anthos, stichadis, camomil-

læ,meliloti ana.p.ß.caryophyllorum,maceris, xiloaloes,ſtyracis,benzoi ana ℈.j.fiat ſacculus. Naribus ad olfactandum crebro ſuggerant mẽtam,thymum,peganum,rutam,maioranam, lauandulam,nigellam.

Ex atra bile curatio.

Si affectum gignat atra bilis,triſtes incedũt, pauidi, & meticuloſi ſunt,ob quamlibet iniuriam deſpondent animum. Humor is molliatur ſyrupo è capnio, bizanzijs,epithymo,cichorea,melle roſato. Aut in hunc modum: ℞ aquæ bugloßi, ſcabioſæ,ana.℔.ß.ſyrupi fumiterræ, ſcolopendrij ana ℥.j.ß. Aut decoctum paretur in hunc,aut conſimilem modum: ℞ florum cordialium ana.m.j.fumiterræ,ſcabioſæ, boraginis,bugloßi ana.m.ß.corticis radicis fœniculi, petroſelini(oreoſelinum dicunt)ſparagi ana ℥.ß.corticis tamaricis,radicis capparis,pæoniæ, inulæ ana ʒ.iij.glycyrrhizæ ʒ.ij.ſeminis aniſi, marathri,ana ʒ.j.paſſularum purgatarum.m.j.fiat decoctio in aquis betonicæ, meliſſæ, & ſcolopendrij,excolatum melle dulcoretur. Poſtea ſuccedat uacuatio diluto ueratri,aut ſenæ, epithymi,myrobalanorum. Aut exhibetur hieralogodium,confectio Hamech,diaſena,diacatholicum,pilulæ indæ,ellebori, lapidis armeni è fumoterræ,pro hac forma: ℞ pilularum fumiterræ ℈.ij.è ueratro ℈.j.fiant quinq;. Aut ℞ pi

lularum

lularum indarũ, è lapide armeno añ ʒ.ß. Quod si uorare catapotia recusat (Vidi aliquando inter deuorandum, quod in fistulam pulmonis aberrarent, et patiens præfocari uidebatur) sumat hanc potionem: ℞ diacatholici ʒ.vj. diasenæ ʒ. iij. diagridij grana .ij. cum decocto melissæ. Aut uncia una pulueris senæ maceretur in aqua fumiterræ, & huius excolati uncijs quatuor aut quinq; adde syrupi epithymi ℥.j. Aut lapidis Armeni quatuor oboli toties abluantur in aqua pluuiali, ut nec eius odor, aut sapor, gustata aqua sentiatur. Quod ferè post quinquaginta ablutiones fieri consueuit, post quas iterum ter aqua rosacea perluatur, & tum in melicrato accipiat. Hi fugiant cibos melancholicos, omnem ueterem carnem, & bubulam, ouillam, arietinam, hircinam, ceruinam, leporinam. Omnes grandes aues, & in aquis escam quæritantes. Panem uitent secundarium, oua frixa, caseum, & id genus alia, quæcunq; crassum, terreum & feculentum succum gignunt. Interdum assumant conseruam anthos, stichadis, calendulæ, læticiam Galeni, exhilarans Rasis à collo gestent corallium, aut radicem pæoniæ. Quæ Ephialtion propterea dicta est, quòd nocturnis incubonum ludibrijs medeatur. Eligenda in hunc usum, quæ folio nucis regalis constat, radice alba, digitali

craßitudine, longitudine palmi, et gustu astringente. Pauorem omnem in somnis pellere dicitur anesum puluinis, culcitrisq; inspersum, ut suo defluxu, ac odorato spiritu cerebrum imbuat. A collo pyriten gestans lemures, ac laruas non timet. Est & literis proditum, qui lupina pelle conteguntur, suauiter, & sine ullo formidinis incursu edormiũt. Cæterum quibus hæc non subueniunt, neq; expectatam opem adferunt, apud Atlanteos ocyus profugiant, ibi somnia non uideri narrant. Quod si extrinsecus algor officiat, calido in loco decumbant, & caput pileo communiant, oleoq; rutaceo, costino, laurino perungant. Si lunares radij tumultum concitant, summum præsidium in fuga & auersione situm est, & sic occludere fenestras, & rimas obstruere, ne cubantem attingant.

Atlanteis somnia non uidentur.

CAPVT VIGESIMVM-septimum de Apoplexi.

PAranti de Apoplexia dicere, statim illud ueridici senis (cuius sententiam pro Dei uoce habendam Galenus libro primo diuini sui operis, de Vsu partium, censet) in mẽtem uenit: soluere morbum, quem Apoplexiam uocant fortem, est impoßibile, debilem uero non facile.

Hippocratis sententia pro Dei uoce habenda.

Quod

Quod animum in ipso limine absterret à progressu, atq; adeo omnem fiduciam debilitat, uti sperare non audeam operæprecium me facturum, si de curanda quicquam aggrediar. Sed quum nec omnes (attestante Galeno) moriantur, quibus mortalia signa insunt, & planè constet, aut naturæ beneficio, aut artis adminiculo non nullos seruari, minimè consultum fuerit, nihil obstitisse. Auicenna inquit: Aliquando quidem accidit, ut homo apoplexiam incurrat, & non sit differentia inter ipsum & mortuum, nec appareat in ipso aliquis anhelitus, deinde reuiuiscit, & sanatur. Et nos plurimos eorum uidimus. Quæ igitur ueterum præcepta sunt, & ipse ex usu, & de periculo salutifera comperi, haud grauabor ascribere.

Apoplexia morbus est, quo qui corripitur, & motu, & sensu in uniuerso corpore priuatur, solus anhelitus restat, nec is integer, sed multifariàm dissentaneus. Malum hoc plerunq; citra febrem aduenit, & hominem repente magna ruina in terram prosternit. Collapsus ad nullas uoces, ad nullas inclamationes, nec ad quasuis collisiones expergiscitur. Tam grauis torpor attonitum tenet, quem nullis stimulis discutere queas. Nec laniata acutis ensiculis carne, nec ea Signa.

candente cauterio ambusta, quicquam abnuit. Anhelitus quidem haud prorsus intercipitur. Natura enim, quæ animalis uitam, quantisper ualet, omni enixu tuetur, omnem lapidem mouet, & cunctos musculos thoracem mouentes propter respirationis necessitatem officiosa per reptat, eosq; in quantulamcunq; operam excitat, donec euicta non queat amplius. Et quemadmodum arteriæ ex corde proficiscentes minus in hoc uitio obturantur, quod suos pulsus, etsi omnino obscuriores, ac sublitescentes in mortem asseruant. Sic nec omnes nerui musculis respirationi inseruientibus plene obstruuntur. Sed non nulli naturæ uigore in officio utrunq;, & aliquantisper se continent. Galenus tamen cunctos plerunq; moueri ait. Sic habet Aphorismo quadragesimosecundo, libri secundi: Videtur autem hoc fieri propter respirationis necessitatem, quæ neruorum uim excitat ad operationem. Et ob hanc ipsam causam magna ex parte musculi omnes in Apoplexijs operantur, thoracem mouentes, etsi raro prius omnes operabantur. Quemadmodum in uehementibus exercitijs anhelitus plurimus est necessarius. Verum in apoplexijs non ob id, quod inaucta sit respirationis necessitas, sed quia uis est imbecillis, ideo omnes musculi thoracis simul coguntur operari

Anhelitus qualis apopleticis.

operari, in summam effatu dignam ex omnibus operationem colligentes. Iterum alibi sic habet: qua ratione homines per somnum spirant, & reliquis omnibus musculis quiescentibus, eadem quoque ratione homines per minorem apoplexiam, atq; alios uicinos ei affectus spirare possunt. Vbi uero uel apoplexia, uel alius quispiam morbus adeo uehementer increuerit, ut musculorum thoracis actio omnino deperdatur, perire simul respirationem necessum est. Vnde cordis quoq; temperamentum soluitur. Quo fit tandem, ut etiam animalis ipsius sequatur interitus, atq; hac ratione per uehementes superni principij læsiones animantia perire uidemus.

Omnes porrò apoplexiæ fiunt animali ui non potente defluere in partes capiti subiectas, propter aliquam dispositionem similem inflammationi, quæ in cerebro consistit, quam semper febris comitatur, & est præ alijs interimens. Aut ex frigidiore pituita, ac crassis, lentisq; succis principes cerebri uentriculos affatim, & uniuersim opplentibus, corpusq; ipsius nequiter temerantibus. In sopore ac morbo comitiali uentres magis, cerebri corpus minus, in apoplexia uero utraq; affici solent. Sanguis præterea huius uitij origo depræhenditur. Ex causis etiam procatarcticis, externis ue sunt casus, percussio, ter Causæ.

ror, flatus, gelu, ualidus æstus, magnus labor, præceps ira, & cum imbecilliore membro consensus. Quicquid (ut paucis multa complectar) aut claudit, aut implet semel, atque uniuersim meatus, ac tramites spirituum ex officina sensus & motus prodeuntium, id omne (modo citra neruosi generis contentionem incubet) apoplexiam gignit. Quam plærunq; antecedunt crebra capitis turbatio, & cum grauitate acutus dolor, uertigines, incubones, oculorum obscurationes, & subinde fulgores eisdem oborti, aurium sonores, uocalis plectri torpor, uenarum, quæ secundum guttur partiuntur, tumor, maxillarum pulsus, uniuersi corporis palpitatio, ad commotiones difficultas, manuum ac pedum stupor, intempestiui algores, somnolentia, inter dormiendum dentium stridores, graues ronchi, suffocationis imaginatio, lotium atrum, confusum, modicum, et quod in eo decumbit, farinam refert, mentis acies hebescit, memoria defluit, & omnis alacritas perit.

Signa præcedentia.

Apoplexiæ species

Galenus hunc affectum partitus est pro modo offensionis, quam spirationi infert: nimirum ea, quum naturæ ordinem plurimum inuertit, ac difficillimè procedit, magnum, fortemq; significat. Quum uero minus impedita est, nec tanta ærumna efflatur, paruum ac debilem indicat, &

cat, &

cat, & exiguam in cerebro tum esse noxam con ijcere oportet. Omnium peßima spiratio indicatur, quæ intermittitur, & ualida cum uiolentia retrahitur. Siquidem hanc, & multæ spumæ, et infames rōchi sequūtur. Cæterum spumæ in his non quemadmodum in epilepticis eueniunt, ex motu uidelicet spasmoso, & importuna concussione, quibus neruorum principium agitatur, uti à se propellat, quod infestat. Quamobrem neque in principio, & statim spumæ apparent, sed post, & inclinante paroxysmo salutem denunciantes erumpunt. In apoplecticis uero ex oppreßi cordis obluctatione scaturiunt, quod magno nisu attollitur ad captandum spiritum, & rursus in se concidens per impeditos meatus, & interseptas canales flatum remittere molitur, & crassos uapores excernere, qui pulmonis humido, & saliuæ in pharinge, faucibusq; constrictæ impliciti bullant, & euoluti circa os spumescunt, mortemq; portendunt. Neminem senis illud latet: Strangulati, ac dissoluti, nōdum mortui, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit. Ronchissant autem, ac grauiter stertunt, quod aër, spiritus ue ex officina uitæ reiectus per angustos tramites, & obstipatas fistulas eliditur. Angustia quidem accidit uel ob imbecillitatem facultatis pectus attollentis, aut

Apoplectici spumant.

Apoplectici rhoncissant.

propter copiam humoris illapsi. Iam quoties flatus per cohibitum foramen fertur, is in se compressus, ac ueluti retroactus indignatur, sonat, mugit, & in homine ronchos ædit. Qui ut maiores exorbitant, ita maiorem arguunt obsidionem, & hæc atrociorem morbum, qui celeriter exanimat. Hippocrates ait libro primo de Ratione uictus in morbis acutis: Sputum incoctum uiscosumq; non procedit, sed in pulmonis meatibus retentum, stertorem efficit. Quum itaq; ad hoc difficultatis peruenerit, magna ex parte mortiferum esse consueuit. Est tamen uidere, quando nullis ronchis, nullisq; spumis tacitus æger in exitium rectà contendat. Quo genere haud aliud funestius habetur. Quando scilicet ob nimium degrauatam uirtutem, & uias infarctas non tantillulum aëris inspiratur, quo remeante æger stertere queat, aut humoris quicquam spumescere. Morbus hic (quod sumus præfati) quum fortis est, nulla ratione curatur, etiam Æsculapius ex Epidauro si uocetur. Intra pauculas horas hominem in Elysios campos, aut in horrida tartara mittit. Si debilis est, potest quidem potentioris naturæ beneficio, & prudentioris artificis adminiculo superari. Multa profecto eget, eaq; bona, fortuna. Qui discrimen effugiunt, plerunq; in diuturnum affectum incidunt,

Apoplexia fortis non curatur.

incidunt, & hemiplexia, seu resolutione membrorum corripiuntur. Paulus inquit: Apoplexiæ morbus nequaquam, aut raro curatur, ut qui mortem in propinquo minetur. Si uero remedia etiam ipsum sustulerint, plurimum cum partis cuiuspiam corporis resolutione discedit.

Non est alius senili ætati magis familiaris: quoniam in ipsis cerebrum insigniter madet, ac pituitosis excrementis abundat. In pluuiosa quoque, & frigida temporis constitutione plurimum feruet. Quod hyems pluuiosa corpus pituita impleat, liquido patet, quum ex oris sputo, & mucco narium, tum & ex cæteris morbis phlegmaticis, præsertim tumoribus, qui præcipue eo tempore maxime albicant. Algores quoque non uno nomine officiunt, humidum sæpe in capitis cauernulis contentum cogunt, densant, aptantq; obstructionibus. Interdum labefactant, atque imminuunt potentiam, seu facultatem cerebri, qua proprium alimentum concoquit, & in eo euentu necessum est, multos crudosq; chymo in ipso coaceruari. Deinde quod in laxioribus spacijs fluidum exundat, frigoris ui exprimitur, et exturbatur in itinera spirituum. Vt si quis madidam, & plenam aqua spongiam manu constringat, protinus effugit aqua.

Senes obnoxij Apoplexiæ.

Quibus ergo aliunde periculum imminet, et

in metu ſunt, ne hoc morbo aliquando corripiantur, algida loca fugiant, ſpecus ſubterraneos, uliginoſas ualles, auſtrinos flatus, ſimul & aquilones. Galenus ait libro de Theriaca ad Piſonē: Ego ex fa miliaribus quendam noui in lecto adhuc decūbentem ex capitis ipſius conſenſu uenti flatum cognouiſſe. Quum enim capitis grauitate laboraret, ſtatim uentū, qui ſpirabat, auſtrum eſſe deprehendit. Cibos auerſentur pituitoſos, & in primis ebrietatem, crapulamq́; omnem, frigidæ quoq; potum, ſomnum diurnum, & prolixum omnem, uitam ocioſam, & umbratilem, exercitium etiam laborioſum. Galenus ait: Si hominem pituita plenum, uel flaua bile, uel atra, uel ſanguine ipſo uolueris ad exercitationes ducere, aut in morbum comitialem, aut in apoplexiam cōieceris: quod ſi hæc mala non eueniant, in alium incidet non minus grauem. Officiunt præter hæc, crebra & immodica Venus, anxietas, formido, repentina animi conſternatio.

Apoplexia rectam curandi rationem inuertit.

Rectam omnem curandi rationem morbi ferocia interuertit, non liceat infeſtum ſuccum concoquere, à coctione uacuare, à uacuatione quod reliquum erit, per commodas regiones digerere. Quin protinus ſine ulla cunctatione accelerandum eſt, ad reuulſiones, deriuationes, uacuationes, diſcuſsiones, quoquo modo fieri queant

ri queant

ri queant. Nisi quis forte prospiciens arripiat occasionem propinandi melicratum, in quo decoctum sit aliquid hyssopi, uel origani, uel traorigani, uel thymi, uel pulegij, siue quid huiusmodi uim habens attenuandi. Medicum tam habet suspensum, atq; perplexum, ut quid primum ex ægrotantis re aggrediatur, nullus satis perspiciat. Attamen admolienda est manus, et id agendum fortiter, quod in casu tam difficili ipsius artis primores: saluberrimum præscribunt. Plato in eo, quem de Regno inscripsit: Si quis, ait, ueram illam, & legibus traditam tuendæ sanitatis rationem, ad uentos, ad calores, ad frigora transferat, & circa hæc ex ingenio suo philosophetur: hic quidem nec medicus est nominandus, sed curiosus quidam, delirusq; sophista, & à quolibet in iudicium protrahendus: utpote qui iuniores alios corrumpat, suadeatq;, ut medicina pro suo cuiusq; arbitratu tractetur. Eodem pacto naues, morbiq; curentur, ac, si præter leges iuuenibus, aut senibus persuadere quicquã comperiantur, extremis supplicijs afficiantur. Neq; enim oportet quicquam legibus sapientius esse: neq; quenquam medicũ sanitatis naturam ignorare, scripta, moresq; patrios perdiscere uolentem. Apud Ægyptios quoq; (testatur historia) ægri à medicis olim curari solebant se

Veterum uestigia sequenda.

Ægyptiorum olim mos in curandis ægris.

cundum leges ab antiquis medicis, probatisq; scriptoribus traditas. Si quis normulas sacri libri secutus, infirmum persanare nequiuisset, omni crimine carebat. Si præterea, quàm quæ libris continerentur, illum curasset, morte plectebatur. Credebat legislator ea medendi cura, quæ plurimo tempore ab antiquis medicis obseruata, profectaq; fuisset, haud facile meliorem reperiri posse. Declarant hæc quo in præcio, qua ue existimatione maiores haberi debeant, neq; temere ab eorum decretis deflectendum. Quos inter illud nobile par, diuinum dico Hippocratem, inclytumq; Galenum, antesignanos, ac coryphæos constituere est æquum. Quorum sententijs, quicquid posteri conscripserunt, nisi plane consonet, repulsam accipere dignum est. Palmarium habetur Athletam Herculi, & Mimum placuisse Roscio. De his prædicare licet, quod Lycaones (ut est in Actis apostolorum) Lycaonice de Barnaba, ac Paulo clamitabãt, Dij in specie hominum ad nos descenderunt: & uocabant Barnabam Iouem, Paulum uero Mercurium, quod is dux esset uerbi. Ergo si quis (quod non nunquam accidit) ante plenam morbi inuasionem quædam ipsius tentamenta præsentiscat, hominem statim idoneis præsidijs præoccupare oportet, neq; curationem in hanc, aut aliam

Hippocrates & Galenus antesignani.

Curatio ante plenam inuasionem

horam

horam differre. Satius enim est in re molesta præuenire, & anteuertere, quàm præueniri, aut præuerti. Profecto hæc supina incuria non paucos è uita sustulit. In hisce primordijs dieta tenuis præscribatur, famem, sitimq; tolerent, à Venere omnino temperent, uinum non gustent, somnum fugiant, in quiete agant, & imaginatio imminentis mali tollatur. Imprimis conducunt clysteres, sumptio syrupi calamynthæ, hyssopi, mellis scyllitici, aut eorum alicuius quæ attenuant, reuulsio humoris noxij per commodas regiones, extremarum partium moderatæ frica-tiones, cucurbitulæ admotæ, in musculorum terminis uincula, uacuatio turgentis materiæ. Capiti infundatur oxyrhodinum, naribus indatur succus betæ adiecto elaterio, auribus instilletur castoreum, sumat mithridatum, theriacam, diacarpesium, electuarium è pæonia.

Curatio ex sanguine.

Cæterum morbus ipse, si quem collecta ui de repente, atq; impudenter prosternat, dispiciendum erit num facies tumeat, & rubore quodam perfundatur, num sublatis genis oculorum uenæ promineant, num tempora caleant, & arteriæ per collum effusæ extuberent, num uictus plenior fuerit, ac uita sedentaria. Quibus si temporis quoq; constitutio congruat, de sanguinis copia nemo dubitauerit. Huic aliud nullum æquè

præsentaneum fuerit remedium, quam subita uenarum sectio. Neq; hanc Alcinoi lunam expectantes procrastinabimus. Periculum enim inuincibile mora dederit. Nec Galeni illud ex libro nono de Curandis morbis hic locum habet: Si præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre uenæ sectionem iubebis, quantum satisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum ut excrementa descendant, uidebitur. Si tamen sic incidat, ut nec cruditas sit, nec uentris onera grauent, opportunior erit concisio. Quod si hæmorrhoides iamdudum præter consuetudinem suppressæ deliteant, aut mulieri menstrua purgatio non eat, plurimusq; & exuberans humor existat, iuxta talum, aut in magnum pedis digitum uulnus defigatur. Alioqui dextri cubiti externa fodiatur, mox ab hac, aut si nūc horas aliquot occupatus extitit, & iam decubuit ruentis materiæ moles in uiscerum internorum penitiores sinus, ut nunc præfocationi proximus sit, magna cum fiducia læui cubiti interna pertundatur, quo cor ipsum (sacra uitæ anchora) aliquatenus diffletur. Postea grādis cucurbita cum multa flamma sub sinistrū armum inijciatur, & uiolento incubitu tantisper inhæreat, donec obstructa itinera patefecerit. Rasis inquit libro tertio Aphorismorum: Apoplexia accidit regi

Hamech

Hamech filio Hali, & in principio curam conuenientem non habuit, sed dimiserunt eum, sicut erat, et nullus ex eius magistris ei aliud præcepit fieri, nisi inungi corpus odoriferis, & suffumigari. Quod sufficiens ei non credidi, sed feci uentosam collo eius apponi, & uelociter ab illa ægritudine exiuit, & est res, in qua confidentia esse debet. Petrus Apponensis in complemento Mesues: Scire, inquit, debes, quod mundificato corpore, si occurrat administratio uentosarum post sinistram spatulam, est res faciens te securum à morte, & quando res iam posita est in desperatione, in omni cordis paßione est medicamen fidele, uirtutem facit liberam, et spiritus respirationem, si deo placebit. & subuenit ægritudinibus diuersis. Capiti deraso infundatur oleum roseum, aut melinum cum aceto. Sed non multo post, aceto incoquantur serpillum, pulegium, calamyntha, thymum, atq; iterum addendum costinum, irinum, rutaceum. Clysma subijciatur ex decocto furfurum, radicis cucumeris agrestis, centaurij, cum nitro, sale, ac melle. Aut in hunc modum: ℞ betæ, mercurialis, ana. m. j. hyssopi, saturegiæ ana. m. ß. seseli, pæoniæ, marathri ana. p. j. polypodij quercini ℥. j. catharmi ℥. ß. colocynthidis ʒ. ß. coquantur, & excolato adde mellis rosati, olei chamæ

Hamech rex apoplecticus.

meli ana ℥.j.ß.hieræ picræ ʒ.vj.salis.p.j. Aut ℞.decocti ueteris gallinacei cum centaurio,sena,filicula,cnico,thymo,pulegio. ℔ j.cui adde pilularum cocciarum ʒ.ij.succi betæ ℥ j.oleorum rutæ,liliorum ana ℥ j ß.salis ʒ.ij.Iam quoniam nec sensu quippiam ualent, nec motu sese adiutare queunt, ne clyster intus resideat, & demoretur,lumbi,totusq; uenter innixis manibus probè defricentur,agitentur,pressentur, quo hac uexatione refusus spem nostram impleat.In hunc etiam usum acres balani conficiantur,& filo alligentur,quo intromißi,quum uidebitur commodum,retrahi possunt.Naribus admouendus est odor caphuræ,sandalorum,rosarum non sine aceto, cui intabuerunt caryophylli, melanthion,ruta,pæonia,infundendum est quoq; oleum nympheum, & salignum cum castoreo.

Curatio ex crassà pituita.

Quod si crassa, lenta úe pituita (quod plurimum euenit)hunc morbum gignat, statim & ab initio,si qua sanguinis demendi ratio inuitat,humeraria secetur,aut ea,quæ in sinistro brachio media tēditur,interiór ue,prout una,aut altera torosior apparebit. Hippocrates ait in libro de Victu in morbis acutis: Quū itaq; fluxio,quæ frigida,uiscosaq; est, spiritus & sanguinis meatus obstruxerit,quicquid sanguini proximum est,figit,ipsum uero immobilem,con

lem,constantemq́; reddit. Quippe quæ suapte natura refrigerandi, obstruendiq́; facultatem obtinet. Proinde suffocantur ægri, lingua liuente, rotunda & incurua. Itaq; celeriter iugulat, nisi protinus iuueris, sanguinem ex brachijs extrahendo deinde uenas sub lingua secare, medicamento, quod uim habeat trahendi, purgare, calida gargarismata exhibere, caput radere, eidemq́;, atq; ceruici cæratum imponere, & lanis inuoluere. Quod si laxus, mollis, pinguis at gracilibus uenis sit is, quem curas, huic plane sanguinem non mittes, aut parum detrahes, nec omnino detrahes, si anni tempus hybernum sit, & frigidum, ac niuosum. Mox uniuersum corpus oleo calido, sulphurato perungatur, simulq́; membra ceruici subiecta fortiter confricentur, ac præsertim manus pedesq́; cum sale & nitro. Capita musculorum supra cubitum, ac poplitem ualidis funibus uinciantur. Cucurbitulæ coxis, clunibus, spinæ, interscapilio, occipitio cum multa flamma affigantur. Sic est alicubi: Si catarrhus cum impetu descendat, ut homo ex eo fluxu uideatur suffocari, confestim fiant ligaturæ fortes apud axillas in superiori parte adiutorij, et ponantur uentosæ magnæ multum ignitæ ad spatulas, & item una mediocris bene ignita supra commissuram sagittalem, & est secre- Secretum admirabile.

tum admirabili seruans hominem à subita morte, & his factis fricetur palatum, et colatorium cum castoreo dissoluto in aceto scyllitico, aut cum theriaca ueteri. Caput ad cutim radatur, & sunt qui derasum perfundant chamæmelino, irino, aut in quo serpillum, pulegiúm ue coctum sit. Aut saluia, ruta, thymus, sampsuchus, laurus, betonica, rosmarinus ferueant in aceto scyllitico, aut ueteri lotio, aut eius, qui braßicam comedit, & spongia hoc decocto imbuta, et expressa, bis, ter, quater, feruens capiti apprimatur, & ab hac appreßione cataplasma inducatur pro hoc modo: ℞ cineris sarmentorum uitium, caulium braßicarum ana. p. j. stercoris columbini ℥. ß. sulphuris uini ʒ. ij. radicis pyrethri, pæoniæ, iridis ana ʒ. j. seminis nigellæ, cardamomi, maioranæ ana ℈ j. olei rutæ ℥ ij. oxymellis scyllitici ℥. j. cum cæra & terebinthina incorporentur. Neq; contra artis normulas quis peccauerit, si ante hæc remedia, tibias, & ulnas sinapismo exceperit, & interim capiti affundat oxyrhodinum, in quo pulegij, thymiq; uirtus existat. Nec desunt, qui candentem sartaginem admouent capiti, ut cutim neq; contingat, neque urat, sed quæ præsenti calore exorbeat, ac resiccet obstruentes intus succos. Os ipsum aperiatur, & inter ipsos dentes lignum, ferrúm ue immittatur

mittatur, quo ex toto oris cœlo commodius extrahatur ſpuma, ac uiſcida ſaliua, ſimul ut non nihil ſpirationi cõducat hiatus. Theriacam præterea, ſeu mithridatum, auream úe Alexandrinam, aut oxymel ſcylliticum cum caſtoreo expedit palato affricare. Hæc reuocabilem ſermonem reuocant, & uocale plectrum adaptant loquelæ. Viriles globuli liniantur oleo è piperibus, hypericone, lauandula, eruca, cinnamomo. Aut inuoluantur huiuſmodi emplaſtro: ℞ unguenti marciati ℥ j. unguenti aregon, è bdellio, axungiæ taxi ana ℥. ß. ſeminis rutæ, pæoniæ, agni caſti ana ℈. j ſulphuris uini ℈. iiij caſtorei ℈. ij. cum oleo nardino, & terebinthina aggregentur. Aut pannus laneus aqua uitæ ſeu uitis madidetur, & calidus teſtes complectatur. Paulus, et Aëtius uomitionem concitare iubent, Ori inquiunt, per uim aperto digitus ex oleo inſeratur, ſeu pinna liguſtrino, irino, aut narciſsino illita, ut uomat. Quorum ſententiam quis eo lapidare poſſet, quod nemo non uidet, quantam ad obſtructiones ſaburram aggerant fumi, uapores, halitus, quos ſurſum impellit, & in capitis interiores ſinus uomitio cogit. Quis non intelligit, quam in hac agitatione uentriculus infletur, tendatur, æſtuet, tranſuerſum ſeptum prematur, pulmones arctentur, cordis ſemitæ, quas

Vomitus in apoplexi ſuſpectus.

liberas, & permeabiles esse oportuit, stringantur. Vt omnino mirum uideri debeat, si non celerius in hac colluctatione infelix homo præfocetur. His adde: Qui sensu, motuq; destitutus, caudicis instar decumbit, minime expergiscitur ad quasuis digitorum, aut pinnarum oleo madentium uellicationes, nec ullo conatu purgamenta refundere potest. Quapropter & alui onera ijs subsistunt, nec ueßicæ excrementum redditur. Prætorem noui, qui amiculos aliquot in cœnam conuocauerat, quos inter & medicus accumbebat. Quum iam epulatio ferueret, & cuiq; strenua res esset cum hilarioribus poculis, Symposiarches anaticulæ alam præministrans ipsius latus claudenti, derepente apoplexia corripitur. Id est, quod parœmia nobis suggerit: Inter os, & offam multa contingunt. Hic protinus admirabilis metamorphosis, pro gaudio planctus, pro risu fletus, pro tripudijs trepidæ cursitationes. Medicus moribundo laturus opem, pennam poscit, quam oleo tinctam in fauces, & gulam usq; demittit, quo crudus cibus, & nondum in imum delapsus excuteretur. Sed qui sic uexatur inter manus reiectionem molientis expirat. Quam gratiam medicus pro officio impenso retulerit, non dicam. Plato suarum legum dialogo nono: Omnes inquit, medici, qui curantes

Historia de prætore apoplectico.

Medici nō sponte occidentes, mūdi sunt.

rantes non ſponte occiderint, mundi ſint. Hæc incommoda qui non ueretur, neq; penſi quicquam habet popularem auram, uomitum experiatur. Equidem malim (quod & Paulum, & Aëtium uoluiſſe existimo) ubi ex aliqua parte iam recreatus uidebitur, aut ſi ſenſus mentiſq; tantillum habeat, ut ſeipſum aliquantulum adiutare queat, & in uentriculo primaria morbi cauſa exiſtat, promptuſq; ſit ad reiectiones, ut tum uomere cogatur. Verißimum eſt illud, ubi difficilis eſt obſeruatio, perito, & exercitato opus eſt artifice. Clyſteres infundantur acres ex centaurio, ſtichade, ſaluia, libanotide, thymo, origano, ruta, pulegio, elleboro, colocynthide, ex muria, melle, nitro, pro hac forma: ℞ centaurij, ſaluiæ agreſtis (orminum ſylueſtre dicunt) rutæ pegani ana. m. j. florum anthos, ſtichadis ana. m. ß. ſeſeli, ſeminis pæoniæ, maioranæ, ana p. j. agarici ʒ. iij. colocynthidis ℈. iiij. caricarũ. ix. paſſularum mundatarum ℥. j. cartami ℥. ß. polypodij ℥. j. coquantur, & excolato adde olei irini, coſtini ana ℥. j. ß. mellis roſati ℥. ij. pilularum ellebori ʒ. j. ſalis ʒ. ij. Glandes conficiantur ex eſula, euphorbio, ſagapeno, ueratro, ſale, in hunc modum: ℞ ſpecierum hieræ compoſitæ ℈. ij. trochiſcorum alandal ℈. j. ſalis gemmæ ℈. ß. ellebori grana. vj. ſucci betæ, & mellis quan-

tum satis sit. Sedes præterea aßidue ex ijs perun
gatur, quæ crassos flatus attenuant, & extra-
hunt, cumino, ruta, seseli, agno casto, nitro, mel-
le. Naribus grauis odor subijciatur, galbani, ca-
storei, assæ, rutæ, pegani, pæoniæ ex aceto scyl-
lino. Quod si non peßime res eat, quæ sternuta
menta excitant, adhibeantur & pluma ex ace-
to madida, in quo zingiber, piper, pæonia, casto
reum, nigella, struthium, tarcũ, peganũ, pyre-
thrũ inferbuere, in ipsas nares promittatur, &
spõgia hoc decocto imbuta crebro odoretur. Gar
garismata si fieri queant, ea diximus in capite
de Epilepsia. Si in paraplegiã, paralysim ue con
cedat (quod ijs plerunq; accidit, qui saluantur)
curationem dicturi sumus capite huic affectui
singulariter dicato. De uictu nihil præcipimus,
siquidem eo tenuißimo indigent. Vbi morbus, in
quit Hippocrates, peracutus est, statim extre-
mos habet labores, & extremè tenuißimo uictu
utendum est. Etiam si quid obtrudere coneris,
Hylam inclamitas, & surdo canis. Vbi morbus
se remiserit, cibus mollis, euchymus, distribui fa
cilis offeratur. Vinum dilutius bibat, aut hydro
mel, cui piperis aliquid inditum erit. Si ex casu,
percußione, aut alicuius membri afflatu super-
ueniat, non est obscura (modo bona aliqua spes
affulgeat) sanationis ratio. Quod si ex inflam-
matione

matione, iam non ad medicos, nec ſeplaſiarios, ſed ad ſacrificos, & polinctores properandum. Celſus ait: Prudentis eſt hominis eum, qui ſeruari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem eius ut occiſi, quem ſors ipſius peremit.

CAPVT VIGESIMVM-octauum de Memorie detrimento.

Memoriæ praeconia.

MEmoriæ probitas quàm ſit conducibilis, & quantis uotis expetenda, neminem fugit: hæc ſola iucundam, & amabilem eorum uſuram nobis præſtat, quæ de laboribus, et ærumnoſis ſtudijs conſecuti ſumus: promus eſt, & condus omnium operum, quæ in hac uita negocioſi conficimus, Vniuerſorum ſenſuum communis eſt arcula, quicquid uel oculis conſpicimus, uel auribus haurimus, aut ipſa mente concipimus, uſui ſeruat, quibus quæſo? non magnopere animum addidit, ad aggrediendum eximiæ laudis facinus, quum meminiſſet tale ſibi, alteriue proſpere ſucceßiſſe perpeßi periculi recordatio, & accepti damni reminiſcentia, quem (niſi inſanum) non abſterruit, ac ueluti præoccupauit, ne bis in eundem lapidem offenderet, ut ſemel dicam, collapſa memoria aboleſcunt in nobis omnia, uel à deo collata, uel à mortalibus im

pensa, uel nostra sedulitate comparata: et si quis eam ad hunc modum ornare uolet, utramq; paginam iustis præconijs opplebit, præcipuam fuisse Cyro regi proditum est, singulis enim sui exercitus militibus nomina reddebat, Cyneas regis Pyrrhi legatus, postero die quàm Romam aduenerat nouus homo, utriusq; ordinis uiros nominatim appellabat, Mithridates duarum & uiginti gentium rex totidem linguis iura dixit, & pro concione singulas sine interprete affatus est, Carmadas quidam in Græcia, quæ quis uolumina in bibliothecis posceret, ea legentis modo narrabat Cæsarem scribere & legere, simul dictare, et audire solitum literæ perhibent. Id idem Adrianus imperator (attestante Spartiano) præstare potuit, Seneca in præfatione libri Declamationũ: Memoria, inquit, est res ex omnibus partibus animi maxime delicata, & fragilis, in quam primum senectus incurrit: hanc aliquando in me floruisse, ut non tantum ad usum sufficeret, sed in miraculum usq; procederet. Nam duo milia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebam, & ab his qui ad audiendum præceptorem nostrum conuenerant, singulos uersus ad singulos datos, quum plures, quàm ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usq; ad primum recitabam, à Simonide Melico inuen-

Cyrus rex.

Cyneas Pyrrhi legatus.

Mithridates.

Carmadas.

Cæsar.

Adrianus imperator.

Seneca.

Simonides Melicus artem memoratiuam inuenit.

inuentam artem existimant, & consummatam à Metrodoro Sceptio, ut nihil nō eisdem uerbis redderetur auditum, Philosophi in ea uersantur sententia, nec reclamant medici, memoriam potißimum pollere, ex proba temperatura organi, sedis ue, in qua hanc functionem anima exercet, Plato ait in Theæto, Nō recte anima se habet in denso, aut lutulento, aut molli nimis, aut duro. nam mollis nimium cæra celeres quidem ad percipiendum efficit, sed eosdem obliuiosos: dura uero contrà, diu memores, sed ineptos, tardosq́; ad percipiendum, & qui densam, & asperam, lapideamq́;, uel terream, uel fæculentam habent, obscura simulachra continet: obscura quoq; qui duram, profunditas quippe non adest, obscura quoq; qui molliorem: nam ex confusione facile euanescunt, quod si præter hæc in uicem quoq; congesta sint, ob sedis ipsius angustiam, siquidem exigua sit animula, obscuriora quoq; illis simulachra fient, Hippocrates Pæoniæ familiæ columen in libro de Victus ratione ait, Quum in corpore pars ignis siccißima, & aquæ humidißima, æquè temperantur, prudentißimum quid est: quoniam ignis aquæ humidum suscipit, & siccum ignis aqua, sic uterq; sibi magis sufficit: nam ignis quum nutrimento non eget, non multum uagatur, nec aqua motus indi

ga multum leuatur: quorum uterq; sic maxime sibi sufficit, temperataq; uicißim minime alterius ope eget, quod maxime his, quæ adsunt, se accommodat, quodq; ignis nisi neceßitate mouetur, aqua nisi ui, quum autem anima ijs temperatur, prudentißima, memoriosißimaq; efficitur. Cæterum medici uno ore consonantes postremum cerebrum officinam statuunt, in qua memoria considet: id quum nimia humiditate afficitur, aut immodice siccescit, atq; iterum si immoderato calore ferueat, aut si supra modum frigeat, ea statim uis, qua memores sumus, turpiter labefactatur: primas enim qualitates consequuntur mollities, durities, densitas, subtilitas, craßitudo, fluxibilitas, & id genus aliæ quæ substantiam cerebri bene aut male functionibus naturæ attemperant, prout illæ coierunt, sic Galenus ait tomo secũdo Artis paruæ, Facilis intellectus, subtilis substãtiæ cerebri est cognitio, tarditas uero pinguioris, facilitas uero discendi est mollis, & memoria permanentis, sic & difficultas discendi, duræ, obliuio uero fluentis: intemperiem porro afflari multifariàm contingit, ex utero quis tam ualidam non nunquam contrahit, ut non solum memoria, sed & ratio lædatur. Vtriusq; noxa ab eadem dispositione procedente, id ubi euenerit, ut præter memoriæ offensionem

Memoriæ sedes postremum cerebeum.

Intemperies unde oriatur.

ſenſionẽ, ratio quoq; deliret: huiuſmodi affectio Græcis dicitur Moroſis, & Latinis ſtulticia, cuius Ariſtoteles primo de Animalium natura, indices affirmauit prægrandes, & erectas aures, iam ex inepto uictu frequens eſt cerebri intemperatura, quandoq; ex inſalubri ambientis nos aeris conſtitutione, quinetiam ex caſu, ex percußione, ex uulnere, ex morbo, & alijs id genus iniurijs, Thucydides libro ſecundo belli Peloponneſiaci horrendam Athenienſium peſtem perſcribens ſic narrat, Ex hac utiq; perniciosißima, ſi quis conualeſcebat, eius uiolentiam ſignificabant extrema membrorum: ſiquidem ad uerenda, & ad ſummas manus, ſummosq; pedes prorumpebat, quibus non nulli amißis liberabantur, quidam amißis & oculis: ſunt etiam, quos ſimul ac ſurrexerunt, omnium pariter cœpit obliuio, neceſſariorum quoque, ac ſui ipſorum, præterea (quod non modicam poſcere contemplationem uidetur) interdum accidit, ut non uniuerſim memoria tollatur, & omnium noticia aboleſcat, ſed particulatim tantum, atq; diſtinctim, uti aliquorum pereat, et aliorum aſſeruetur, ictus lapide literas tantum oblitus eſt, præalto à culmine lapſus nec matris, nec affinium meminiſſe potuit, Meſſalam Coruinum proprij nominis obliuium cœpit: itaq; atteſtãte

Athenienſium peſtis.

Memoria per partes aliquibus perit.

Galeno, quorum uel memoria, uel intellectus pe rit, somnos obseruare oportet, utrum uehementer, an modice somnolenti sint, aut omnino non somnolenti: sed quantum ad somnum pertinet, secundum naturam sese habeant: sic enim uincentem inuenies intemperaturam: præterea considerandum est, utrum excernant quippiam, uel ex naribus, uel ex ore, quod à capite defluat, an aridæ huiusmodi partes sint: quippe ex his dispositionem ipsam coniectura consequi poterimus: quemadmodum in distillatione, et grauedine usuuenit: siquidem in ijs, et qualitas, & quantitas excrementorum, atq; antecedentium causarum contemplatio, capitis dispositionem declarat, siue calida fuerit, ut in ustione, siue frigida, ut in refrigeratione: nisi enim omnia hæc discrete cognoueris, idoneam dispositioni curationem haudquaquã inuenies. Humidiores ergo indicia cerebri, recti sunt, planiq; capilli: neq; hi omnino calui fiunt, multa somni cupiditate tenẽtur, oris plurima est saliua, et in naribus, oculisq; pituita frequens: quales profecto rerũ formas celeriter suscipiũt, eas tamen nequaquam diu asseruant: sed propter materiæ, in qua excipiebantur, fluorẽ, præpropere dilabuntur: ut si quid in udam, ac præmollem argillam dare uoles, haud magno labore opus est: mollis argilla artificis arbitrio

Signa causarum.

Signa humidioris cerebri.

arbitrio facile obsequitur, atq; iterum ob leuissimam agitationem statim confunditur, atq; abo letur quod acceperat: pueri tum propter ætatem, tum propter multam nutritionem humoris copiosi participes sunt: quare & immemores, maleq; tenaces depræhenduntur: ut inde natus sit popularis sermo, ea beneficia perdi, quæ in pueros, senés ue collocantur: siquidem hi ob uicinam mortem raro gratiam acceptis rependunt, illi iam puberes, & adulti benefactorum haudquaquam meminerunt: huc pertinet præcox illud ingeniorum genus, in quibus aereus magis, quàm aquulentus mador exundat: quos Fabius prompte parua facere dixit, & audacia prouectos, quidquid possunt, protinus ostendere: possunt autem id demum, quod in proximo est: hæc priusquam digrediantur, uultu interrito, nulla tardati uerecundia pro ferunt: non multum præstant, sed cito, & obliterationem festinantes anteuertunt: non est uera, solidaq; uis, nec penitus immißis radicibus nititur: ut quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius quidem se effundunt, & imitatæ spicas hærbulæ caßis aristis ante messem flauescunt: quis quæso non huiusmodi tyrunculos aliquando expertus est: qui in arte, cui nomen dedere, ad primam statim perpaucorum mensium

Beneficia in senes & pueros collata perdũtur.

Præcox ingeniorum genus.

Iuuenes sunt impudentes.

operam pugnaces ſic attollunt criſtas, & magnifica uerba crepant, quaſi Cornicum oculos confixuri ſint, & ſexagenarios de ponte deiecturi: nec Daretis & Entelli exẽplo pauefacti, audent ſe deuorato pudore ueteranis opponere, cogitandum eſt, (niſi infamis uecordia obſiſtat) non fruſtra ſapientem illum Pythagoram ſuis diſcipulis quinquenne ſilentium imperaſſe: quippe qui primæ memoriæ non temere credendum cenſeret: ea nimirum cito defluit, et ueluti præſenti officio defuncta, ac nihil in poſterum debeat, tanquam dimiſſa, rudeq́; donata diſcedit: hac ratione praeueloces iſti, & inani uento ſufflati, quo primum anno diſciplinis inaugurantur, doctores agunt, ſed ſecundo non nullum flatuoſæ oſtentationis detrimentum ſentientes (ut hoc uerbo utar) licentiati fiunt, ac tertio baccalaurei: quarto omnem arrogãtiam, ſi frugi futuri ſunt, deponunt: in aſſertionibus quoq; cunctiores apparent, bonam hanc, ſobriamq́; mentem cuncta coquens, & ematurans tempus adfert: ſed ne tacitum illud prætermittam, quamuis rerum ſpecies, ceu picturæ quædam in poſtremo cerebro aſſeruentur, inibi tamen recordatio, ſeu memoratus non perficitur: nec eſt memoria, ſeu reminiſcentia actus facultatis ea in parte uigentis, ſed primitiui ſenſus, phar

Pythagoras ſuis quinquenne ſilentium imperabat.

Anno primo doctores, tertio ſunt baccalaurei.

Actus memoriæ in qua parte cerebri fiat

ſus, phantaſiæ, aut imaginatricis, ac deinceps intellectus. Tria in nobis (quod in capite de Amantibus, diximus) perſpicuè depræhenduntur: Anima, ſpiritus, & corpus. Anima tam eſt diuerſa à corpore, quàm eſt empyreum cœlum à terra, ut mutuã omnino ſocietatẽ refugiant, ſi non per ſpiritũ copulẽtur. Spiritus utriuſq; uinculũ eſt, & utrunq; alteri ueluti conglutinat. Quaſuis animæ uires quoquo uerſum diffuſus ſubuehit. Quin per exteriorum ſenſuum organa ſuſcipit imagines, ac formas rerum forinſecus occurſantium. Quæ quidem in animæ ſubſtantia propterea figi nequeunt, quia incorporea. Sed ipſa anima in ſpiritu, tanquam in terſo, lucidoq; ſpeculo ſimulachra contuens de obiectis iudicat. Quod iudicium, ſenſus cognitio dicitur. Iſtis quoq; ſimiles imagines, ſed multo puriores, & ab omni terrenæ labis contage perpurgatas ſua ui in ſe ipſa fabricat, & concipit. Quam conceptionem, phantaſiam uocamus. Et hæ ſunt illæ ſpecies ſeu diriuationes ſemper magis, magisq; attenuatæ, quæ in poſtremo cerebri ſinu conduntur. Non illa corporum prima defluuia, & craſſa idola, per externum ſenſum appræhenſa, ſed ex ijs per internum ueluti cribrata. Iam huc aures arrigas: Quamuis in memoria, hoc eſt, in nouiſſima, et poſtrema cerebri regio-

Anima per ſpiritum copulatur corpori.

Phantaſia.

ne ſenſibilium rerum ſpecies comperiantur, ibi tamen recordandi actus nō efficitur. Sed hæ ſpecies inquietis animæ imperio relabuntur in ſedē ſenſui cōmuni, & phantaſiæ dicatam, ex quibus phantaſmata ſpeculationis excitabula protinus oriuntur, quæ mox orta intellectum commouēt, & ſuggeruntur ea, quæ aut uidimus antea, aut alio ſenſu cognouimus. Quemadmodum picturæ ea nobis ob oculos ponunt, ac repræſentat, quæ longo tempore anteacta euanuerunt.

Signa ſiccitatis.

Cæterum ſiccitas ſi præualeat, quum humiditati contraria ſit, ex contrarijs ſignis indicatur. Nares excremento uacāt, nec à capite quicquam effatu dignum diſtillat: oris ſaliua pauca, oculi caui, ad uigilias prompti ſunt: capillos habent robuſtos, & qui celerrimè eis ſtatim innaſcūtur: criſpi potius, quàm recti: cito autem calui fiunt. Hos ad ſuſcipiendas rerum formulas minus idoneos propterea conſtat, quia ſcalpturæ pertinacius obnituntur, neq; altius quid incidere permittunt: ſed leuiter tantum, ac in æquore ſummo obſcura quædam incumbentis ueſtigia hærent. Hæc ea profecto memoria eſt, quam recentem in tardioribus ingenijs minus fidelem depræhendimus. Sed (quod Fabius ait) mirum dictu, nec in promptu ratio, quantum nox interpoſita afferat firmitatis. Siue requieſcit labor ille, cuius

Tardiorum memoria.

le, cuius sibi ipsa obstabat fatigatio, siue maturatur, & coquitur, ceu firmißima eius pars sit recordatio. Quæ statim referre non poterant, contexuntur postera die, confirmatq; memoriam idem illud tempus, quod esse in causa solet obliuionis. Quum præ cæteris multa frigiditas dominatur: his facies albet, lumina languent, uenæ inconspicabiles fugiunt, somnolenti sunt, neq; si exploraueris, partes ad caput attinentes admodum calidæ sentiuntur, neq; si inspexeris, rubicundæ apparent: capilli recti, & ruffi, & stabiles, & qui longo tempore post natiuitatem nascuntur. Hanc qualitatem insigniter officere nemo nescit, & omnes tum corporis, tum animi facultates debilitare, imminuere, ociosas, & inertes efficere. Quod si calor exuberet, his indicijs facile innotescet, quod ea, quæ circa caput sunt, calida magis, ac rubicunda sentiuntur, oculos uideas uersatiles & inconstantes, eorumq; uenulas magis apparentes: capilli in lucem æditis statim oriuntur, nigri, robusti, crispi fiunt, breuibus somnis cõtenti sunt, neq; admodum profundis. Hic animales quidem spiritus excoquit, in fumos, ac fuligines diripit, succos quoq; suppeditandis nouis idoneos torrefacit. Quare mirum uideri non debet, si feliciore memoria destituuntur. Iam qualitates hæ

Signa frigiditatis.

Caliditatis indicia.

ſi combinentur, & frigiditas copuletur humiditati, aut caliditas accedat ſiccitati, alijsq́; pœnitendis modis congruant, nequior erit offenſio. Quinetiam uidere eſt, quum alicuius materiæ exundantia uitium gignat. Quibus autem notis diſcretio internoſcatur, & quæ qualiter offendat, ex prægreßis abunde colligere licebit. Obliuio quum derepente, & inexpectata, atq; improuiſa incidit, nec partem aliquam corporis affectus quiſpiam occupat, tum apoplexiam, epilepſiam, aut reſolutionem, lethargum úe uereri oportet. Curatio aggredienda non eſt, (quanquam hoc ipſum curationem ſit aggredi) niſi pro materiæ & uirtutis modo uniuerſum corpus apto cathartico exoneremus, & deinde capiti, atque eius præſertim poſtremæ regioni ſaluti, atque eius præſertim poſtremæ regioni ſalubria præſidia admouebimus. Plato ait in Charmide: Audentius incantationis modũ tibi oſtendam: eſt autem talis, ô Charmides, ut caput ſolum curari nequeat, quemadmodum ſæpe ex peritis medicis audiuiſti. Qui quoties aliquis oculorum dolore affectus eos conſulit, aiunt non poſſe oculis mederi, niſi prius capiti medeantur: neq; caput abſq; totius corporis medicina. Hac de cauſa regulis quibuſdam toti conferentibus utuntur. Quare quum non ſolæ, ac nudæ qualitates offendent, ſed ſocia erit humorum exuperan

Curatio.

exuperantia, ab euacuatione curationis exordium ſumemus, modo commoda concoctio, ſi ea opus erit, præcedat. Sanguinis copia uenæ ſectionem poſtulat, & ſi caput ſolum degrauatur humeraria uulneretur: ſi corpus totum, aut interna, aut media Cholera quibus medicamentis ſubigatur, & quibus è corpore pellitur, ſæpenumero in præmiſsis capitulis diximus. Pituita, utpote lenta, ac craſſa longiore indiget attenuatione, quam concoctam uacuare expediet hiera Ruffi, ea deſcribitur ab Aëtio libro tertio, in hunc modum: ℞ pulpæ colocinthidis ʒ. viij. chamepithios, camedreos, agarici, marrubij ana ʒ. x. ſagapeni, caſiæ ana ʒ. v. opopanacis ʒ. viij. petroſelini, ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi ana ʒ. v. cinnamomi, ſpicæ, croci, myrrhæ, troglodyticæ, polij ana ʒ. iiij. aſſumito in melle, exhibitio integra ʒ. iiij. cum melicrato et ſale. Confert, inquit, ad prudentiam, et peculiariter hoc medicamentum dare conſueui, quum opus eſſet deperditã memoriã reuocare. Aduerſus atram bilem quibus præſidijs depugnandum ſit, uerbum non addam, niſi recoctam crambem obtrudere uelim. A proba inanitione, ſi frigida intemperatura perſeuerauerit, calefacere oportebit, non autem exiccare, aut humectare. Quod ſi

coniuncta sit humiditati, tum et arefacere expediet. Quemadmodum si siccitati copuletur, curandum erit, uti humescat. Ita ad alias quoque combinationes alia, quæ sunt contraria, pro modo auersionis ab inculpato habitu, adhibenda censemus. Nuda ergo siccitas quum offecerit, quod senibus, ac grandæuis accidere solet, atq; etiam post diutinas inedias, ærumnosos labores, immodicas uacuationes, longa peruigilia. Hi recreante uictu indigent, corroboratis enim uiribus & in substantiam dato alimento, uegetior, alacriorq; anima redditur. Cibi conferunt succulenti, & euchymi, qui facile, nulloq; negocio perdomantur. Nec pleniorem epulationem his inuidemus, modo uentrem nusquam onerent. Vinum bibant rubrum, maturum, dilutum. Exercitia sint moderata, & citra fatigationem exigantur. Caput clementer fricetur, prolixe dormiant, molliter cubent, tepentis aquæ balneis utantur, sudationes uitent. Capiti infundantur epithemata ex decocto florum chamæmeli, meliloti, radicis altheæ, seminis lini, aut ex iusculo uitulinæ carnis, seu hagninæ, aut ex lacte recens multo: inungatur oleo susino, amygdalino, dialthea, butyro insulso, œsypo: aut omentum ouiculæ ab occisione adhuc feruens inducatur: sumant conseruam boraginis, buglossi, cor-

Curatio ex siccitate.

ſi, corticis citrei conditas: aut huiuſmodi eclegma paretur, ℞ corticis citrei conditæ ℥.ij. conſeruæ boraginis, bugloßi ana ℥. j. diatragachantæ, ſacchari roſati ana ℥. ß. ſpecierum electuarij reſumptiui ʒ.ij. paſſularum purgatarum ℥. j. ſucci glycyrrhizæ ℈.iiij. ouorum recentium lutea. ij. pulparum turturum elixatorum ℥.iiij. ſacchari candidi, penidiarum ana ℥ j. butyri recentis ſine ſale ℥. ß. contundantur omnia in mortario marmoreo. Si frigiditas noxam conciliat: huic potißimum obnoxij ſunt, qui algores difficulter ferunt, & in aere diuerſantur pruinoſo, & gelicidijs, flatibusq; aquilonaribus aſpero: quibus multa cõſuetudo eſt, ac frequens commercium cum cibis pituitoſis, & medicamentis frigorificis. Curationis ratio admodum ſimplex eſt, ſolam calefactionẽ poſtulat: capiti perutiles ſunt fricationes, & ſacculi ex ſaliua, ruta, thymo, lauro, betonica, maiorana, pulegio: quod ſi humiditas quoq; accedat, iam & aßiccare conducet pro modo deflexionis à iuſta conſtitutione. Cõferunt cibi bene alibiles, calidum & ſpirituoſum ſanguinem gignentes: ueruecina, hœdina: capi, phaſiani, perdices, & horum oua ſingulari poteſtate pollent, pipiones, turtures, paſſerculi, galeritæ, turdi, merulæ: parentur cum hyſſopo, ſatureia (hæc gratißimum gu-

Curatio ex frigiditate.

ſtum cibarijs præbet) thymo, ſampſucho, rore-marino, caryophyllis, macere, zingibere, pipere, cinnamomo: animantia fugiant nuper ædita, quorum mucoſam, ac uiſcidam, atq; excrementitiam conſtat eſſe carnem: lepores quoque cataphoras gignere aiunt: comeſtum etiam animantis cerebrum, ſiquidem pituitoſum ac ignauum nutrimentum præbet, uehementer incommodat: nec potiore elogio medullas dignamur. gallorum oſſa exucta ueternum adducunt, gruina præ ceteris inimica creditur: piſces, qui ſapienti Samio obtemperare uolent, cane peius & angue odiant: nec olera, fructus, lac, caſeum, bellaria attingant: ex oleribus dico lactucam, ſpinachium, maluam, atriplicem, aliaq; fatua, ac inſipida: ex fructibus dico ceraſea, pruna, perſica, mora, melones, cucumeres, cucurbitas, alioſq; fugaces, ac horarios: acriora interdum exhibeantur, allium, puleium, capparis: ſinapim miris laudibus Pythagoras extulit: parce epulentur, præſertim cœnantes, Vinum bibant album, aut uermiculum, ſubrubrúm ue, Aquam non guſtent: prolixos ſomnos, atq; diurnos auerſentur, frequenter ſe exerceant: circa lacus, flumina, & uliginoſa loca non uerſentur: auſtrinos flatus & pluuioſas conſtitutiones declinēt, lucidam & excelſam domum inhabitent: caput

oleo

oleo perungatur costino, sambucino, rutaceo: aut emplastrum conficiatur pro hac forma ℞ olei chamæmeli ℥.j.olei mentæ, terebinthinæ ana ℥.ß.ladani, styracis, benzoi ana ʒ.j.caryophyllorum, nucis myristicæ ana ʒ.ß.seminis nigellæ, maioranæ, cardamomi añ ℈.j.galliæ moschatæ ℈.ij. cum cæra incorporentur: conferunt præterea si pituita exundat, que saliuã mouent, & sternutamenta, & odoramenta: cubebæ commansæ modis omnibus auxiliantur: auribus indatur oleum castorei, lauandulæ, spicæ: eclegma concinnetur in hunc modum, ℞ conseruæ anthos, melissæ ana ℥.j.inulæ conditæ, zingiberis uiridis ana ℥.ß.corticis citrei conditæ ʒ.vj.dia trium piperei, diambræ ana ℥.ß.cum modico aquæ uitæ commisceantur: aut ℞ conseruæ mentæ ℥.ij.calami confecti ℥.j.cubebarum, xiloaloes, cinnamomi ana ℈.ij.maccris ℈.j.seminis maioranæ, cardamomi ana ℈.ß.cum melle anthosato concorporetur: quod si siccitas cum frigiditate coeat, id accidere consueuit, aut propter longas morborum iniurias, aut uehemẽtes corporis labores, aut acres ualde animi affectiones, quibus naturæ uires fatiscunt, & animales spiritus dißipantur. Galenus se quendam nouisse testatur, qui ob laborem in studijs, atque uigilias, memoriam pene amiserat, læsa etiam

ratione. Agricolã quoque, qui ob labores, quos uites colendo ſubierat, ac tenuem uictum, eodem modo affectus eſt, atq; ij exiccantibus, calorificisq; lædebantur: humectantia uero, quæ calefaciendi quoq; uim haberent, haud mediocri ipſis erant præſidio. Quod ſi cũ ſiccitate copuletur calor, (quam coniunctionem plærunq; deliria ſequuntur) oxyrhodinum capiti infundatur, & curationem reliquam, quæ refrigerandi, ac humectandi poteſtate prædita ſunt, pulchre complebunt.

Præcepta communia.

Preter hæc ſcire oportet, quod nihil æquè aut cura augetur, aut negligentia intercidit, ac ipſa memoria: quam niſi excolas, & iugi meditatione exerceas, inertia, ac ſitu corrumpitur, deuorandum illud tædium cenſemus, imò in cõſuetudinem trahi debet audita, lectáue ſæpius recentandi labor, quaſi eundem cibum remandas, & rurſus commolendum recipias: quin mentis intentio in hanc contemplationem ſic conuerſa perduret, ut defixos oculos in amabilem rem continemus. Non præter rationem ſapiens Socrates literas officere exiſtimauit, attamen eas in adminiculum inuentas uulgus arbitratur: ſiquidem illa, quæ ſcriptis excepimus, ueluti certa & alligata tenentes, cuſtodire deſinimus, & ipſa ſecuritate fidentes è mente dimittimus: olim homines ſi quid obſer-

Socrates literas dixit officere memoriæ.

uatione dignum audiſſent, id non membranis, ſed animo inſcribebant, & hæc inſcripta crebriter ſub mentem reuocabant, qua exercitatione eam uim, qua memores ſumus, confirmabãt, ut facile tenerent, quicquid uellent, et quod quiſque didicerat, eueſtigio habebat in promptu. Pòſt reperto literarum uſu, graphicesq́; noticia, dum libris fidunt, haud perinde ſtuduerunt animo infigere, quod neglectum nollent: ita factum eſt, ut poſtergato memoriæ cultu, minus uiuida ſit rerum cognitio, & pauciora quiſq; ſciant: tantum enim ſcimus, quantum in promptu tenemus, Anthiſtenes Athenienſis amico cuidam deploranti quod commentarios ſuos perdidiſſet: Oportuit, inquit, iſta potius animo, quã chartis inſcribere: ſentiens librorum fiduciam, eſſe cauſam, quominus memoriam exerceamus. Plato quoq; in Phædro: propter recordationis negligentiam, literarum uſus obliuionem in animo diſcentium parit: quippe qui externis literarum monimentis confiſi, res in animo intus non reuoluunt: nunc quiuis (uel me conticente) plurimum memoriæ conducturum intelligit, ſi quæ aut leguntur, aut audiuntur, cum admiratione, ac uoluptate incidant: admirationem pariunt, uel dicentis auctoritas, uel narrationis breuitas, uel ipſius rei maieſtas: uoluptate quidem

Anthiſtenis reſponſum.

Admirata & iucunda memoriæ hærent.

afficiunt, aut eius quod prædicatur, utilitas, aut orationis uenustas, aut ipsius rei amœnitas. Platonem ex Timæo testem laudabo, hic ait: Profecto quæ in pueritia discimus, diutius, firmiusq; (ut fertur) meminisse solemus: atq; haud scio, an quæ heri audiui, referre nunc omnia memoriter poßim: quæ uero puer accepi, mirabor equidem, si quid eorum memoria mihi exciderit: ea quippe cum uoluptate & ioco audiebam, & quum senex ille libenter me doceret, & ego sedulo ab illo sciscitarer: quapropter quasi quædam literarum inustæ indelebiliter notæ, ea mihi omnia memoriæ infixa permãserunt. Quinetiã Seneca in præfatione libri Declamationum sic habet: Quæ apud memoriã aut puer aut iuuenis deposui, quasi recentia, aut modo audita sine cunctatione profert: at si qua illi inter proximos annos commisi, sic perdidit, & amisit, ut etiam si sæpius ingerantur, toties tanquam noua audiam: etenim illa cum admiratione & alacritate excipiebatur.

CAPVT VIGESIMVMnonum de Tremoribus.

DE tremoribus, qui febrientibus oboriuntur, nihil impræsentiarum dicturus sum, quando ad alium locum ea narratio spectat

ctat. Quod si uitæ usum deus nobis prorogauerit, spes est eorum aliquando meminisse. Nunc tremores, qui sint, & unde prodeant, quos mortalium nonnullos citra grauem ægrotationem perpeti conspicimus, quibusq́; remedijs obniti licebit, paucis explicabimus. Tremor uitium est ex contrarijs motibus constitutum. Idq́; accidit, quum quis aliquid agere parat. Neq; ambitiosis logis te distinebo, quando tam exoculatus est nemo, qui non apertè cernat sic affectis, quum ministris manibus uti conantur ad quid corripiendum, transferendum, tollendum, eas statim uacillare, nutare, quati. Quod nos tremere uocamus, & quibus id euenit, eos trementes, & tremebundos dicimus. Animalis facultas manum molitur in altum ferre, & corporalis substantiæ moles sua grauitate deorsum retrahit. Quare hi ad diuersos terminos motus tremorem faciunt, uno uidelicet sustollente, & altero deprimente. Galenus inquit supra tertium de Vulgaribus morbis: Quum longè partium ponderi, quæ uehuntur, uires motrices præstant, citra negotium attollunt, citra negotium sublimes seruant. At uero si multo sint inferiores, sicut in resolutione, haudquaquam possunt eleuare. Quæ si pares sint, uicißim succumbũt. Vincentes seruant immotam manum sublimem, su-

peratæ delabi ſinunt. Hoc mihi cogita continenter in hunc modum fieri, ut ſimul ac ſuperiores ſint, membrum ſuſtollant, mox uictæ à mole permittunt peſſum ire, ſimulq; uires illorum rurſus uictrices iterum arrigere conantur. Et quum minimo interuallo hæc motuum uiciſsitudo fiat, nec motus habeat in utramq; partem inſignes, tremor dicitur. Neq; neceſſarium eſt, ut ſemper mouendi ſtudium interueniat, quibuſdam nimirum caput intremiſcit, quum id non commotum, ſed maximè quietum uellent, atq; omnino ociari, quod tamen aſſequi nequeunt, niſi inclinata ceruix ab aliquo ſuſtineatur. Quare non minori egent robore muſculi in recta figura citra fulturam ſolidi cuiuſpiam membrum ſeruantes, quàm quum arbitrarium motum aggrediūtur. Nam qui extendunt, ueluti manum, uno genere muſculorum operantur, quod comparatum eſt ad id operis, alijs interim ferriantibus. Atq; quum flectunt, ijs agunt, qui ad flectendum ſunt accommodati, cæteris ceſſantibus. Quod ſi ſublimem teneas manum, nec flectas, nec extendas, utriſq; muſculis æqualiter operaris, & tanta eorum firmitudine in hac operatione indiges, quanta uel ad inflectendum, uel extendendum, aut ex alterius, ſeu utriuſq; imbecillitate ſtatim ipſius membri ſequetur uacillatio.

Affectus

Affectus hic incidit ex impotentia uirtutis, hoc est, ex inopia, & paupertate spiritus motricem functionem dispensantis. Quando uidelicet is ob longas grauesq; ægrotationes deteritur, ob immodicos labores exhauritur, ob frequentiorem Veneris usum profugit, ob immoderatas inanitiones euanescit, ob repentinam, ac subitariam formidinem se condit, ob ætatem senilem abolescit. Non nunquam uero etsi spiritus promptus, alacrisq; in officium sufficiat, caro tamen infirmior est, quàm quæ suo moderatori obtemperare queat. Quod sæpenumero usuuenit ob crassos, aut uiscidos succos neruorum oscula obstruentes. Aut quia musculi præ humoris infusi copia (quod in temulentis perspicuum liquet) prælanguidi efficiuntur. Aut quoniam uehemẽs frigus (quod in gelicidijs accidit) membrum torpefacit. Galenus ait secundo de Causis symptomatum: Crassi, lentiq; succi facultatis meatus obstruentes, ita ut exigua facultas affluat, tremorem efficere possunt. Idq; maximè, ubi exactè obstruunt, resoluũtq; aliquorum neruorum partes quasdã. Sic enim reliquæ fibræ non satis ualidæ musculũ nõ possunt intendere. Etenim ubi humores obstruentes facultatis per neruos meatum, non in totum fuerint infixi, adeo ut per uiolentas uirium incursiones poßint ad- Causæ.

huc & concuti, & commoueri, huiusmodi fiūt motus, quales antea incipiente neruorum resolutione fieri diximus. Attollitur enim aliquando membrum, & rursus concidit. Nam per facultatis inuasiones, quum ipsa se uehementius & excitat & cogit, excutiuntur succi, qui neruos obstruunt, ac mēbrum mouetur, rursus refluentibus humoribus, quos excusserat, in priorem locum concidit, & iacet immotum, donec facultas rursus confertim irruens dißipauerit humores, qui ipsius meatus occupauerant.

Cæterum robustus aliquis, ac bene habitus, si in humeros attollat ingens onus, quo cum sublimes nitatur scandere scalas, mirum uideri non debet, is si cruribus intremiscat. Neq; id uel facultatis ignauia, uel crurum uitio incidit, sed ponderis iniquitate. Non enim ad quæuis transferenda fabricatus est homo: quemadmodum hunc in numeris diffinitis architectus conflauit, sic & ea in modum contrahuntur, nec sunt immensa, ad quæ incolumis ualet. Eadem quoque ratio in cæteris animantibus constat, & in ipsis etiam animantium partibus. Non culpatur in homine uentriculus, quia nucleos uuarum minus conficit, neque dentes euelluntur inutiles, quod silicem commolere nequeant. Sic nec in morbis censebitur tremor,

Viribus cuiusq; suus est modus.

qui ex

qui ex prægrauis, & iniquæ sarcinæ incubitu oritur. Iam quod paralysi accidit, quum uniuersum corpus ea non teneatur, sed singulare membrum, ueluti solus pes, aut manus sola: tum liquido constat non in communi principio uitium hærere, sed in neruo tantum qui in resolutam partem protenditur. Haud secus ex huius, aut alterius musculi imbecillitate, non totum corpus afficitur, sed duntaxat membrum, cuius est musculus. Affectus porro indicia noctuinis oculis conspicua sunt, et quæ sub sensum cadunt, nulla demonstratione indigent.

Causarum dignotio neq; admodum obscura difficilis úe est: partim ex ægri narratione, partim ex ipsius habitu, & uictus consuetudine innotescunt. In primis (inquit Galenus secundo de Causis symptomatum) & maximè omnium officit facultati, quicquid ex intemperie constat. At senectus quoq; intemperies quædam est ad frigus, & siccitatem procliuior, quamobrem senes facile uexantur tremore. Ex iuuenibus uero corripiuntur ij, qui uehementer fuerunt refrigerati, & qui se multo meraco uino ingurgitauerunt, aut multas subinde cruditates congesserunt. Aut qui diu multis cibis ingestis nulla usi sunt exercitatione, sed ignaui omnino uixerunt in ocio. Aut qui intempestiue frigidam aquam Causarum dignotio.

biberunt. Tremētibus pulsus est paruus, langui dus, & tardus, quibusdam & creber, sed inordinato modo deficiens.

Curatio. Curatio uariat pro eorum discrepantia, quæ offensionem gignunt. Quum ob diutinas ægritudines superuenit, uires omni ingenio restaurentur, & cibi benè alibiles, probi succi, & facile superabiles exhibeantur. Huiusmodi confectio concinnetur: ℞ pulpæ pullorum ciconiarum in uino elixorum ℥. iij. cerebri assati leporis ℥. j. amygdalarum purgatarum nume. xxx. pinearum recentiū lotarum in hydromelle. xx. passularum minutarum ℥. j. specierum electuarij resumptiui ʒ. ij. cinnamomi ʒ. iij. zingiberis, caryophyllorum, galangæ, maceris ana ℈. j. cardamomi ℈. ß. moschi grana. ij. sacchari candidi ℥. ij. mellis despumati quantum satis sit. Si ob nimios labores. In omni motione corporis quum cœperit quis dolere, quiescere statim, remedium est. Quare labor ipse aut minuatur, aut tantisper intermittatur, donec per alimenta, quod dissipatum est, recreatum fuerit. Si crebra Venus offendit, parcius concumbant. Si prouectior ætas in causa est, hic si multum sudes, operam ac impensam luseris. Scipionem dextera gerāt, aut ministro fulciente gradiantur. Si ob formidinem instantis infortunij quis tremat. Id per prærupta

rupta inambulantibus accidit, & ijs, qui inopinato feram in se incurrentem conspiciantur. Neq; non toto corpore tremit, cui coram terribili aliquo magistratu negocium est. Quippe loqui iussus, ne uocem quidem citra tremorem reddere poterit. Est apud Homerum tertio Iliados, Alexāder uiso Menelao obuiā ueniēte ut iniuriam ulcisceretur, subito timore perculsus, represso, relatoq́; pede ad suos sese recipiebat: qualis is, qui per mōtanum collem transiens ex improuiso prope se dracone conspecto turbatur, pallescit, tremit, & præ formidine collabens retrofugit: Iis componendus est animus, qui ubiq; & quouis in periculo præsens sibi constet, & declinanda, quæ terræfaciunt. Si ob immodicas inanitiones, sanatio recreationem poscit. Si ex craßis, & uiscidis humoribus obstructio gignitur. Galenus ait tomo tertio Artis paruæ. Est uero et obstructio ex eodem genere ægritudinum, quæ quidem ex lentis & craßis humoribus fit, unam & ipsa habens intentionem morbo contrariam. Dico autem apertionem. Causæ uero salubres sunt abstergentia, atq; incidentia medicamenta. Syrupus è marrubio, calamyntha, stichade, ruta, mel rosatum, syrupus acetosus simplex, è radicibus, oxymel scylliticum. Aut talis conficiatur: ℞ saluiæ, betonicæ, pri-

Alexander uiso Menelao intremuit.

mulæ ueris ana.m.j.camedreos, camepitheos ana.m.ß.corticis radicis fœniculi,oreoselini,spa ragi ana ℥.j.radicis acori,iridis inulæ ana ℥.ß. seseli,ameos, carei ana.p.j.glycyrrhizæ ʒ.iij. passularum mundatarum ℥.j.coquantur,& co latura syrupisetur cum melle, & exhibeatur cum decocto cicerum & hyssopi. Postea expur getur, quod iam concoctum apparebit pro hoc modo: ℞ pilularum è hiera ℈.ij.agarici trochis cati ℈.j.trochiscorũ alandal gr.iij. Aut pilula rũ cocciarũ ℈.ij.è ueratro ℈.j.cũ melle rosato formẽtur quinq;. Quod si catapotia horreat,cõ cinnetur huiusmodi potio: ℞ diaphœnici ʒ.iiij. benedictæ laxatiuæ ʒ.ij.elaterij granum.j.cum decocto origani capiat. Si ex humorum copia qui musculis infusi sunt. Confert inedia,& te nuis uictus:utantur arefacientibus,& tostis ma gis,quàm elixis. Cibos condiant saliua, hysso po,thymbra,thymo, pulegio,maiorana. Vtiles sunt conserua anthos, acori,stichadis,mentæ, melissæ.zingiber conditum,nux myristica,my robalanus chebulus,diacarpesium,diatrium pi pereum,diospoliticum,diacastoreum. Aut hunc puluerem usurpent: ℞ granorum pæoniæ,sese li ana ʒ.j.anthos stichadis ana ℈.ij.saluiæ,pri mulæ ueris, betonicæ, thymbræ ana ℈.j. cinnamomi ℈.iiij.zingiberis, maceris, ca-
ryophil

ryophyllorum, galangæ, calami, macropiperis ana ℈. j. cardamomi ℈. ß. moſchi granum. j. ſacchari duplum totius. Occipitium, ceruix, totaq́; ſpina perungatur oleo coſtino, nardino, irino, unguento aregon, marciato, è bdellio, & ea præſertim regio ex qua uitium prodit. Sacculus cõficiatur pro hoc modo: ℞ florum anthos, ſtichadis, lauandulæ ana. m. ß. florum chamæmeli, meliloti ana. p. j. ſandaracæ, ladani, benzoi, ſtyracis ana ʒ. j. caryophyllorum, xiloaloes ana ʒ. ß. ſalis toſti, cineris caulium braßicæ ana p. j. contundantur, & fiat ſacculus reticulatim conſutus. Si ex acerbitate frigoris accidit, utantur calorificis, & fugiant cœlum hybernum, & quæcunq; algifica ſunt.

CAPVT TRIGESIMVM
De Reſolutione.

Quum uoluntarius motus, & qui ex hominis arbitrio pendet, per occaſionem aliquam tollitur, paralyſis, ſeu reſolutio dicitur. Aut potius quum facultas oblæditur, qua uoluntarius motus efficitur, ut neq; manibus, pedibus úe, nec lingua interdum, aut alia corporis parte ad congruas functiones quis uti poßit. Sed ocioſa ceſſant membra, ac ueluti exa

nima, oneri magis quàm usui iacent. Et accedit huic malo persæpe ipsius sensuspriuatio. Vbi uero aliquarum partium is duntaxat (quod usuuenit) saluo motu perit, eam partem sensus expertem dicimus, non autem resolutam. Sic Pausanias Syrus sophista, quum Romam aliquando uenisset, & uehiculo per uiam excidisset, in dorsi initio læsus secundum duos minores sinistræ manus digitos, atq; medij partem mediam, sensum quidem in primis difficilem habuit: postea male curantibus medicis sensum omnem amisit.

Pausanias Syrus.

Sed sciscitabitur quispiam: Quæ nam sit huiusmodi neruorum dispositio, ut per ipsam seruato eorum motu sensus pereat. Quæstionem hanc Galenus explicat libro primo de Affectis locis, in hunc modum: Veteres medici dicere solebāt, quod scilicet sentire, per affici, moueri uero per aliquid facere explicatur. Quapropter ut quis moueatur, opus est robore, sed ut sentiat, uel minima facultas sufficit. Iam quia contra quoque accidit, ut seruato sensu motus pereat, alia reddenda est ratio. Omnis ab imperio prodiens motus ad musculorum officium pertinet. Quippe nerui per se, sine musculo, nullam huiusmodi in animantis particulis actionem efficere possunt, sed per musculos, omnes à consilio, & uoluntate prodeuntes motus perficiunt. Ad partes uero mouendas ij aliquando quidem manifeste per

Neruorum motu seruato perit sensus, & contra.

ueniunt: aliquando uero per medias tendines, quas aponeuroseis, id est à neruis ortas, aliqui connominant. Atq; ex hoc genere sunt tendines digitos mouentes. Si itaq; musculorum neruos affici contingat, motus digitorum perit. Si uero eos, qui ad cutem perueniunt, tangendi sensus corrumpitur. Sed ubi commune principium affectum est, totum resoluitur membrum, & sensus, & motus simul pereunt. In eo præterea, qui est de Causis symptomatum, sic habet: Quomodo igitur quarundam partium mouendi quidem ab imperio functio resolui uidetur, illæsa sentiendi facultate, ac quomodo rursus aliæ mouentur quidem, sed non sentiunt. In lingua & oculis nihil habet ambiguitatis: Quippe quæ duplici neruorum genere participant. At in quibus membris duri duntaxat nerui inueniuntur, hac ratione quæstio explicabitur: Si ablata cute subiectus musculus, qui nudus est, innobilis uideatur, sentiat uero tangentes, exiguam ei noxam accidisse putandum est. Nempe quod tantam animalis susceperit partem facultatis, quanta ad sensus excitationem sufficiat, ad musculi motum non sufficiat. Quippe tactionis sensus, pati aliquid potius, quã agere depræhenditur. Proinde ab exigua facultate functio eius perfici potest. Musculorũ uero motus in agendo, nõ in pa

tiendo actionis efficaciam habet. Is enim totum corpus transferre potest. Quapropter plurima indiget animali facultate. Neq; aliter unquam accidere depræhendes, ut moueatur quidem nudus musculus, sed non sentiat. Verum nihil mirũ uideri debet, si adiacens illis cutis sensum amittat, musculus uero ipse moueatur. Quemadmodum etiam usu uenit, ut duorum musculorum, alter quidem moueatur, alter uero immobilis sit, aut alter quidem sentiat, alter uero sensum amiserit. Id uero ob hanc eis causam euenire solet, quod neruus alterius læsus est, alterius mansit illæsus. Sic etiam fieri potest, ut neruus per cutem dispersus offendatur, qui uero per musculum spargitur, noxa uacet. Sic & è contrario fit, ut illæso cutis neruo lædatur neruus musculi. Iam quum pariter omnes uniuersi corporis nerui tum sentiendi, tum mouendi uim amiserunt. Apoplexia huiusmodi affectio nominatur. Vbi uero alteri tantum lateri, aut dextro, aut sinistro id accidit, hemiplexia, & paralysis dicitur. Quod si in aliquo membrorum distinctim id euenerit, ipsius membri resolutio nuncupabitur. Nam et tota manus, & totum crus hoc uitio non nunquam corripitur, atq; iterum in ipso crure solus pes, et quæ etiam sub genu sunt, nec aliter de ipsa manu conspicimus. Porrò si

aliqua

aliqua faciei particula cum reliquo corpore resoluta fuerit, tunc origo mali in cerebro consistit. Accidit tamen, ut faciei partes duntaxat relaxentur, & cæterarum partium nulla, ut lingua, oculus, mandibula, quum in anteriori, aut mediano capitis sinu offensio hæret. Quod si quæ supra ceruicem collocatæ sunt, incolumes, ac intactæ persistant, & quæ subter cubant, omnes afficiantur, manifestum est indicium, non in cerebro, sed circa primum spinæ processum noxam latere. Quemadmodum faciei nerui à cerebro oriuntur, sic omnes animantis partes sub ceruice dispositæ suorum motuum, ac sensuum neruos à spinali medulla sortiuntur. Quamobrē eo loco facta aliqua dispositione, per quam facultas cerebri intercipitur, ne ad ipsam spinam perueniat, tum omnia inferiora membra, illæsa facie, resoluuntur. Vbi uero media ipsius processus pars fuerit obsepta, alterius tantum lateris partes debilitantur. Profecto constat cerebrum media meninge scindi, atq; in eo dexterum ac sinistrum reperiri. Sic spinalis quoq; medulla hanc partitionem obtinet, & inconspicabili membranula, admodum úe tenui dissecatur, quæ nimirū ab ipso parente cerebro procedit. Itaq; quum in prima diriuatione, & primo ipsius spinæ defluxu impedimentum utramq; partem oc-

Dexterum & sinistrū in cerebro.

cupat, quod diximus, uniuersum corpus dempta facie, motu ac sensu destituitur. Et metus est non modicus, ne sic affectus propter difficilem spirationem celerius opinione mortem appetat. Nūc si in alteram partem ruina procumbat, quæ huic parti subijciuntur, uitium trahunt. Quibus quinta spinæ uertebra affecta est, eorum manus omnino sensum, & motum amittunt. Quibus uero sexta, ijs non in totum sentiendi mouendiq; facultas perit, quippe primæ brachij partes illæsæ seruantur, atq; id multo magis, si septima spinæ uertebra fuerit affecta. Octauæ uertebræ affectus perquàm exiguam, hac uero inferiores nullam penitus noxam manibus inducere possunt. Sed quæ in proiectioribus uertebris obstructio fit, remotiora membra relaxat, & inde sequitur difficultas aut alui, aut uesicæ onera egerendi, aut pedibus gradiendi potestas tollitur.

Causæ. Cæterum paralysis multiplices sunt causæ. Non nunquam & si spiritus satis copiosus ualidusq; sit ad animalem facultatem quaqua uorsum in membra uehendam: attamen ab influxu, & distributione arcetur propter astringentia uincula, quæ & itinera claudunt, & si diutius immorantur, membri constitutionem uitiant. Quod & usuuenit ex alicuius comprimentis il

lapsu, ut

lapſu, ut ſi quis innixus cubito ſupra manum diutile caput acclinet, aut incoxans poplitem immittat genu. Huic accidit, ut obſcuro & hebeti ſenſu percipiat quicquid tangit, neq; omnino moueri poteſt, ſi uero moueri cogatur, dolet. Iam ob caſum, & percußionem, quum uertebræ ad alterutrum latus exiliunt: aut illiſa neruorum capita inflammãtur, & (quod crebrius euenit) quum multi, craßiq;, ac uiſcidi humores occludunt, & obſtipant meatuum oſtia. Sæpe tranſuerſa neruoſi corporis inciſio motum, ac ſenſum parti eripit, cuius eſt neruus. Quæ ſecundum longitudinem ſectio eſt, non æquè formidabilis exiſtit. Accidit præterea, ut ſpiritus pulchrè tranſmeet, & membra commodißimè ſubeat, ſed propter membrorum prauum habitum, & quia frigidis ſuccis ſupra modum imbuta ſunt, calorem, ac uigorem motiui ſpiritus ipſa non ſuſcipiunt. Nunc & in ualido coli dolore quis paralyſi corripitur, quum uidelicet pituitæ pars morbum efficientis ex capite diſtillans in neruos diuertit: Aut quum natura ſuorum operum prudentißima infeſtam, & acriter cruciantem materiam ad ipſas uertebras propellit, uiam ſemper noxijs ſuccis naturam inuenire Hippocrates opinatur, quando potens eſt, & ſi etiam illi craßiores exiſtant, & per anguſta fo-

Coli dolorem ſequitur paralyſis.

ramina debeant defugere. Atq; id potißimum interuenit, materia non nihil attenuata clysteribus, fomentis, irrigationibus, alijsq; opportunis medicamentis. Quem euentum imperitus populus clysteribus imputat, ut has infusiones odiant cane peius & angue, & non nulli emori malint, quam eas admittere. His motus sæpenumero aufertur, & incolumis manet sensus. Sunt & aliæ multæ causæ, prolixus, diurnusq; somnus, crebra ingluuies, uita sedentaria, circa lacus, ac flumina uersandi consuetudo, immodicus herbarum refrigerantium usus, hyberna temporis constitutio, quicquid humectat, frigefacit & labefactat genuinum naturæ calorem. Quinetiam in hunc affectum Apoplexia, epilepsia, uteri præfocatio, & febres pituitosæ quandoq; finiunt. Pulsus resolutis est languidus, mollis, tardus, ac rarus, & quum uirtus superatur, frequens, atq; incompositus. Vrina plurimis albet, in non nullis cruenta apparet, idq; ob renum imbecillitatem minus probè ab ipso sero sanguinem separantium.

Populus quare clysmata horreat.

Curatio.

Curatio pro causarum uarietate uariat. Quum temeratum membrum non multum distat à proprio, ac genuino reliqui corporis colore, neq; plurimum extenuatur, ingens patet salutis spes. Ex constringentibns uinculis oborta para-

ta paralysi, post laxata uincula membrum ipsum clementer fricetur, & foueatur oleis, unguentisq; calorificis. Si ex compreßione, comprimēs tollatur, et in rectum statū corpus erigatur, ut sensim spiritus remeet. Si quis (inquit Hippocrates) sic consideat, uti sanguis de superioribus partibus in tibias, suras úe non descendat, pedes torpescunt, quapropter gradum facere nequeunt, nisi sanguis decurrat. Qui statim decurrit, si pedes in gelidam aquam, quæ talos superet, demittantur. Nam hic torpor leuis est, facileq; discutitur. Si ex casu, & percußione incidat, si quæ suis sedibus elisa erunt, omni ingenio confestim reponantur, dolorq; anodynis, oleo roseo, melino, myrtino, anethino, chamæmelino, sopiatur. Quod si inflammatio accesserit, habita ratione principis uisceris, ab initio reprimentibus uti conducet, mox quæ discutiant, adijcere. Sed præ cunctis succurrat, ut commoda uena perforetur, & aluus clysmate molliatur, ut corpus pro exundantiæ modo uacuetur. Si craßi ac uiscidi humores neruorum ostia obstipauerint, aut paulo tenuiores intro persederint, (id quoniam crebrius accidit) huius curationem pluribus persequemur. Itaq; in aëre calido & sicco uersentur. Hippocrates ait, frigidum inimicum oßibus, dentibus, neruis, cere- Dieta.

bro, ſpinali medullæ, calidum uero utile & amicum. Aëris quoq; humiditas pituitoſos in corpore ſuccos coaceruat. Quod ſi per cœli, aut temporis ſtatim talis nequaquam aſpiret, confugiendum erit ad induſtriam, qua ſalubrem nobis paremus. Luculentus ignis extruatur, & ſuffimentum concinnetur ex ſtyracæ, benzoi, ladone, xiloaloe, ambra, moſcho, in hũc modum: ℞ benzoi ℥. j. ladani ℥. ß. ſtyracis, thuris, maſtiches ana ʒ. ij. caryophyllorum, radicis, iridis, xiloaloes ana ʒ. j. thymi, ſampſuchi, pulegij añ ʒ. ß. nigellæ ℈. j. ambræ, moſchi, añ. gr. vj. cum tragacanta ex aqua lauandulæ formentur paſtilli, & prunis pro ſuffitu inijciãtur. Victus præſcribatur parcus, ac tenuis, præſertim primis aliquot dieculis. Ne natura in conficiendo cibo, ſimul & exundantium humorum commoderando tumultu fatigetur. Habenda tamen eſt ratio & ætatis, & temporis, & conſuetudinis. Senes facillimè ieiunium ferunt, omnium minimè pueri. Æſtate quoq; & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facilè, ſecundum locum uer habet. Hydromel aſſumant, aut ſuccum ptiſanæ, aut carnis elixæ iuſculum, aut recẽtis oui luteum aquæ ſaluiæ incuſſum, adiecto ſaccharo, aut quid aliud nihil onerans, & uirtutem cuſtodiens. Morbus ubi ſe fixerit, altiusq;

descen-

descenderit, ac longiorem sui moram minabitur, cibus augeatur, & exhibeantur euchymi, bene alibiles, ac aßi magis, quàm elixi. Neq; excidat illud Hippocraticum: Corporibus humidas carnes habentibus famem adhibere conuenit, fames enim corpora siccat. In censu autem salubrium numerantur turtures, pipiones, merulæ, turdi, galeritæ, passerculi, gallinagines, perdices, phasiani, atq; aliæ campestres, montanæq; aues, item lepusculi, cuniculi, ueruecina. Condiantur hyssopo, satureia, saluia, thymo, rore-marino, origano, melissa, menta, tarco. Erasistrati scola neruis nihil utilius braßica clamat. Oua quoq; sorbilia, pinei nuclei, auellanæ, amygdala amara, capparis. Sed transmarino cappare utendum non est, innocentius Italicum, & ferunt eos, qui quotidie id edunt, paralysi non tentari. Fugiant agninam, porcellinam, & omnem mucosam, ac recrementiciã, qualis est nuper æditarum animantiũ. Præterea pisces recẽtes, horarios fructus, insipida olera, lactucam, portulacam, spinachium, atriplicem, maluam, intybum, lac, caseum, oleum, butyrum, acetum, et quæ caput uaporibus tentãt, allium, cepas, raphanum, sinapim, erucam, præsertim ab ipsius mali principio. In progressu ac sub inclinationem hæc acria usui esse possunt. Vinum nequaquam gu-

ſtent, niſi dandum ſit aliquid ætati, conſuetudini, & regioni, tum offeratur, quod cerebrum minimè feriat. Quum uero morbus abſcedit, atq; altum permenſi portum conſpicimus, liberalius dare licebit, intra modum tamen. Vt uenus eneruat uires, ſic copia uini: uinum, quod eſt in libro tertio de Temperamentis, ubi plus bibitur, quam ut uinci poßit, tantum abeſt, ut animal calefaciat, ut etiam frigidiora uitia gignat. Quippe Apoplexiæ, & paraplexiæ, & quæ Græcè caros, & comata uocamus, & neruorum reſolutio, & comitiales morbi, & conuulſiones, & tetani uini potum comitantur immodicum. Hydromel ijs conducit pro hac aut conſimili forma: ℞ aquæ pluuiæ recentis. ℔. xij. mellis electi ℔ j. bulliant ad conſumptionem medij probe deſpumando, deinde ſume cinnamomi ʒ. ß. zingiberis, cardamomi, trium piperum, galangæ añ ℈. j. contundantur, & decem horas, aut duodecim hæ ſpecies in decocto ipſo ſufferuido macerentur, ac poſtea per fiſcum terq; quaterq; trãſfundatur, quo per omnem morbi decurſum utatur. Si ceruiſiam poſcat, mediocrem bibat, in qua faſciculus ſaluiæ, aut hyſſopi ſeu maioranæ ponatur. Aut ſacculus ex iride, baccis lauri, ſemine aniſi, pæoniæ, caryophyllis, nuce myriſtica, calamo, in ea fluitet.

Hydromel paralyticis commodũ.

tet. Somnum diurnum, & prolixum omnem uitent. Nocturnus sit mediocris. Exercitia ipsum malum uetat. Caput clementer fricetur, & lintea calefacta innixis manibus apprimantur, & suffumigentur prædicto suffitu. Exerta uoce loquantur, legánt ue. Plutarchus ait: Quum uox sit agitatio spiritus nõ leuiter, nec in superficie, sed uelut in ipso fonte, in ipsis uisceribus ualẽs, & calorem auget, & sanguinem subtilem reddit, & omnes purgat uenas, & omnes aperit arterias, humorem uero superfluum non sinit crassescere, neq; concrescere. Animus afficiatur gaudio, alacritate, bona spe, nec admodum offenderit quidam ueluti æstus, & subsultatio breuioris iræ. Post hæc de salubribus medicamentis dicamus, & constat redundantem humorem in primis euacuandum. Quod aptius fieri nequit, quum sanguinis copia noxiam gignit, cui multa pituita commiscetur, quàm uenæ sectione in parte incolumi, modo ætas, regio, tempus, & quæ cætera æquum est assentiri, minimè reclament. Sed minutionem moderatam esse oportet, nec nimis effusam, ne corpus calore destituatur. Et quoniam morbus chronicus est, aliquid ex sanguinis redundantia naturæ reliquisse conducet, Galenus inquit in libro de Renum affectus dignotione: Si totum corpus plenum fue

Curatio ex pituita.

rit, considerandum est quid nam humorum sit, quod ipsum repleuerit. Atque id, si sanguis est, euacuationem instituere oportet, quum nihil impedit, minorem tamen multo, quàm plenitudo desiderabat. Quid ita? Quoniam lapidem non statim eximere possumus, potißimum quum magnus is est. Ideoq; oportet pleniorem sanguinis euacuationem cauere, propter consumptionem quæ tempore adhuc aliquo in corpore futura est: tantam prærogatiuam in hac affectione calor obtinet, ut febrem (morbum alioqui ærumnosum) quoniam feruefacit, ac discutit, ad celeriorem sanationem conferre arbitremur. Quod si aluus astrictior sit, ægreq; diariũ onus extrudat, clyster submittatur: quia periculosum est catharticum bibere, hærentibus in aluo excrementis siccis: pro hac forma: ℞ betæ, mercurialis, ebuli, ana. m. j. florum anthos, stichadis, chamæmeli, meliloti ana. m. ß. seminis anethi, anisi, fœniculi ana. p. j. seminis cartami ʒ. vj. polypodij quercini ℥. j. furfuris. m. j. coquantur in aqua, & colaturæ adde olei chamæmeli, anethi ana ℥ j ß. mellis rosati ℥. j. benedictæ laxatiuæ ʒ. vj. salis quantum satis sit, infundatur semel, atq; iterum. Interea idoneis syrupis, ac potionibus infestus humor concoquatur, & itinera laxentur, per quæ concoctum detrahere conducet

eet. Hippocrates dicebat, (& quisquis maiorum uestigia sectatur, in saxum nequaquam impinget) Corpora quæ quis purgare uoluerit, oportet fluida facere. Bis igitur quoque die, sub auroram & sub uesperam sumat cochlearia duo syrupi è prasio, aut hyssopo, aut mellis rosati, aut misceantur cum aquis saluiæ, maioranæ, betonicæ. Sunt non nulli in ea sententia, ut minimum tribuant distillatis aquis. Mihi profecto minus efficaces habentur decoctis, aut etiam dilutis. Post hæc purgatiuo non admodum ualido exundantia minuatur. Non poscit hic morbus in sui principio acres, ualidasq; medicinas. Siquidem lentus est, & data mora molliri magis, quàm agitari poscit. Qui uero secus curationem aggrediuntur, difficiliorem omnino reddũt. Plato ait in Timæo: Omnis morborum constitutio, animalium naturæ quodammodo similis est. Sanè animalium compositio ab ipso generationis exordio certis temporum curriculis terminatur. Idq; & genus uniuersum patitur, & animal unumquodq; ab ortu fatale uiuendi spacium in seipso, exceptis necessarijs paßionibus continet. Etenim trianguli ab ipso initio singulorum uim poßidentes, usq; ad certum tempus sufficienter ad usum uitæ cohærent, ultra id nemini uita prorogatur. Idem quoq; constitutio-

Paralysis lente curanda.

nis modus languoribus conuenit: quos si quis citra fatalem temporis cursum pharmacis amputare contenderit, ex paruis ingentes, ex paucis multi euadere consueuerunt. Quapropter diligentia uictus corrigendi, & gubernandi sunt morbi, prout cuiq; datur ocium, neq; difficile, infestumq; malum pharmacis instigandum est. Puluisculus hic cum melle rosato exhibeatur: ℞ turbit albi ℈.ij. zingiberis, cinnamomi, maceris, añ gr. vj. salis gemmæ gra. iij. Aut ℞ radicis filiculæ ʒ.iij. turbit albi ʒ.ij. folliculorũ senæ ʒ.j. zingiberis, ameos, anisi, marathri, castorei, sagapeni añ ℈.j. salis gẽmæ ℈.ß. detur drachma. Aut bibant diaphœnicum, diacarthamũ, diaturbit, ex decocto cunilæ, aut epithymi diluto. Quod si pilulas poscant, conferunt elephanginæ, assaieret, è hiera. Aut ℞ pilularum è hiera ℈.ij. agarici recens trochiscati ℈.j. formentur quinq;. Fugiant mannam, caßiam, serum lactis. A purgatione diebus aliquot sumant conseruam anthos, melissæ, acori, inulæ, zingiber conditum, nucem moschatã, myrobalanũ, chebulũ, & alia huius generis. Huc pertinet esculenta cõdire cinnamomo, cubebis, macere, caryophyllis, pipere, cardamomo, zingibere, galanga, zedoaria, spica, croco, pro hac forma: ℞ cinnamomi ℥.j. macropiperis, zingiberis, galangæ, nucis moschatæ, car-

tæ,carpesij, mentæ,thymi, sampsuci,rutæ ana ℈ j.spicæ,croci añ ℈.ß.moschi granum unum, puluerentur. Hic rursus in mentem ueniat, & meminisse oportet,post non nullam quietem,& dierum aliquot interuallum, recreato corpore clysmata subijcere,eaq; ualentiora,& obhæren tis materiæ partiunculam à capite,spina,& ner uoso genere detrahentia,ex colocynthide,elleboro,tithymalo,brionia, esula,saluia,ruta,pegano,thymo,centaurio, in hunc aut consimilem modum: ℞ saluiæ,rutæ,origani,primulæ ue ris ana.m.j.ebuli,caulium rubeorum, foliorum lauri,stichadis ana.m.ß.polypodij ℥.j.radicis iridis, acori, inulæ, pæoniæ ana ℥.ß.seminis anisi,seseli,marathri ana.p.j.pulpæ colocynthidis ℈.iiij.coquantur, & colaturæ adde olei irini,anethi ana ℥.j.ß.mellis anthosati ℥.j.hieralogodij ℥.ß.salis ʒ.j. Quinetiã in hunc usum maiusculæ glandes conficiantur ex hammoniaco,galbano, opoponaco,ueratro, euphorbio, arthanita, scammonio,turbit, esula,sale indo, nitri,& melle. Iam quemadmodum non semel, sed iterum, atque iterum ab interpositis diebus purgandi sunt, sic & ea præmittere oportet, quæ maturant,coquunt,& in obsequium excre menta subigunt. Id eximiè præstant syrupus è calamintha,è marrubio,stichade,& mel scylli-

ticum, è quorum aliquo unciam unam mane sorbeant, & alteram inclinato sole. Aut tale aposema paretur: ℞ camedreos, camepitheos, betonicæ, nepitæ ana. p. j. saturegiæ, mentæ, origani ana. p. ß. radicis acori, iridis, gentianæ, calami ana ʒ. iij. seminis anisi, marathri, carei, pæoniæ ana ʒ. ß. glycyrrhizæ ʒ. iij. passularum mundatarum ℥. j. coquantur, & colatura edulcetur melle despumato, cuius bis quoq; die sumant uncias quatuor. Vbi concoctio non nulla innotuerit, & lotium colorem crudum mutauerit in flauum, aut eo uergens in pallidum, & hypostasis utrunq; commendabilis erit (quæ naturæ uigorem inualescere iudicant, & tempus purgationi opportunum) hieram Ruffi, aut Archigenis bibant, aut hieralogodium, aut electuarium indum. aut in hunc modum: ℞ agarici recens trochiscati ʒ. ij. per noctem macerentur in tribus uncijs aquæ absinthij, & una mellis rosati, expresso adde benedictæ laxatiuæ ʒ. iij. Seu catapotia uorent ex coccijs aggregatiuis, fœtidis, è sagapeno, euphorbio, elleboro. Aut ℞ pilularum è sarcocola ℈. ij. è hiera ℈. j. formētur quinque. Iam corpore perpurgato consentaneum fuerit capitis curationem aggredi. Quoniam id neruorum, in quibus hæc affectio consistit, principium est. Quare si in eo quid uiscidi excrementi adhuc

ti adhuc obhæreat, apophlegmatiſmis in os detrahere oportet, ut expuatur. Quales conficiuntur è ſinapi, eruca, thymbra, pipere, zingibere, ſtaphiſagria, pyrethro, ſtruthio, carpeſio, agarico, & ſale, pro hac forma: ℞ agarici ℈. iij. zingiberis, piperis, ſtaphiſagriæ, erucæ, ſtruthij ana ℈. j. caſtorei, maſtiches ana ℈. ß. ſalis gemmæ ℈. ß. diſterantur, & cum melle roſato, aut paſſulis enucleatis figurentur paſtilli in formam lupinorum, & altero, ſeu tertio quoque unum aut duos dentibus ieiuni commolant, & affluentem ſaliuam diligenter excreent. Exoneratur præterea caput ijs medicamentis, quæ caput purgia dicimus: Quum liquorem aliquem naribus ſorbillamus, quo concreta pituita ſoluitur, tenuatur, liqueſcit, ut ſtillatim liquefacta per palatū in os defluat. Talis eſt maioranæ ſuccus, & ederæ terreſtris, auriculæ muris, betæ, chelidonij minoris, braßicæ. Accipio pauculos roriſmarini & ſampſuci ramuſculos, aliquot etiam nigellæ granula, hæc in aqua ſaluiæ pauliſper elixo, deinde mel deſpumatum & betæ ſuccum indo. In hunc quoq; uſum parantur, quæ naſalia, ſeu euellos medici uocamus, literatiores errhina dicunt. Conſtant ex ijs, quæ apta diximus apophlegmatiſmis. Aut ſumantur (quod nunquam non facio) teneriores betæ radi

culæ, & pistillo conuerberentur, aut digitis uexentur, donec fibrescant: tum hæ in succo ipsius herbæ, cui piperis, struthij, castorei, elaterij momentum sit iniectum, tabescant, una alterá ue in nares promittatur, egregie excrementa eliciũt, sed offendit aßiduus usus. Sternutamenta concitare, quibus cerebrum se excutiat, ex re fuerit. Ea commouent elleborus, struthium, iris, aristolochia, zingiber, piper, si in puluerem conterantur, qui naribus insuffletur, aut melle exceptus cum nucleo specilli indatur. Iam quando omnibus copijs cum hoc morbo confligendum putem, neq; præcipites nos tempus rapiat, non prætermittam odoramenta, & quæ grato suffitu calefactant, roborant, uegetant sedem, atque officinam sensus, ac motus. Ex his præstant origanum, rosmarinus, pulegium, menta, laurus, thymus, thymbra, styrax, ladanum, benzoi, caryophylli, ambra moschus, colligentur in linteolo tenui, & crebro odorentur. Aut tale pomum conficiatur: ℞ ladani, styracis, benzoi ana ℥. iij. xiloaloes, caryophyllorum ana ℥. j. maceris, origani, thymi, pulegij, seminis nigellæ, maioranæ ana ℈. j. cum tragacantha ex aqua lauandulæ, in qua distrita sint granula tria moschi, aggregentur. Hîc tacitus fermè præterijssem, quæ ingenti cum fructu gargarissamus, siquidem con-

creta

creta liquãt, & liquata in os detrahunt. His igitur suus quoq; locus detur, pro hac forma: ℞ rutæ, utriusq; betonicæ, saluiæ ana. p. j. radicis pæoniæ, corticis radicis raphani, ana ℥. ß. pyrethri ʒ. ij. staphisagriæ ʒ. ß. coquantur in aqua, et ex colato adde mellis rosati ℥. ij. oxymellis scillitici ℥. j. Interim quum hæc aguntur, in mentem recurrat, aut mithridatum, aut theriacam, auream alexandrinam, zingiber conditum, calamum confectum, inulam, nucem moschatam, myrobalanum, diacastoreum, diambram, diagalangam, diatriumpipereum, diospoliticum, diamoschum, & huius generis medicamenta offerre. Neq; diutius feriari expedit, aut longiores inducias uacuationibus præbere. Non dico grauibus, & laboriferis catharticis incumbendum, ne exoluta uirtus concidat. Sed subinde, & per interualla exhibendum suadeo, quod bis, ter, quater aluum commoueat. Qua facultate præditas nemo nescit pilulas agarici elephãginas è hiera. Aut bibant ueteris galli decoctum, in quo ferbuerunt turbit, cnicum, hyssopus, stichas filicula. Mane quoq; terebinthinam edant nucis iuglandis magnitudine. Ventrem enim emollit, stomachum cõfirmat, neruisq; medetur. Sed perlui debet uino lymphato, & toties defuso, donec exalbescat. Si pertinax morbus difficulter ce-

Terebinthina uentrem mollit.

dat, nec ægrotantis constitutio, habitus úe recusabit: Accipito decocti rutæ, mellis rosati ana ℥.iij. in his confusis macerato colocynthidis in linteolo uinctæ ℈.iij. ueratri ℈.j. mastiches, zingiberis, calami ana ℈.ß. huius diluti exhibeatur uncia, sexto aut septimo quoq; die.

Topica. De topicis deinceps futurus est sermo, & ab ipso capite curationem ordiemur, quoniam, quod diximus, neruorum principium est & totius morbi ueluti sedes, basis úe. Quamobrem si tempus fert, nec ullus grauioris mali metus ex ætheris acerbitate impendeat, aut quicquam aliud obstet, caput ipsum attondeatur, & attonsum inungatur laurino, irino, costino, pisseleo, id quidam iterum coquentes uocant palinpissam, tum sacculus inducatur pro hac forma: ℞ florum rorismarini, lauandulæ, stichadis ana. p. j. origani, pulegij, lauri, saluiæ, rutæ ana. p. ß. ladani, styracis, uernicis, benzoi ana ʒ. ß. caryophyllorum, maceris, cubebarum, nigellæ ana ℈. j. pulverentur, & fiat sacculus. Membrum præterea affectum unctione non frustetur, & pellibus uulpinis, aut lupinis, aut felinis inuoluatur. Occipitium est, cui præcipua diligentia debetur, etiam ea sedes, ex qua nerui temerati procedunt. Quod Galenus faciendum ædito experimento palam demonstrauit. Cecidit, inquit, quidam

Curatusqui uocem amiserat.

quidam ex alto, ita ut dorſi initium affligeretur, is tertio die exiguam admodum uocem emiſit, quarto omnino die obmutuit, reſolutaq́; ſimul fuerunt crura, manibus illæſis. Intercoſtalium muſculorum nerui, per quos exufflationem fieri diximus, omnes affecti erant. Quum itaq; fruſtra medici negocium ſubirent, circa crura quidem, utpote reſoluta, circa guttur uero propter uocis affectum. Equidem id interdixi, & affecto duntaxat loco curationem adhibui. Et à ſeptimo die uox reſtituta eſt, & crura motionis facultatem recuperauerunt. Huic quoque non abſimilem euentum de Pauſania Syro ſophiſta denarrat. Iam quemadmodum purgando corpori per initia, et ab exordio morbi adhibenda cenſuimus, quæ ſilenter, & ſine tumultu uacuarent. Sic & diſcußionem ſub id tempus moliri expedit minus uiolentam, in progreſſu uero ualentioribus uti licebit. Qualia eſſe conſtat oleum uulpinum, ſambucinum, coſtinum, rutaceũ, è lauãdula, nigella, eruca, ruta, ſinapi, piperibus, euphorbio, è lateribus, unguentũ aregon, marciatum, agrippæ, bdellij. Aut pro hac forma: ℞ unguenti aregon, marciati ana ℥. j. olei uulpini, lumbricorum, terebinthinæ ana ℥. ß. axungiæ leonis, taxi, eluri ana ʒ. iij. hammoniaci, calbani, ſagapeni, bdellij ana ʒ. ij. caryophil-

lorum ℥.j.styracis myrrhæ,uernicis,sulphuris ana ℥.ß.saluiæ rorismarini,pyrethri ana ℈.j. galliæ moschatæ ℈.ij.spicæ castorei,ana ℈.ß. cum cæra fiat unguentum. Ante quamlibet inun*ctionẽ conducibile erit caput,spinã,resolutaq́; mẽbra calido linteo perfricare,& fouere decocto saluiæ,rutæ, origani,stichadis,hyperici,pegani,pæoniæ.* Et *in hũc usum multis parasangis aqua uitis præcurrit.* Cucurbitulæ *duplici nomine sine scarificatione commendantur.* Quip*pe quum acriori flamma accenduntur,membra ea refrigerata calefaciunt,eademq́; exanguia attracto alimento egregiè implent.* Nec *infrugiferum, improsperúm ue deprehenderis,si molarem lapidẽ(qui in mola terit frumenta)candefeceris,deinde oblæsam particulam sic adaptes, ut altiusculè suspensa,ne uratur,supra lapidem collocetur,tum lapis acri aceto,in quo ruta,pulegium,saluia, rosmarinus bullierint, sæpiculè conspergatur,& hunc calidum uaporem suscipiat pars ægra, stragulis,& lodiculis superne contecta, ne alicunde frigus irrepat,ac sudet.* Q*uale fomentum ab interposito uno atq; altero die iteretur.* Magnam *ægro utilitatem & artifici laudem,lucrumq́; conciliat.* Di*stricto sudore infricetur unguentum aregon,marciatum, oleum irinum,costinum,nardinum.* Aut *accipito præ-*

Lapis molaris.

Vnguentũ felinum.

to præpinguem catum & in dubia culina saginatum, quem detracta pelle exenterato, & proiectis, interaneis capiteq; truncato, perpetuam noctem in aqua uitæ mersum finito, mane totum cauum frondibus laurinis, agresti saluia, tarco, ruta, lauandula infarcito, in ipsam præterea carnem lardum defigito, insertis quoq; affatim caryophyllis in ueru lento igne torreto, quod distillauerit unctum pro commodißimo linimento usurpato. Illud coronidis loco subiungam, medibiles (senibus quum morbi accidunt longi, magna ex parte comitantur in mortem) nullum præsidium Guaiaco efficacius ducant. Etenim id consopitum debilis naturæ calorem potenter excitat, concoctionem egregiè promouet, neruosum genus peculiari energia confirmat, super uacanea digerit, et ex intimis latebris foras propellit. Lignum ipsum (si quem id fugit) in frustula, quantum licet, pusilla comminuere oportet (nos lima deterimus) huius libram in libris octo aquæ fontanæ, aut puteanæ, seu pluuialis, modo commendabilis sit, diem, ac noctem commaceres, deinde moderato igne in olla uitreata noua, & diligenter elota, dum ad dimidiam partem se imminuat, magna custodia coquatur. Sub finem cocturæ indito mellis anthosati uncias sex, saluiæ, betonicæ, stichadis ana

Guaiacum paralyticis efficax remedium.

Guaiaci decoctum.

m. j. baccarum lauri, iuniperi ana. m. ß. perfecta decoctione, donec refrixerit, nequaquam coletur. Huius cotidie suffferuefacti mane sub quartam, aut quintam horam, & uesperi sub octauam à parcißima cœna raptim, & sine interspiratione sex, septeni úe uncias bibant. Ipsius porrò ligni probitas colore discernitur, ut qui buxo inest, foris appareat, intus uero nigricet. Idq; optimi notam refert, quod plurimum habet nigri, dilutum amabili specie uiridescit, linteum, per quod defunditur, cyanei floris honorem æmulatur. Custodia circa cocturam talis sit, ne exæstuet, aut efferueat, olla diligēter operculetur, ne quid despiret, ne sublimes halitus auolitent: ante haustum horula una plusculum tegminis ægro inijciatur, ut concalescat. Ab haustu uero duabus tribus úe horis cōtectus permaneat, quo caloris ope in artus medicamētum digeratur, & eliquata pituita oborto sudore effluat. Et in hunc usum lagunculas feruido decocto baccarum lauri, iuniperi, cumini, impletas in lectulo, ut ægrum non contingant, componere soleo, sed hæ mundis linteis obuoluātur. Vbi nunc uitium pauxillatim se remittit, & inualescit naturæ uigor, sensus quoq; ac motus in affecta membra utcunq; distribuuntur, reliquam curationem thermæ sulphurosæ, aluminosæ, salsuginosæ

Guaiaci probitas.

ginosæ consummabunt. Vel in solium descendant. Augustus (attestante Suetonio) quoties neruorum causa marinis, albulisq; utendum esset, contentus hoc erat, ut insidens ligneo (duretam hispanico uerbo uocabat) manus, ac pedes alternis iactaret. Solium adornetur ex decocto uulpis uiuæ, sulphuris, salis, saluiæ, ebuli, mentæ, artemisiæ, lauri, & id genus alijs. Vulpes immittatur uiua, quum bullulæ in aheno attolluntur, quo feruidus uitæ spiritus, & salientis sanguinis calidus uapor aquam imbuant. Paulus tamen libro septimo, Vulpes, ait, uiua, aut mortua tota in oleo decocta discutiendi uim oleo conciliat, adeo ut humores altæ fixos in cutem extrahat.

Augusti cõsuetudo.

Vulpes uiua oleis aut balneis immittenda.

Quæ ex transuersa neruosi corporis sectione paralysis gignitur, sanabilis non est. Hippocrates inquit sexto Aphorismorum: Quum discissum fuerit os, aut chartilago, uel neruus, aut genæ particula tenuis, uel præputium, neq; augetur, neque coalescit. Quæ ex intemperie membrorum, iuxta ueterem cantilenam contrario superatur. Quumq; ex dolore coli oboritur, quod interdum euenit, atq; id cum disphemia medici, & magna apud populares sui nominis iactura, qui aut non prædixerit, aut non præcauerit. Stultus & delirus populus nescit

Medici disphemia.

in morbis multa inopinata euenire, & quæ medicus quantauis industria polleat, quantús ue artifex sit, prospicere non potuit. Galenus ait libro quarto de Locis affectis: Sæpenumero me dicere audiuistis, quòd multa nobis interdum fortuita apparent, interdum uero ambigua sunt, atq; idcirco & alteram, & tertiam quoq; considerationem expectamus. Et rursus libro quinto: Quinetiam per febres non nullos conspeximus derepente per conuulsiones prehendi, nullo (quod eas præsagiret) præcedente signo. Iam secundo de Respirandi difficultate, ex primo Epidemiarum narrat, circumeuntem Critonē agentemq; consueta, mox grandiusculo pedis digito uehementer dolentem, primo quidem die subcaluisse, secundo uero, quod miraculum est, obijsse: et alium cui dextrū crus dolore cœpit, fluxione ad caput recurrente cōtinuò delirasse, et statim obijsse. His Platonis quoq; testimonium accedat, qui sic habet in Protagora: Quémnam potissimum inopinatus casus in nauis gubernatione submergit? Non rudem hominem, nam semper ille succumbit. Et quemadmodum iacentem nullus deijcit, sed stantem quandoq; deijcit aliquis, iacereq; cogit, iacentem uero nequaquam: ita solertem, sagacemq; hominem nō nunquam inopinatus casus circumuenit. Enim uero qui

nihil unquam pensi habet, minime. Et gubernatori quandoq; ingens tempestatis impetus improuisus superuenit, & agricolæ intemperies anni, & medico quoq; similia, adeo ut tunc improuidi fuisse uideantur. Nec igitur in arte, nec in manu quantumuis periti medici consistit, ea semper, quæ uentura sunt, prædicere, aut ne superueniat inexpectata, præcauere: acutorum morborum (inquit Hippocrates) non omnino tutæ sunt prædictiones neq; salutis, neque mortis. Quum ex coli dolore paralysis accidit, quibusdam temporis spatio, præter ullam curam, sponte sanitas redit. Quod si non eueniat, medicamentis non admodum ualidis uti conducet, sed ijs, quæ corroborant ac modice refrigerant, oleo roseo, melino, myrtino, chamæmelino, anethyno, & mentæ. Quod si ex alijs causis incidat, non erit difficile ex iam dictis curandi rationem colligere. Malo prope restincto, conducunt animi causa ad pulchrā, serenamq; auram proreptatio, in curru lecticá ue lēta gestatio, naturalia quoq; balnea, et aquæ sponte nascentes.

Medicus non semper præuidet futura.

CAPVT VIGESIMVM-primum de Conuulsione.

ADmirādas collectiones neoterici de conuulsione scriptitantes comminiscuntur.

Nos postergatis ambagibus, & infrugiferis logis, quæ Hippocrates, quæ Galenus, Pæoniæ familiæ proceres ad posteros transmiserunt, tradituri sumus. Conuulsio fit ex repletione, aut inanitione neruosorum corporum, à quibus secundum electionem motus perficiuntur, et sunt nerui, ligamenta, musculi, tendines. Iam si omnis motus (auctore Galeno) qui à uoluntate procedit attractis musculis in eas, quibus enascuntur partes, fieri uidebitur. Neq; poßit fieri attractio, nisi ad suam originem attrahatur musculus. Constat conuulsionem in conuulsis partibus factam hac sola ratione à motu naturali differre, quod præter uoluntatem fit. Itaq; quemadmodum in eo, qui secundum naturam habet, uoluntas in cerebro iuxta neruorum originem ordinata motionis principiũ dat neruis primum, ac per ipsos musculis. Ita si sine huiusmodi principio (id est præter uoluntatem) inuenerimus quapiam ex causa neruos conuelli, modum quo conuulsio fit, iam nos scire non temere profitebimur. Etenim si uideris aliquando neruosa corpora, ut lyræ chordas ob ambientis aeris immodicam intemperaturam, adeo uehementer, ut rumpantur, intentas, haud difficulter intelliges idem in animantium quoq; neruis posse contingere. Sed quo modo affecto aëre tenduntur chordæ, ut

dæ, ut rumpantur, si uel nimis aridus, uel nimis humidus sit. Nempe humor madefacit ipsas, ut in tumorem præter naturam attollantur, qui mox eas contendit. Ac ueluti sol tergora arefaciens contrahit ea, ita siccitas chordas & trahit, & contendit. Sic membranæ quoq; quum ad ignem aßicantur, trahi, tendiq; uidentur. Et hæc in plerisq; alijs similiter eueniunt. Laneus pannus si de lacu aquam plurimam bibat malignæ respondet mensuræ, quam ex textrina musteus pulchrè implebat, recepta longitudine præ infusi madoris copia in filorum tensionem ac crassamentum. Et trabeculæ tam arcta commissione persæpe contabulantur, ut acies quidem aciculæ impelli queat, nec aquilinus oculus asse qui iuncturæ cõtextum. Quæ si expositæ phœbeis flammis adarescant, statim societas illa turpiter distrahitur, & refugientibus in se fibris compago fathiscit. Comparationes.

Itaq; causæ conuulsionis geminæ depræhenduntur, altera est repletio: quoties nerui frigido ac glutinoso humore offerti, aut crasso, ac nebuloso spiritu distenti, aut sanguinis inflammatione uexati, aut melancholico succo prægnantes ad propria capita retrahuntur. Altera ex inanitione dicitur: quoties naturalis alimonia ipsis ab aliqua occasione præripitur, Causæ.

& exhauritur, ueluti ob diutinam famem, ob immoderatos labores, ob immodicas uigilias, ob egestiones alui, ob uomitum, sarguinis eruptionem, sudationes, ob ardentes febres, aliasq; affectiones insigniter edaces, tum arefacti musculi conuoluuntur, torquentur, reflectuntur. Et hæ sunt conuulsionis causæ, prout est propria passio. Cæterum incidere quoq; potest ex consensu, & non ob copiam superuacaneæ, nec inopiam necessariæ materiæ. Sed ab inimica qualitate, aut spiritali quadam aura primitus ad neruorum principium, aut per continuationem prius alteratis corporis partibus inuecta. Auicenna, ipsiusq; consectanei spasmum nominant ad materiam non proportionatum. Sic ex uehementi nō nunquam dolore, aut ex uentriculi erosione, & æruginosæ choleræ morsu, aut intensi frigoris acerbitate, aut genitalis seminis corruptione, aut putidi ulceris prauitate, aut uirulenti humoris ex membro aliquo afflatu, aut uenenosæ animantis ictu oboritur. Galenus ait libro sexto de Affectis locis: Cogitanti mihi aliquando super hac re, tale quoddam accidens apparuit in muliere ex longo iam tempore uidua: quæ præter cætera mala, neruorum quoq; molestijs uexabatur, ac dicente obstetrice uterum esse retractum, remedijs ad huiusmodi affectus consuetis

Conuulsio ex consensu.

consuetis uti decreui. Quibus adhibitis, partim ob ipsorum calorem, partim etiam, quod inter curandum manibus tractarentur partes muliebres, oborta titillatione cum labore & uolupta te, ueluti per coitum usuuenire solet, excreuit crassum, plurimumq; semen, atq; ita à molestia sua liberata est mulier. Quibus persuaderi non potest exiguum succum in una parte contentum tantorum accidentium, quæ uniuerso corpori eueniunt, esse causam, ij immemores omnino esse uidentur eorum, quæ quotidie contingunt. Etenim à phalangij ictu totum corpus affici uidetur, exiguo ueneno per minimum foramen iniecto: & scorpionis ictus breui admodum tempore grauißima infert accidentia. Marinæ torpedini tam uehemens est potentia, ut per piscatoris tridentem transmißa ad manum alteratione, derepente totam reddat stupidam. His coniecturis facile innotescit, res quasdam paruæ molis solo attactu, seu afflatu, maximas inducere alterationes. Nunc quemadmodum resoluto corpore uniuerso, necessum est, ut motus ac sensus commune principium afficiatur. Quum uero singularis particula debilitatur, is duntaxat neruus temeratur, qui in uitiatam partem decurrit. Haud aliter uniuerso conuulso corpore, talis quæpiam pars offenditur, qualis in arbore cau-

dex ramorum, sic ut ipsa sit neruorum omnium communis origo, non paucorum quidem in una parte. Sed si uel crus, uel altera manus forte fortuna conuellatur, constat neruorum, qui ad conuulsum membrum perueniunt, basim esse affectam. Si ergo uniuersum corpus dempta facie, spasmo corripitur, consentaneum est, uti communis omnium infra faciem neruorum origo conturbetur. Quàm non temere quis primum spinalis medullæ processum dixerit. Si uero in damni quoq; societatem facies pertrahitur, non solum eam partem, quæ ex spina procedit, sed ipsum cerebrum primariam sedem laborare fatebimur. Etenim labia sæpenumero conuulsa uidemus, item oculos, frontis cutem, mandibulam, similiter & linguæ radicem.

Conuulsionis tres species.

Omnes porrò conuulsiones & Græci, & Latini numero tres constituunt. Prima quidem Græcis emprostotonus dicitur, & Latinis ad anteriora contractio: Quum caput, ceruix, corpusq; reliquum in pectus contrahitur. Secunda opistotonus, ea est latinis ad posteriora conuersio: Quum ad spinam & scapulas musculosum genus torquetur. Tertia tetanus, ea est æqualis tensio: Quum in neutram partem membra concedunt, sed rigida æqualiter distēduntur. Quam obrem & distensio, & non nullis rigor dicitur: ut con

ut consertæ ex æquo binæ conuulsiones uideantur, & quæ in anteriora trahit, & quæ in posteriora nititur. Hoc autem tres hæ differentiæ habent commune, quod plicari membrum nequeat quoquo modo spasmetur. A catalepsi discrepat tetanus, quod occupati præter inflexibilem rigorem nullam habeant sensuum usuram, qui distentis non auferuntur. In emprosthotono (ut latius explicem) caput in pectus contrahitur, ita ut nullo conatu id queas in sublime erigere, brachia incuruantur. Digiti superposito pollice in pugnum coguntur, respiratio coarctatur, uentriculus singultu quatitur, aluus siccescit, lotium supprimitur, aut omnino difficulter redditur, idq; bullans, & aquæ simile, non nullis etiam cruentum. Pulsus rarus, exiguus, incompositus. Quum longissime quadraginta dies durat, quos si effugerint, sanescunt. In opisthotono grandiores ceruicis nerui tenduntur: quod in angina non nunquam accidit, aut purulentis oris tonsillis, hoc est, in inflammationibus locorum ad isthmum pertinentium (per isthmum oportet intelligere partem illam, quæ os & gulam inter iacet) his caput inflecti nullo modo potest, oculi conduntur, illachrymantur, & carunculæ angulorum, qui naribus propinquiores sunt, retrorsum contractæ nudantur, malæ mentumq;

Discrepantia tetani à catalepsi.

Emprostotonus.

Opisthotonus.

compinguntur, ut os dehiſcere nequeat. Lingua ſic præpeditur, uti nec cibum, nec potum tranſmittat, facies interdum ridentis ſpeciem præbet, dentes ſtrident, uultus rubet, ſpina riget, ſuræ implicantur, & tam infamibus ſubinde concuſsionibus exagitantur, ut difficulter ab aſsiſtentibus in lectulo contineantur. Tetanus pariter omnes totius corporis muſculos occupat: tertiani (inquit Hippocrates) pereunt, aut quintani, aut ſeptimani. Dij boni, quod monſtrum, quod deforme ſpectrum, quod miſerabile terriculamentum, homo in hanc calamitatem illapſus, ridentis ſpeciem exhibet, ſed profecto non ridet, (huiuſmodi riſum efficere aiunt agreſte apium, quod in Sardinia plurimum gignitur, & inde illud natum eſt dicterium: Sardonicus riſus. Quando nimis malo euentu riſus conſtat. Eraſmus olim dictum putat in profuſius ſolutiusq; ridentes) eſt quando ſingulatim membrorum aliquod conuellitur, non uniuerſum corpus, nec tum expectanda erit ſyndrome, hoc eſt, ea ſymptomatum congeries, ſed ex affecto loco conſpicua indicia dabuntur.

Tetanus.

Sardonicus riſus.

Signa.

Num ex plenitudine, hoc eſt, ex humoris cuiuſpiam redundantia. Num ex egeſtate, hoc eſt, humidæ eſſentiæ penuria incidat, inuentu non admodum difficile fuerit: ſiquidem quum ab immodi-

modico labore, ab immoderatis uigilijs, à fame, ſanguinis eruptione, alui profluuio, ab æſtuante febri oritur: quis dubitabit cauſam eſſe inanitionem? Si uerò temulento cuipiam, & uaſto homini, qui in umbra, ac delicijs ſtertere conſueuit, derepens obuenerit: patebit luce clarius, repletionis ſobolem eſſe. Quæ uero per conſenſum eſt conuulſio, aut ex praua qualitate, noxijsq; uaporibus, aut ex narratione ægri, aut ex proprijs ſignis innoteſcit.

Curationis pars magna eſt, ſalubris dietæ inſtitutio, quæ in Tetano tenuis confert, in cæteris uero de plenitudine, quanto ſunt diuturniores, tanto eam auctiorem expedit, habita ſemper doloris ratione, qui uehementer uires deijcit. Quare ſtatim & ab initio cibus modicus offeratur, qui nullum negocium naturæ exhibeat, ptiſanæ cremor, aut iuſculum pulli gallinacei, aut luteum recentis oui aquæ ſaluiæ incuſſum, aut ſorbitiuncula ex friato pane & ceruiſia adiecto pro guſtu ſaccharo, decoctum quoq; cicerum cum menta, & petroſelino. Quum uires forticulæ ſunt, roborisq; pluſculum habent, & morbi ſummus uigor mature expectatur, tenuiſſimo uictu uti licebit. Quum ſunt imbecilliores, non licet ſine graui noxa. Accidentibus enim uirtutem diſſoluentibus ilico dandus eſt cibus. Dieta.

Hydromel bibant, quod hyssopi, aut thymbræ saporem referat. Quod si in uetustatem morbus cadat, & longiorem sui moram protendet, aut non usque periculosus sit, & extremarum partium unam aliquam occupans, cibus augeatur, & assus magis, quàm elixus conducit, pipiones, turdi, merulæ, passerculi, galeritæ, perdices, ficedulæ, turtures, & aliæ huius generis auiculæ.

Erasmianũ prandulũ.

Erasmianum paretur prandiolum. Is à Fausto Andrelino per ministrum conuiua accersitus: Accedam, inquit, hac conditione, si nullos herus tuus præter formicas, ac muscas sumptus fecerit. Puer hero suo Erasmum uenturum renunciat, sed ut præter formicas, ac muscas nihil apponat. Hic faustus lepidi & festiui ingenij facetiam subodoratus, pro formicis, cuniculos, pro muscis, minutas uolucres apparari iußit. Vitẽt pisces, olera, fructus, acetum, acidaq; omnia. Gelidus humor non acida, sed acria expostulat.

Acria & acida craßitudinem secant.

Vtraq; craßitudinem dissecant, tam acida, quàm acria, eo duntaxat discrimine, quod illa cũ frigiditate, hæc cum calore id præstent. Vinum potent tenue, & aquosum, quod celeriter per membra omnia distribuitur. Vinum (auctore Galeno) substantiæ copia neruis adfert conuulsionem, rursus autem qualitate sanat eam, quam fecit dispositionem, neruos calefaciendo, atque

exiccando.

exiccando. Et si hoc facere nequeat, mortem subsequi necessum est. Igitur si non sit usq; tenue, nec aquosum, pro consuetudine, & habitu, & ætate ægrotantis attemperetur. Locus in quo decumbet æger, calidus sit, & à perfrictionibus tutus. Ignis ex aridis, acapnijsq; lignis struatur, potißimum antelucano tempore, & sub uesperam, qua parte diei algor magis intenditur. Quem hyems implicat, difficulter ex morbo recipit, æstate felicius succedit. Asclepiades & hoc posteriores multi, nec eruditionis commendatione incelebres, curationem auspicati sunt à uenæ sectione, quum plenitudo officeret. Galenus habet in Isagogico: Sanat uenæ sectio, si copiæ suspicio est, ut uidere licet apud Hippocratem in illo, qui prolapsus humi uulnus in caput acceperat. Neq; nos ab ea terremur, si sanguinis copiæ suspicio sit, neq; eorum ullum reclamet, quorum præcipuam assensionem ducimus. De communi uena extrahi debet, nec semel, aut uniuersum ad animi usq; deliquium, sed partiri missionem oportet. Nec iterum tanta abundantia, ut manifestus algor in corpore sequatur. Galenus in libro de Plenitudine, & libro primo Artis curatiuæ ad Glauconem, ait: Vbi in febribus conuulsio associatur, raro debet concedi uenæ sectio, quamuis uideatur esse necessaria. Quia

Causæ.

conuulsio uigiliam atq; sudorem adfert, uiresq́; deijcit, idcirco relinqui debet sanguis, qui sit pro necessitate paratus. Eadem hæc Auicenna suadet fen quarta primi, capite uigesimo. Deinde aluus clystere non admodum acri eluatur, et pharmacum bibat, quod moderata subductione naturam exoneret. Partes, quæ conuulsione tentantur, & iam inordinatis motionibus quatiuntur, magno studio in recta figura contineantur, & unctis manibus oleo anethino, chamæmelino, irino, susino diligenter perficientur. Quum frigidus, crassus ac glutinosus humor morbum gignit, statim clysma infundatur pro hoc modo: ℞ saluiæ, hyssopi, thymbræ, rutæ ana. m. j. anthos, stichadis, centaurij ana. m. ß. seminis seseli, carei, marathri ana. p. j. seminis carthami ℥. ß. polypodij ℥. j. pulpæ colocynthidis ℈. ij. coquantur, & excolato adde olei liliorum, et chamæmeli ana ℥. j. ß: mellis rosati ℥. j. benedictæ laxatiuæ ℥. ß. salis modicum. Glandes quoque in anum pellantur, & perungatur oleo rutaceo cum opopanace. Mox castoreum exhibendum censemus, & myrrham ad fabuli modum, aut hammoniacum, et quod ex triplici pipere eclegma conficitur. Mithridatum etiam, theriacam, & auream alexandrinam. Ceruicem, & attonsum caput ungemus irino, costino, uulpino, lau

rino

rino. Aquam quoq; calidam his infundere liceret, aut decoctum abrotani, pegani, saluiæ, lauri, maioranæ, primulæ ueris, artemisiæ, ebuli, rorismarini, mentæ, thymi, polij, pulegij, lauandulæ, & præsidium esset non in postremis collocandum, nisi neruos frigori opportuniores redderet. Quare ueßicas calido oleo impletas admouisse præstiterit. Noxius humor, si fieri potest, concoquatur, syrupis è marrubio, stichade, calamyntha, è radicibus, è scilla, melle rosato, cum decocto betonicæ, melissæ, origani, thymbræ, cicerum. aut aposema concinnetur pro hac forma: ℞ hyssopi, sampsuchi, thymi, ana. p. j. absinthij pontici, camedreos, camepitheos ana. p. ß. corticis radicis petroselini, rusci, sparagi ana ℥. ß. anisi, fœniculi, seseli ana ʒ. j. coquantur in duabus partibus aquæ & tertia uini albi, colatura dulcoretur melle dispumato, & aromatizetur cinnamomo, macere, nuce moschata & galanga. Post coctionem, si commodum erit, bibat hieram Hermetis, Ruffi, Archigenis, aut pilulas coccias, Indas, fœtidas, è sagapeno, hermodactilis, agarico. Aut in hunc modum: ℞ diaphœnici ʒ iiij. hieralogodij ʒ. ij. trochiscorum alandal grana. iiij. cum decocto centaurij exhibeatur. Aut ℞ saluiæ, thymi, satureiæ ana. p. j. florum rorismarini, stichadis, ana. p. ß. seminis

anisi, fœniculi, urticæ ana ℥.ß. cnici ℥.iij. radicis filiculæ ℥.vj. coquantur in aquis betonicæ & absinthij, in huius excolati uncijs quatuor & uncia una mellis rosati per noctem macerentur agarici recens trochiscati ℥.ij. expressum cum tribus, quatuor úe granis salis gemmæ propinetur. Si uis ut magis ducat, adde benedictæ laxatiuæ ℥.iij. Purgato corpore sumant conseruam acori, inulæ, anthos, stichadis, zingiber conditum, nucem moschatam, myrobalanum, chebulam, diagalangam, diambram, diamoschum, diatrium pipereum, diospoliticũ. Gargarissent decoctum iridis, aristolochiæ, raphani, pæoniæ, pegani, saluiæ agrestis, rutæ, tarci. In ore uersent, dentibusq; terant pirethrum, struthium, staphisagriam, piper, castoreum, & affluentem saliuam diligenter expuant. Sternutationes concitentur & odorent nigellam, rutam, cardamomum. Sudores proliciantur, & si commodè fieri queat, uniuersum corpus in calidum oleum demergatur, aut in calentem sanguinem recens iugulatæ animantis, aut in equinum fimum, aut in solium ex decocto origani, lauri, ebuli, artemisiæ, ederæ terrestris, mētæ, uulpis uiuæ, seminis lini, fœnigræci, radicis altheæ, liliorum, sed in loco à perfrictionibus tuto. Guaiacum bibāt, cuius usum capite de Resolutione, docuimus.

Membra

Membra conuulsa siquidē ad tactum dura sunt, ac rigida unguento permulceri debent, quod non solum discutiat, sed pariter & laxet, emolliat, concoquat. Galenus ait in Introductione: Multi sanè ceratis modicè recalefacientibus, & relaxantibus utuntur, ad hæc inunctionibus similibus, nec non lanis oleo imbutis, et fomentis, et cataplasmatis calidis. Pro hac aūt consimili forma cōficiatur unguētū: ℞ olei liliorū, lini aā ℥.j. olei lumbricorum, laurini, terebinthinæ aā ℥ ß. unguenti marciati, dialtheæ ana ʒ.vj pulueris nucis moschatæ, caryophyllorum, cubebarum ana ℈.j. euphorbij ℈ ß. cum cæra fiat unguentum. Aut ℞ radicis altheæ coctæ ℥.iij. distringatur per setaceum cribrum, & adde olei uulpini, liliorum, unguenti Agrippæ ana ℥ j. axungiæ anseris, gallinæ, medullæ cruris cerui, axungiæ taxi ana ℥.ß. styracis liquidæ ʒ.iij. castorei, sulphuris ana ʒ.j. saluiæ, rorismarini, thymi, mentæ ana ℈.j. galliæ moschatæ ℈.ij. cum cæra & terebinthina fiat unguentum, quo affecta sedes imbuatur. Aliud, ℞ axungiæ canis, æluri ana ℥.j. chalbani, sagapeni, bdellij ana ʒ.iij. olei costini, irini ana ℥.ß. farinæ seminis lini.p. j. croci ℈.j. Membrum ipsum inuoluatur succida lana, aut omento recens occisæ pecudis, aut lupina pelle, aut à uulpe detracta. Hæc ita dum Pyrites lapis.

fiunt, pyriten accipito: is est ignarius lapis. Qui si haberi potest (auctore Dioscoride) maxime probatur æri similis, & qui percussus celeriter scintillat. Arabibus dici putant Marchasitam. Cuius copia si negatur, molarem (Græci mylitem dicunt) quo frumenta teruntur in mola. In hunc lapidem ab igne flammantem acerrimum acetum infundito, cui scilla intabuit, et conuulsam particulam sic adaptato, ut calidum uaporem per irrorationem aceti excitatũ commode excipiat, & circumpositis stragulis cooperiatur, ut sudet. Exin absterso madore malagma inducito, aut oleum cui incocta sit althea, & ruta, & radix syluestris cucumeris. Hoc præsidio aliquando usus sum, nec infeliciter ceßit, sed magna tum laude, nec minori emolumento. In maturandis ac discutiendis scirris (attestante Galeno, decimoquarto de Curandis morbis, & secundo Artis curatiuæ ad Glauconem) mirificam opem præstat. Verum non nullum ab iteratione interuallum poscit, nec inter morbi initia adhiberi debet, sed quarto aut quinto die, & interim mollientibus linimentis utendum erit: alioqui tenuißimas partes absumeret. Cucurbitulæ præterea cum scarificatione admotæ prosunt, si crura contrahantur, coxis, et postremis uertebris. Si manu conuellantur, etiam dorso, & primæ ipsius

ipsius uertebræ, nisi imbecillum corpus existat, & suo ubiq; sanguine opus habeat. Semper memores, qui præscriptis unguentis, aut uetustissima adipe, seu uetere oleo occipitium, ceruicem, scapulas, dorsum, spinam totam sæpius perfricemus. Ipsa frictio quum omnibus in homine uertebris utilis sit, tum ijs præcipuè, quæ in collo sunt. Nec te perterreat superueniens febris, ea enim plurimis salutem attulit. Hippocrates ait: Si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut ubi ad horam peruenerit, qua crapulæ soluuntur, uocē recuperet. Et alibi à quartanis habiti non admodum conuulsionibus capiuntur. Si uero prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur. Nimirum (inquit Galenus) conuulsio quum fiat ab humoribus lentis, & pituitosis, qui partibus neuorsis inserti sunt: & horum humorum duplex sanatio sit, excretio, & concoctio. Ambas habet quartana: excretionem quidem ex rigore, hæc enim sola agitatio est sufficiens excernere crassum humorem: Concoctionem uero ratione caloris febrilis, (obiter obseruatione dignum, quod febrilem calorem concoquere dicat) qui sequitur rigorem. Sed febrem conuulsioni superuenire melius est, quàm conuulsionem febri. Pueris quidem nuperrimè æditis, & ad

Calor febrilis concoquit.

ſeptimum uſq; annum, promptius accidit, ſi febris acuta fuerit, nec aluus deijciat, ac uigilent, paueant, lugeant, colorem mutent, & croceum & liuidum, aut rubidum trahant. Adultiores uero pueri, uiriq; in febre non præhenduntur conuulſione, niſi aliquod indicium extitit ualidißimum, ac deterrimum, qualia per delirium accidunt. Pueros profecto ad conuulſiones propterea procliues eſſe conſtat, & potißimum lactentes, quia plurimo lacte utuntur, magisq; quoties id craſſum fuerit. Iam intempeſtiuè nutricantur, neq; cibationis opportunitatem expectant, nihil præter edendi uoluptatē in uita pulchrius ſuauiusq; ducentes. Omne præterea neruoſum genus imbecillum habent, ac debile. Quumq; triplex facultatum genus exiſtat, quibus uniuerſum corpus gubernatur, duabus quidem pueri, quàm cæteri fortiores nituntur, unà uero infirmiores, quæ in neruis ſita eſt. Quamobrem promptißimè conuelluntur, & rurſus ad priſtinum naturæ habitum celerrimè redeunt. Galeno præterea uiſus eſt nunquam podagricus conuulſionem pati. Quod habet quadrageſimonono libri ſexti Aphoriſmorum. Vtinam nec mihi uidere cōtigiſſet, Generoſißima domina à Bergis, Anna illuſtrißimi principis Domini Adolphi Beueriēſis coniunx poſt longos, diutinosq; manuum

Pueri procliues ad cōuulſionem.

Anna Bergenſis obijt conuulſione.

manuum, ac pedum articulares cruciatus conuulsa, me præsente interijt anno quingentesimo quadragesimoprimo, octaua februarij, hora prima à meridie.

Fœmina nestoreos dignißima uiueret annos,
Nunc sit cum superis umbra locata choris.

Cæterum (attestante Hippocrate) est, ubi in tetano, sine ulceratione, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat, calor autem soluit. Aqua non sua ui frigida morbum soluit, sed ex accidenti, quia calorem reuocat. Aut enim uincit, aut colligit naturæ calorem frigidæ uis. Vincit, quum debilem comperit: colligit, quum fortem. Paulus Ægineta hoc genus curationis nequaquam probat. Frigidæ, inquit, superinfusionem, quum sit (quemadmodum ait Hippocrates) periculosißima, eoq́; posteris, credo, uituperata, & nos damnamus, deuitamusq́;. Quo in loco Hippocrates curationem hanc periculosißimam dixerit, non memini me legisse. Auerrhous profecto sectione tertia, capite primo Collectaneorum, in hūc modum ait: Ea uero quæ similibus peragitur, hoc est ex accidenti, summopere uerenda est. Vt quum aquæ frigidæ perfusio affectum ab intemperie frigida profectum sanat. Meatus enim constipantur, densaturq́; cutis, atque calor intus fit.

Curatio tetani.

cumulatior, pariter & ualidior. Quamobrem ea nobis minimé usurpabitur, nisi si ad hanc nos traxerit neceßitas. Sed præstat Valeschū à Tharanta laudare: uerum si quid iudico, in arte non contemnendum, quamuis inter barbaros annumeretur: Sic enim logiatri isti præ se solis omnes appellant. Plané impium, ac sceleratum duco bonos uiros irridere, & contumelijs incessere, quibus non licuit, propter temporis infelicitatē literatiores fieri. Si mihi obtigissent, quum docilis esset ætas, scientes Græce, ac Latine præceptores, non obstitisset ingenium, nec ipse mihi iniquior defuissem, quominus extra barbarorum classem (quando hoc nomine traducere lubet) aliquousq; promouissem. Nunc pro nostris opibus mœnia extruimus. Sed ut dicterio locum faciam: Cædimus, inq; uicem præbemus terga flagellis. Catonis uaticinium ad Marcum filium scribentis subijciam, id narrat Plinius libro uigesimonono naturalis historiæ, capite primo in hunc modum: dicam de istis Græcis, Marce fili, suo loco, quid Athenis exquisitū habeā, & bonum sit illorum literas aspicere, & non perdiscere. Vincam nequißimum, & indocile genus eorum. Et hoc puta uatem dixisse: Quandocunq; ista gens literas suas dabit, omnia corrumpet. Tunc etiam magis, si medicos suos huc mittet

Valescus non cōtemnendus.

mittet. Sed ne quenquam exasperem, uerbulum non addidero. Hic, inquam, Valeschus sic habet capite de spasmo: Isto modo curaui iuuenem uiginti annorum, de quo desperabatur in Morlanis, quamuis non multum erat carnosus. Hábui feré uiginti urceos plenos aqua, & quatuor uiri ægrum ipsum erectum tenuerunt. Ego autem omnes urceos euacuaui supra collum, & omnia inferiora membra eius, & statim posui eum in lecto, & post unam hora cum dimidia unxi ipsum à collo usq; ad postremum spondilem, ac tibias, & brachia, cum dialthea, & marciato, & agrippa, cum oleo castorei, & dedi sibi brodium pullæ, & uere nihil amplius feci, et in eadem nocte curatus fuit cum dei auxilio. Alium curaui in Burdegalis, qui erat Anglicus, sed iste fuit corpulentus, per modum superius dictum. Itaq; satius est aliquid non nulla fiducia, uel cum periculo facere, quàm adempta spe certo perire & potentibus extremisq; præsidijs pugnare, quàm nihil agere. Semper melius est anceps auxilium, quàm nullum. In quo tamen desperata omnino salus est, nec ullum patet effugium, imprudentis artificis fuerit, apud uulgum infamare remedia, quæ multis opem contulerunt. Theriaca (Galeni ad. Pisonem præconio) tetanicos haud parum multos persanauit, neruos calefa-

Curatus in Morlanis.

Curatus in Burdegallia.

ciens, tensiones ipsorum relaxans. Quemadmodum etiam partium resolutiones sæpe curans, spiritu recreato in naturalem statum reduxit, & motus particulis reddidit.

Curatio ex crasso spiritu.

Quod si à crasso, & nebuloso spiritu nerui tendantur: quod cubantibus in lecto sæpenumero accidit, ut eorum suræ contrahantur: qui si tam diutinus fixusq; affligeret, quàm est tristis, acutusq; dolor, profecto maiori opera, & diligentiore expensione indigeret. Nunc quia facile dißipatur, minus satagimus. Affecta pars magno nisu in contrarium dirigatur, & oleo irino, costino, uulpino, lumbricino foueatur, & decocto baccarum lauri, cumini, chamæmeli, meliloti irrigetur. Edāt anisi aut marathri semen. Id de periculo compertum habeo, si quem noctu suræ contractio frequenter infestat, dormiturus caligas induat de lana tenui contextas, aut lineas etiam lupina pelle subductas. Quum inflammatio offensam parit, uena fodiatur, et anodynis medicamentis ipsa percuretur. Si ex melancholico succo gignitur, concoquentibus, purgantibus, malassantibus, discutientibus opus erit. Quod si lege consortij adueniat, ex angina uidelicet, aut tonsillis, pleuritide, phrenitide, uermium copia, locorum uitio: ipsum symptoma sic curabimus, ne præcipuum studium pri-

mariæ

mariæ causæ succidamus. Cæterum in conuulsione, quæ ex inanitione est, & penuria nutrientis substantiæ, humidum uictum præstituere oportet, & lac offerre cum melle, si febris non uetat, aut æstuosus calor, idq; detracta prius spuma, quominus excrementosum sit, & magis adijciat. Quinetiam & ipsum mel si super candentes ex quercu prunas coquatur, ac curiosè despumetur, optimum alimentum fuerit. Malum quidem mel, multam egerit spumam, quo etiam diutius coqui debet. Probißimum uero, ut breuißimo tempore coquitur, ita minimum spumæ euomit. Sorbitiones quoq; exhibeantur ex pinguibus iusculis succulentarum carnium, & oua tremula, testes gallinacei, eorum scilicet qui nondum calcauerunt, ptisanæ cremor, caricæ passulæ, pinei nuclei. Vino utantur tenui, & aquoso, aut hydromelle. Somnus omnibus modis conciliandus. Difficilis admodum est in præsiccis constitutionibus restauratio: siquidem cibus per seipsum cum corpore coalescere nequit. Nisi enim ipsum corpus suo calore, humidoq; proprio cibum excipiat, ac inde putrefaciat, subigat, immutet, ac immutatum confectumq; sibi sua facultate adijciat, omnino emacrescet, & nutrimento destitutum exolescet. Hanc porrò operam nec sibi, nec epulis torridum corpus præsta

Dieta in cõuulsione ex inanitione.

Constitutio sicca difficilẽ restauratur.

re poteſt. Quare maximum ſanè malum, ac propemodum Herculeum, & inuictum liquet, ex inanitione & ſiccitate ſpaſmus. Id breui ſermone ueridicus ſenex atteſtatur: Conuulſio, ait, ex elleboro mortalis: conuulſio ex uulnere mortalis. Vbi ſanguis plurimus fluxit, ſingultus, aut conuulſio ſuperueniens, malum. In uigilijs conuulſio, malum. Sunt enim ex ijs, quæ maximè emaciãt, atq; exiccant uigiliæ. Et Galenus (cuius et uerba, et ſentẽtias perquàm libenter inculco: quando mortaliũ nullus (Hippocratem excipio) maiore cũ fructu dixit unquã, nec puto dictorũ poſtera ſecla dabunt) libro duodecimo de Curãdis morbis ait: Scire licet quæ ex nimia ſiccitate diſtẽtio oritur, ſi modo curabitur, humectationẽ poſcit. Cæterũ curatu perdifficilẽ eſſe, uel potius quæ curari omnino nõ poßit, ſi febris occaſione cõtrahitur. Succedit maxime exitiali phrenitidi: nec ſanatũ quempiam ita conuulſorum, aut ipſe uidi, aut aliũ narrãtẽ audiui. Nam temere conuulſio uel ex plenitudine, neruoſarũ partium incidit. Qua ratione eos, quos magna phlegmone premit, adoritur, uel ex mordẽte et tenui humore qui neruoſa corpora rodat: uel ex ingẽti frigore, quod tale quippiã, quale gelu efficit: atq; hæ tres cõuulſiones ſubinde percurãtur. Sed quæ ex neruoſarũ partiũ ſiccitate prouenit

uenit

uenit, insanabilis est. Cuius quæso testimonijs præterea indigemus, uel clarius, uel ex authoritate magis pronunciantis? Et si hisce assertionibus cõtentus omnino cõticescerem, nec uerbulũ ullum adijcerem, æquum esset ignoscere de tabula tollenti manum. Sed quoniam non omnes moriuntur, quibus mortalia signa insunt, & quis interdum præter omnem spem seruatur, paucula subnectam in solamen ægrotantis, & ad amicorum flagitationes, si fors præter opinionem nostris uotis deus aliquis aspiret. Popularis est sermo, qui nec omnino uanus exibilatur: Sexcentorum medicorum calculis addictum morti præstat, quàm perpaucorum senatorum sententia. Ægrum igitur humectantibus oleis fouebimus, & leui scalptu unctis manibus ceruices, spinas, uertebras omnes confricabimus. In quem usum conferunt oleum uiolaceum, nympheæ, cucurbitæ, lini, papaueris, rosarũ, amygdalarum dulcium, sesaminum, butyrum recens, axungia anseris, gallinæ, anatis, medulla uituli, œsypum, unguentum resumptiuum, dialthea. Quod si aluus suppressa nihil reddat, acribus commouenda non est, sed mollientibus, & lubricantibus, pro hoc modo: ℞ hordei. m. j. uiolariæ, maluæ, altheæ, brancæ ursinæ ana. m. ß. seminis lini, fœnigræci, cotoneorum ana. p. j. glycyrrhizæ ʒ.

Non omnes moriuntur quibus insunt mortalia signa.

Medicorum sententia minus metuenda quàm senatorum.

iiij. passularum exemptis nucleis ℥. ij. dactylorum numero. vj. caricarum. ix. coquantur in iusculo pinguis carnis, & adde excolato olei lini, butyri recentis sine sale, sacchari rubri ana ℥. j. lutea ouorum recentium. ij. inijciatur. Oleum quoq; per se infusum prodesse potest. Postea ad lauacrum deducatur, non ut sudet, aut fatigetur, sed in solio tepentis aquæ ociosus consideat, aut in lacte recens mulcto, aut decocto agninæ carnis, porcellinæ, uitulinæ, anguillarũ, tincarum, mustelarum, aut in sanguine animantis à cultro adhuc spirantis. Extractus perungatur hoc, aut consimili unguento: ℞ radicis altheæ coctæ, & per setaceum cribrum districtæ ℥. ij. olei uiolarum, lini, butyri recentis sine sale ana ℥. j. axungiæ anseris, gallinæ, uituli œsypi ana ℥ ß. mucilaginis, psyllij, seminis cotoneorum ana ʒ. iij. cæræ quantum satis sit. Crebro bibat aquam saccharatam, aut uiolatum iuleb, aut ptisanam, aut dilutum hydromel. Sumant conseruam boraginis, circij, nenupharis, corticem citrei cõditam, diatragachantum, diapapauer, eclegma resumptiuum, aut placentulas, quas mazapanes, seu marcipanes appellamus. Vel paretur huiusmodi confectio: ℞ pulpæ perdicis eligi ℥. ij. amygdalarum mundatarum, & per noctem in aqua saccharata maceratarum ℥. iij. pinearum recen-

tium

tium ad eundē modum maceratarū ℥.j.seminum frigidorum purgatorū ān ʒ.iij.seminis papaueris albi ʒ.ij.seminis maluæ,cotoneorum ān ʒ.j. corticis citrei cōditæ.ʒ.vj.passularū paruarum ℥.j.tragachātæ ʒ.ij.cōseruæ uiolarū,boraginis, buglossi ān ʒ.iiij.lutea recentiū ouorum cruda iij.butyri recētis sine sale modicū sacchari perpurgati.℔.ß.aquæ rosatæ quantū satis sit artificiosæ confecturæ. Quod si dolor conuulsionem pariat,is confestim,si fieri queat, anodynis sopiatur,& applicetur calens à furno panis oleo roseo,melino,seu uiolaceo imbutus. Aut is in bubulo lacte maceretur,& cum oleo anethino,chamæmelino,ac croci momento pinsetur. Si narcotico eges: ℞ olei rosarum ℥.ij.olei anethi ℥.ß.seminis papaueris albi ℈.ij.opij ℈.j.croci ℈.ß. Aut ℞ olei ranarum ℥.ij.succi lactucæ ℥.j.olei chamæmeli ℥.ß.croci ℈.j. Si ex claui,acus, subulæ,alterius ue mucronati punctura oritur, protinus terebinthina feruēs aut oleum euphorbij intra uulnusculum stilletur. Aut ℞ olei lumbricorum ℥.j.terebinthinæ ℥.ß.euphorbij ℈.j. salis pauxillulum. Aliud ex libro sexto de Medendi methodo: ℞ ceræ ʒ.ij.terebinthinæ,picis ana ʒ.j.euphorbij subtiliter puluerisati ℈.ß. Quod si ualentius efficere uis in corpore uideli cet sicciore,& robustiore auge euphorbium,et

Curatio ex neruo puncto.

utere in neruis punctis, locum fouendo calente oleo. Neruus nudatus minimè feret huius uim, sicut cum interposita cutis est. Galenus ait tomo tertio Artis medicinalis: nerui uero, & punctura propter sensus uehementiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta est ad neruorum conuulsionem excitandam, ac tum præsertim, quum nihil extorsum expirat, obcæcato cutis uulnere. Aperiendum est igitur, atque exiccandum substantia tenui, quæ usq; ad nerui offensi ima poßit penetrare. In hoc euentu aloë elota, & in multo oleo soluta utere, & ijs, quæ minima cum rosione siccant, melle etiam cum rosaceo, & terebinthina lota. Quum unà cum cute nerui contunduntur, emplastrum concinnetur, ex oxymelle, & fabacea farina. Quod si dolor quoq; infestet, adde picem liquidam bene coquendo, & calens imponatur. Si ex erosione uentriculi, & morsu æruginosæ choleræ malum sobolescit, non aliud remedium fuerit efficacius, quàm ilico uomitum commouisse. Galenus habet libro quinto Aphorismorum, commento primo: Alias uidimus conuulsiones fieri adolescenti, qui æruginem euomebat. Præstat æruginem, & non æruginosum uomitum nominare. Erat enim talis, qualis, quæ uera ærugo nominatur, florentißimus. Verum inter uomendum totum cor

Curatio ex uentriculo.

tum corpus conuulſum eſt, & ærugine euacuata febris ſtatim, & conuulſio ceſſabant. Tale autem erat, quod euomuerat, ſicuti, ſi quis optimam æruginem aqua perfunderet, adeo ut ex eorum unione talis ſubſtantia exultaret, quæ defruti craßitudinem repræſentaret. Et libro duodecimo de Morbis curãdis: Tenues, et acres humores quum in ore uentris ſunt collecti, non nunquam conuulſiones crebras accerſunt. Veluti dudum illi contigit, qui paulopoſt, æruginoſum humorem euomuit. Satius uero ſit, non æruginoſum dicere, ſed exactam planè æruginem. Verum huic adoleſcenti cum conuulſione, & ſyncope, etiam guttæ quædam frigidæ, & pulſus in ſummo gradu paruus erat. Ex quibus quum conijcerem in ore uentris (quem publice ſtomachum uocant) rodentem aliquem contineri humorem, dedi illi aquam tepidam bibere, poſt quàm protinus tale quid euomuit, quale ſi ipſe facere uelles, floridißimam æruginem aquæ miſceres. Quum igitur talis humor in uentre conſtiterit, uomitu eſt expellẽdus, quũ in inteſtinis, inijcere per ſedem conueniet, quod eluere huiuſmodi humorem ſit aptum. At id deterſiuum ſit, omnino oportet, ac roſione carens. Eius generis maxime eſt ptiſanæ cremor. Cibi uero his exhibeantur, qui & boni ſunt ſucci, nec facile

corrumpantur. Si ex iniuria frigoris malum inuadit, necessum est ipsum calorificis depellere. Si ex corruptela genitalis seminis aut è loco aliquo uirulenti humoris afflatu. Sanguis pro exundantiæ modo minuatur, & mox purgatiuum pharmacum, si eo erit opus, offeratur, tum inimica qualitas commodis medicamentis restinguatur. Quod reliquum erit, pro iam dictis percuretur. Si ex ictu uenenatæ animantis, cucurbitulæ cum scarificatione, aut hirudines loco percusso, & quo afflatus est noxæ, affigantur, theriacam sumant, & alia quæ diximus cerebrum & neruosum genus corroborantur.

CAPVT TRIGESIMVM-secundum de Retractione oris.

Phydias Mineruam sculpsit.

VIdeor mihi eo propemodum agi (quod Galenus quoque alicubi assumpsit) quo Phydias olim: qui post illud Mineruæ simulachrum, sculpere coactus est seorsum, nunc quidem digitum, nunc uero brachium, & pedem, nunc manus, nunc aures, & hoc pacto reliquorum membrorum singulatim quodq;. Siquidem de resolutione ampliter atq; prolixè, & de conuulsione sermone non minus exporrecto disseruimus. Et nunc cogor de eisdem affectibus, quando os & mediam faciei partem obsident, uer-

dent, uerba facere. Cogor autem maiorum & auctoritate et cōsuetudine, qui in suis Commentarijs particulatim hæc uitia tractauerūt. Qua uero ratione adducti sint, uti eam operam insumerent, non admodum difficilis est coniectura. Etenim ipsius oris retractio, & formidabilis faciei distortio frequenter accidit. Quæ ut causam habet ambiguam, si perperam curetur, in omnem uitam turpis comes hominem dehonestat. Quare nec nugax, nec infrugiferum censeri debet, quod singulari studio conati sint explicare, quam obstare intelligebant difficultatem. Et nos, licet fastidij periculum urgeat, minorem tamen gratiæ, quàm utilitatis respectum habere decreuimus. Ergo quum mandibularum musculi, & narium, ac palpebrarum in obliquum declinant, nec rectam figuram conseruant. Id euenire necessum est, aut ex paralysi, aut ex spasmo. Sed hoc opus, hic labor est, internoscere, utra affectio in uitio sit. Quapropter certas differentiæ notas perpendere oportet, ex quibus sententia certa & inconfutabilis colligatur.

Resolutionem porrò indicant turbatiores sensus, lenitas cutis, nec ulla ipsius distentio, ita ut horsum uorsum adducta, leuiter sequatur. Musculi quodam stupore corripiuntur, in ore plurima saliua natat, inferior palpebra succum

Resolutionem indicantia.

bit, & quæ supernè imminet, prolixior etiam deuergit, oculumq; operit.

Conuulsionem demonstrantia.

Conuulsionem demonstrant capitis dolor, ægrescentis oculi nuditas, genarum ad tempora conuersio, cutis rigor, narium hiatus, saliuæ paucitas, labiorum conspicua distortio, & in modum cynici rictus retractio. Canis quum irritatur, exasperatus ringit, & dentes denudans oris partes contendit. Ob quam causam Cynicus spasmus Aëtio est dictus. Paulus Ægineta libro septimo ait: Colocynthidis medulla exhibetur rectè conuulsis, ut in utranq; partem deprauata sit facies, qui cynicus spasmus dicitur. Ergo hæc indicia diligēter collata non obscure ostendent, num ex paralysi, spasmo úe faciei partes conturbentur. Nunc quo pateat euidentius, ac luce clarius constet, quum utraq; pars non afficitur, utra afficiatur, dextrà ne an sinistra, haud multis logis est opus, si mentem adhibeas. Oculus temeratæ partis non aptè clauditur, palpebris non ritè commißis: sputi proiectio, & spiritus exufflatio, nisi ab incolumi parte perficiuntur. Quippe quæ labefactatur, aut efflare, aut expuere nequit. Iam si iubeas commoueri, aut labia, aut genas, aut palpebras, non mouebunt nisi lateris intacti. In oris hiatu resolutis pars sana trahit ægram, in conuulsis ægra & affecta

Cynicus spasmus.

pars

pars trahit ſanam. Galenus ait libro quarto de Affectis locis: Muſculo quæ dexteram partem mouet, reſoluto, ipſa ad ſiniſtram flectitur: at ſi is, qui ſiniſtram mouet, reſoluitur, ipſa trahitur ad dexteram. Haud ſecus & totam mandibulam, & narium pinnas, & utraſq; genas, quas à muſculoſa latitudine moueri didiciſtis, in aduerſam partem inflecti contingit. Et libro ſecundo de Morborum cauſis: Ipſa enim in ijs, qui altera parte reſoluti ſunt, trahitur à muſculis actionem facientibus. At in ijs, quos altera parte conuulſio occupat, à muſculis conuulſis. Quid Auicenna in capite de Tortura, uelit, nō ſatis aſſequor. Aut plane fallitur, aut incommodè trāſlatus eſt. Eo paragrapho, à mollificatione uero facta &c. Affectum hunc oboriri ſæpius conſpexi ex ſubita ac uehementi ira, inflatis, tenſisq; uenis. Habet & cauſam frigidos, ac pituitoſos humores. Et quia ſine cerebri noxa nō incidit, maiorem profecto curam exigit. Hippocrates ait: In febre non intermittente, ſi labrum, aut naſus, aut oculus, aut ſupercilium peruertitur, ſi non uideat, ſi non audiat, & iam debilis ſit, quicquid horum fuerit. Corrigitur hoc faciei malum non aliter, quàm cætera aut reſoluta, aut conuulſa, membra corriguntur. Ab initio quidem cauere oportet, ne extenuandi & exic- Curatio.

candi eximia ui prædita adhibeantur, neq; cathartica potenter exoluentia offerantur. Sed sensim infesta materia concoquatur, & euacuetur, nisi tristior morbus accelerare cogat. In aëre uersetur, calido & lucido, si lucem non refugiant oculi, & præsertim post dies aliquot acceptæ iniuriæ. Sanguis mittatur, si plurimus est, ex humeraria lateris afflicti. Deinde uulnerentur, quæ sub lingua cubant. Clysteres, glandes, decocta diluta, distillata, syrupi, deiectoria, uomitoria, eclegmata, confecta, cataplasmata, linimenta, emplastra, irrigationes, uaporationes, sudationes, fricationes, sacculi, sinapismi, apophlegmatismi, gargarismata, errhina, odoramenta, suffitus, cucurbitulæ, hirudines, pro modo in prægreßis enarrato salutariter adhibentur. Occipitio autem, & ceruici, si quæ extrinsecus applicabuntur, admouenda erunt. Illud quoq; magnopere iuuerit, si ad probum speculum sæpius uultum componat, & aceto, cui sinapi incoctum fuerit, faciem frequenter perluat. Victu in principio utatur tenui. & post materiæ ruinam, si morbus porrigitur, cibum augeat.

CAPVT TRIGESIMVM-tertium de Sternuatione.

STernutatio est subitus ac proprius motus cerebri, quo se excutit, et impeditos narium

meatus: tibicinum exemplo tibias fistulasq; pur gantium. Quamuis non nunquam ex accidente humorum quoq; in pulmonibus residentium re medium sit. Nares ut ipsæ inspirationi inseruirent à natura fabricatæ sunt. Sed præter hanc necessitatem, & ipsam odorum dignotionem, alia quoq; utilitas est accessoria, ad expurgatio nem uidelicet cerebri, per quas nisi hoc uiscus sua defunderet superuacanea, teterrimis morbis obnoxius esset homo. Galenus ait octauo de Vsu partium corporis humani. Quum namq; uentriculi cerebro subiecti excrementa ex continentibus eos corporibus confluentia non raro excipiant, frequenter utiq; apoplexijs occuparetur animal, nisi uiam aliquam horum effluxui idoneam hic quoq; natura excogitasset. Sed neque cogitari melior potuit, ampla simul, & decliui. Ab intus igitur foras per narium meatus excrementa efferuntur. Itaq; nares permeabiles esse conducit, quales ut sint, subitus ille cerebri motus pulchrè præstat. Quem non solus aër perficit, qui in cerebrum recipitur, ac rursus ex eo reflatur. Sed primitus magna & ualida præit inspiratio, qua totum pectoris cauum plurimo spiritu impletur, deinde comprimente se thorace, & accingente, non ad expirationem, quam faciunt uniuersi thoracē contrahentes musculi,

Narium utilitas.

Sternutationis modus.

ſed ad exufflationem, quæ uehemens eſt expiratio, hanc intercoſtales maximè promouent. Hic omnis ſpiritus ſemel, & undatim ad foramentum propellitur, quod eſt in oris cœlo, exiliores ſemitas narium excipiens oſtium, & iter pituitæ ex cerebro in expuitionem labentis. Sub id ergo propulſus ex pulmonibus flatus obuiat aëri in capitis cauernulis contento. Mox natura ſuorum operum prudentiſsima utitur hac copia, & conſpirante abundantia ad excuſsionem eius, quod molle cerebrum nequiter offendit. Et eſt uapor, aut uentus, aut urens humor: & laxat, purgatq; narium obſtructos tubulos. Galenus ait libro ſeptimo Aphoriſmorum, commento quinquageſimoſecundo: Opinari ſolum aërem, qui ex capite excernitur, eſſe quod ſonat, eſt manifeſte falſum. Nam liquidò apparet deſubter ex pulmone elatus aer uniuerſim ſe comprimente thorace, ſed & antecedente inſpiratione fieri ſternutamentum: natura aggregante aëris copiam ad ſternutamenti generationem. Et ſecundo de Cauſis ſymptomatum: Neq; mirum uideri debet, ſpiritum unico impetu & ex pulmone, & ex capite mitti. Etenim in tractatu de Muſculis, indicauimus cerebrum thoraci principium motus tranſmittere, à thorace uero diſtringi, contrahiq; pulmones. Quum igitur inſurgit,

ut ea

ut ea quæ nares infestant, expellat, utroq; utitur expirationis meatu: altero quidem quem ipsum per se fecit: altero uero neruis ueluti longis quibusdam manibus in thoracem demißis, per hos enim illum contrahit. Per ossa uero, quæ à percolandi officio ethmodea uocantur, ipsum uaporantem emittit spiritum. Iam quia plurimus aër uno ueluti gurgite, impetuq; collecto per angustiores tramites erumpit, procul exaudibilem sonorem excit. Proprius quidem motus cerebro, naribusq; propterea dicitur. Quia quum cæteris corporis particulis sic prospectum sit, ut potentes ualeant ea elidere, quæ intus pressa turbam moliuntur, huiusq; excretionis commodum habeant modum, ac stratas uias, per quas fuga capeßitur. Sic & cerebro naribusq; non pœnitenda sors obtigit, ipsisq; non peßimè prospectũ est. Aluus retrimenta pessum mittit: uentriculus uomitione se leuat: pulmones pituitam tußicula expectorant. Cerebrum, naresq; sternutamẽto sibi medentur. Galenus ait: Sternutamenta ualidiorem quàm tußis habent spiritus impetum, atq; aliam generationis suæ causam. Quippe nõ ob ea, quæ asperis arterijs, sed naribus molesta sunt, spiritus uehementer emittitur, cum quo ex prioribus quoq; cerebri uentriculis non nihil emitti solet. Proinde tußis

Sternutationis utilitas

capiti nihil conducit. Sternutamenta uero haud mediocre præsidium afferunt capiti uaporibus oppleto. Neq; tamen semper utilis est concussio hæc, quemadmodum nec alui fluor, nec omnis uomitus, nec ipsa pertussis. Non nunquam intempestiua uires frangit, caput implet, materiæ coctionem impedit. Quæ incommoda in uiscerum inflammationibus, in febribus, in grauedinis cruditate obueniunt. Morbo si probè concocto, & uiribus non nihil recreatis superueniat, ut indicium est nō obscurum naturam præualuisse, ita non mediocriter subleuat. Contrà si in hoc sit medicus, ut idoneis medicamentis sternutationes proritet, & omnino non respondent, signum est difficilē fore curationem quòdque res in ancipiti uoluatur. Quandoquidem naturæ facultates iam præmortuæ apparent, quum neq; sensifica uis sentiat, & ociosa succumbat expultrix. Hac ratione qui morti sunt proximi, & iam accincti, ut hinc sese recipiāt, abeantq; in longinquam regionem, eorum nemo, quamuis id strenuè coneris, sternuet. Aristoteles ait problemate nono tomi trigesimitertij: Quum capitis calor humorem, spiritum úe conuincit, tunc moueri sternūtamentum solitum est. Quamobrem moribundos interdum sternutatorio excitamus, tanquam si hoc affici nequeant, spes

Sternutatio non semper utilis.

Morituri non sternutant.

ant, ſpes ulla ſalutis ſit. Malo eſt præterea ſtatim à concubitu, fœminis concipere cupientibus. Nempe quum corporis omnia ualido concuſſu tremefactet, prius genitale ſemen excutit, quàm ſe penetralibus matricis inſinuet. Salutaris eſt lethargicis, ſoporatis, & capitis grauitate affectis Parturientibus quoque ſuccurrit, & morantes ſecundas egregie proturbat. Hippocrates inquit libro ſeptimo Aphoriſmorum: Sternutamẽtum fit ex capite calefacto cerebro, aut humectato, eo quod in capite, inani. Galenus uero ſubijcit: Non omnis ſternutatio fit calefacto cerebro, uel humectato eo, quod eſt in capite, inani. Pennis igitur nares quidam irritantes, ſternutant Et quod dicit, humectato, ſuperfluum eſt ad ſternutamenti generationem. Si enim & aliquis humor in corpore ſuperabundat, non facit ſternutamentum, niſi in uentum conuertatur. Et hoc manifeſtè uidetur in multis, qui copiam humoris per nares excernunt, et tamen propterea non neceſſario ſternutant. Soli enim hi ſternutant qui ita affecti ſunt, quibus mordax eſt ea, quæ à capite fluit humiditas, ceu ſi quid mordax naribus imponas. Itaq; niſi uapor, aut hoc tenuior uentus, aut utroq; craßior ſuccus ſenſificam facultatem lancinet, nullus unquam ſternuerit. Sic capite ex ſolis æſtu calefa- Cauſæ.

cto, aut natiuo calore corroborato, ob cuius imbecillitatem prius erant superfluitates aggregatæ, harum fit eliquatio, ebullitio, expansio, mox eliquatæ, ebullientes, expansæ, cerebrum feriũt. Homo supra cætera animalia impensius propterea sternuit: quia pluri, & multipliciore, ac plus quam satis sit, cibo uescitur, potuq; repletur. Ob hoc nec ipsum quidem, ut expedit, conficere ualet. Proinde multam humiditatem colligit, et ob hanc multum cogit spiritum, qui utpote tenuissimus ad cerebrum ascendens, ipsum continuo impellit, ac proritat ad egestionem, & sternutamentum. Iam non minus offendit externa refrigeratio, & ex somno repentina expergefactio. Quinetiam fumus, puluis, pomorum, ac flosculorum fragrantia, esus capparum, alliorum, nasturcij, erucæ, sinapi, & aliorum acrium. Commouent ueratrum, struthium, piper, zingiber, staphisagria, euphorbiũ, ciclamen, castoreum, iris, aristolochia, cuminum, nitrum, nigella, si in puluerem comminuta naribus inflentur. Vbi tamen usus poposcerit, ipsum puluisculum præstabit in foraminulenta pixide agitatum naribus subijcere. Aut ipsius particulam nucleo specilli intra nasum indere, ne altius, penitius ue temerario impulsu illapsus quidpiam interni, teneriq; uisceris temeret.

Homo plus quàm cætera animalia sternutat.

Duratio. Nimias sternutationes coercent

coercent, si calor nocumento est, oleum roseum, melinum, salignum, uiolaceum, nympheum. Gelida quoq; in faciem affusa, solani succus, aut lactucæ gargarissatus. Si frigus incommodat, nardinum calens in aures stilletur, frons ac tempora liniantur costino, irino, rutaceo. Decoctum anesi cum apio, si odoretur, saluti est. Mirrha auxiliatur cum thure & uino odorato trita, & naribus illita. Varro existimauit sternutamenta consilescere, si palmam altera manu confrices. Sunt qui iubeant annulum è sinistra in dextræ longißimum digitum transferri. Hæc fieri non possunt sine meditatione, quæ quum motus quidam sit, calefacit. In aquam quoq; frigidam manus demittere conducit. Nasi confricatio, & angulorum, qui oculis sunt interni, mirifice iuuat. Capitis in altum eleuatio, lacertorum pandiculatio, ilium intentio, spiritus cohibitio, palati defrictio, subitus animi motus, seu repens consternatio. Hæc enim omnia modo quodam naturæ calorem expergiscunt. Auicenna inquit: Iuuantur infantes hausta per nares sanie, quæ ex semiaßis renibus distillat. Apollonius habendas in ædibus ciconiarum pennas censuit, atque ita fieri, ut nequaquam infantes sternuant.

Sternutamētum pro numine habetur.

Quod pro numine inopinatum, subitumq; sternutamentum paßim scribatur, & tanquam

augurale signum prædicetur, quod uel aduersam, uel prosperam fortunam denunciet: in causam adducunt occultarum rerum scrutatores, quod de capite membrorum omnium præcipuè diuino proficiscatur. Ex qua sede, quum inibi regnet, ac triumphet anima, suum arcanum primitus patefacit. Cæteri uero flatus omnino ratione morbi, nec ut aliquid præsagiant, à natura soluuntur, Timotheus Atheniensis classe dimicaturus aduersum Corcyreos, gubernatori suo, qui proficiscenti classi signum receptui iam cœperat dare, quia ex remigibus sternutantem quendam audiuerat: Miraris, inquit, ex tot milibus unum perfrixisse. Vt ineptum metum excuteret, quem malo omine gubernator conceperat. Sic Penelope ex filij sternutamento procos trucidãdos uaticinabatur, apud Homereum libro decimoseptimo Odysseæ inquit: Proci in nostris ædibus conuersantur, singulisq; diebus boues, ouesq; ac pingues capras sacrificantes epulantur, rubrumq; bibunt uinum, nec spero impunè. Nam si in patriam Vlysses rediret, statim unà cum filio uim procorum propelleret. Sic ait: Telemachus uero sternutauit, & per domum sonitus magnopere auditus. Penelope autem risit, ad Eumæneumq; cõuersa inquit: Num uides, quod in singulis uerbis filius sternutauit? Quamobrem

Timothei Atheniensis ducis uersutia.

Penelopes uaticinium

Quamobrem mors procorum iam, puto, sequetur. Obseruatum præterea comperio, si ægrotans uir semel dumtaxat sternuat, quod is morbi ferocia uictus occumbet. Si uero geminet, bisq; sternuat profligato morbo reualescet. Contra in fœminis, si qua grauiter habens semel sternuat, salubre signũ existimatur: si uero bis, funestum & exitiale. Aristoteles in Problematis quærit, Cur quæ de medio noctis ad meridiem usq; moueantur, damnemus: quæ de meridie ad noctis medium, approbemus? An quia quum rem aliquam exordimur, tunc sternutamentum potius obseruandum est? Itaque quum rem agere proximis, atq; inter initia sternuisse accidit, amouemur, remq; inceptam prosequi uetamur. Dies igitur, & aurora & de medio usq; noctis quasi initium quoddam est. Itaq; ominosum tantisper sternutamentum esse putamus, temperamusq; sternutare, ne pergentem quempiam ad agendum, reuocemus. Post meridiem uero, atq; medium usq; noctis, finis ueluti quidam est, tempusq; illi contrarium, itaq; contra tunc & existimatur, & agitur. His subijcere non pigebit & attexere quæ beatus Augustinus de his nænijs habet sermone ducentesimo quadragesimo primo de tempore: Illas, inquit, non solum sacrilegas, sed etiam ridiculosas sternuta-

Sternutatio ægrotantis uiri quid significet.

Sternutatio fœminæ ægrotantis quid indicet.

Aristotelis problema de sternutatione.

tiones consyderare, & obseruare nolite. Sed quoties uobis in quacunq; parte fuerit necessitas properandi, signate uos in nomine Iesu Christi, & symbolum, uel orationem dominicam fideliter dicentes, securi de Dei adiutorio iter agite.

FINIS.

BASILEÆ, PER
HENRICHVM PE-
TRI, ANNO
M. D. XLIX.

Chartarum ſeries,

† * a b c d e f g h i k l m
n o p q r s t u x y z.
A B C D E F G H I K L.

Omnes ſunt quaterniones.



